PANOPLIA ARMATVRÆ DEI, ADVERSVS OMNEM SVPERSTITIONVM, DIVINATIONVM, EXCANTATIONVM, DÆMONOLATRIAM, ET VNIVERSAS MAGORVM, VENEficorum, & Sagarum, & ipsiusmet Sathanæ insidias, præstigias & infestationes.

CONCIONIBVS

BAMBERGÆ HABITIS,

Instructa & adornata,

ET REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO Episcopo Aichstettensi, nuncupata atq; inscripta.

A

FRIDERICO FORNERO, EPISCOPO HEbronensi, Suffraganeo Bambergensi, Theologiæ Doctore, &c.

INGOLSTADII, Typis GREGORII HÆNLINI.

M. DC. XXVI.

Cum Priuilegio Sac. Cæs. Maiest. ad Decennium.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO, SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI, EPISCOPO EYSTETTENSI &c. Principi ac Domino meo Clementissimo;

Summam, huius, & alterius vitæ felicitatem.

ANIMI *morbos, Jllustrissime & Reuerendissime Princeps, tantò grauiores esse, Corporum morbis, quantò animus corpore præstantior, & ipsa ratio nos edocet, & S. Gregorij Nazianzeni, cognomento Theologi, authoritas euincit: Nam corporis morbus, inquit,* præter voluntatem existit, Animi morbus, à voluntate proficiscitur: Corporis morbus, vna cum hac vita finitur, Animi morbus, nos hinc migrātes, comitatur: Corporis morbus, cōmiseratione dignus est; Animi morbus apud eos quidem, qui mentis sunt compotes, odio habendus. *Verùm inter Animi morbos Hæresis, Variegata Sobole, fæcunda Mater, primariam & omnium pestilentissimam* filiam *progenuit,* dæmonolatriam, *siue ea in expresso, siue in occulto Diaboli Homagio, & siue explicitè, siue implicitè, vt loquuntur Theologi, cum infernalibus genijs inito pacto, consistat. Quo vehementius admirandum est, tàm multos, tum*

Orat. de Amore Pauperum.

veterum, tum recentiorum scriptorum, percurandis corporum ægritudinibus, in promptu esse, pluresq; indies procudi, & vsui publico inuulgari commentarios; Econtra verò, perpaucos, à quibus contra pessimam illam Dæmonomaniam, omnemque Diabolicam seductionem, aut infestationem, remedia suppeditentur, cum tamen haud desint saluberrimi fontes, perennesq; scaturigines, vnde præsentissima, contra tam execrabile malum, Antidota copiosè profluant & exundent. Habent equidem corporum Medici, suos Hippocrates & Galenos, quin etiam & ipso Ioue prognatum, vt Nugigeruli Poëtæ fabulantur, Æsculapium, Medicinæ Parentem & Auctorem, è quibus pro corporali vita, diu feliciterque, sarta tectaque conseruanda, Medicamina depromant: At nobis archiatri suppetunt, vt à vera Religione solidiores, sic etiam in tollendis, atque ab exitiali, Dæmonum Idolomania persanandis aut certè præseruandis, hominum Animis, multò sapientiores, quos inter Primarios Ecclesiæ Doctores, Augustinum, Ambrosium, Gregorium & Hieronymum, Basilium, Chrysostomum, Cyprianum, &c. vt alios mille tacendo prætercam, censeo reponendos, quorum spiritualia pharmaca, tanto in maiori pretio sunt habenda, tantoq; cupidius amplectenda, quanto vberiorem, multis iam retroseculis, tum doctrinæ præstantiam, tum vitæ sanctitate, prodigiisq; cælestibus contestatam, authoritatem, obtinuerunt.

Haud equidem ignoro, complures ex recentioribus Ecclesiæ Doctoribus, contra hoc ipsum Magiæ, commercijque cum Diabolo, malum strenuè viriliterque depugnasse, quorum vestigijs, hoc æuo præsenti, præter Nicolaum Remigium, Petrum Binsfeldium, & Petrum Tyræum, Martinus Delrio, summa cum industriæ, ingenijque laude, & omnium commendatione, Coriphæus tanquam primarius, institit &

inhæ-

inhæsit, atque in Disquisitionibus Magicis, plurima sparsim Alexipharmaca, contra varias Diabolicas artes, & Machinamenta, disseminauit: Nihilominus tamen, qui pro Concionibus ad populum, abominabili huic, quam diximus, lepræ, immò potius detestabili, animorum Elephantiæ, Medelam adhibere tentauerit, vix vllus ad notitiam meam peruenit; cum tamen hoc ipso exulceratissimo sæculo, Dæmoniaca Lues illa, & periculo cum extremo suppuratum Carcinoma, longè lateque tantò pertinacius, tantoq́ue vlterius, occultissime serpat, & altiores fibras, atque radices indies agat, quantò infensiori hostilitate Leo ille rugiens, ex Orco solutus, ante mundi finem humanam perniciem quærit & machinatur, vt passim, ita in ijs præcipuè locis, vbi Magistratus, tum Ecclesiastici, tum Politici opera, publicè ab Ecclesia Damnatæ Hæreses, eradicantur, & exterminantur, & ex ipsius infernalis Draconis faucibus, ereptæ Christi sanguine preciosissimo, redemptæ ouiculæ, Ecclesiæ gremio inseruntur, & manipulatim aggregantur: Ibi enim vel maxime, occultam illam superstitionis, Magiæ, & Veneficij Hæresin, clanculum subinuehere, & introducere, Zizaniaque sua Dominico Tritico inspergere molitur. Certus esto: Non quærit Diabolus, quos antea, tanquam fortis armatus possidet: *Non enim Lupus Lupos, sed oues rapere, ac dilaniare, conatur: Sic nec Diabolus, de Hæreticis anxie laborat, quos* Lupos rapaces, *Christus nominauit. Sed tanquam* fur & latro, in ouile *Dominicum irrumpit, vt* mactet oues, vt dissipet ac disperdat.

Ego itaque, licet indignissimus inter omnes, Verbi Diuini, iam triginta & eò ampliùs annis, prædicator, *eo potissimum tempore, quando gliscente hoc Diabolicæ Dæmonolatriæ Malo, in Ciuitate Bambergensi*, Illustrissimus & Reuerendissimus Princeps, *ac Dominus meus*, Ioannes Go-

defridus Episcopus Bambergensis, *Iustissimo diuinæ gloriæ, & salutis tot Animarum, à Diabolo seductarum, Zelo, inflammatus, contra Superstitionum, Incantationum, Auguriorum, & Veneficiorum Cultores, igne ferroque mansueta seueritate, & rigorosa lenitate, animaduertebat, vt quod in me esset, mihi commissarum Animarum, saluti, officij ratione allaborarem, non solùm concionibus aliquot, inprimis, contra omnes, iam recensitæ Dæmonolatriæ species, mihi pro illis rationem reddituro, peruigilandum, ac militandum, rebar, verum etiam mearum esse partium arbitrabar, adhuc ab illo malo, incolumes, præscriptis à Deo, & Ecclesia Remedijs, & Antidotis præmunire, ne ab Emissitijs illis, Diaboli venatoribus, ac seductoribus, corrumperentur.*

Nec me latebat pertinacissimum istum Dæmonolatriæ morbum, *præsertim apud inueteratos, in hoc malo, sine flamma & fumo, sine ferro &* gladio, *quem Politicus Magistratus*, ad vindictam malefactorum *à Deo acceptum*, gestat, *ne vix quidem, aut ægerrimè persanari: operæ tamen precium, me fecisse, & haud pœnitendum laboris fructum assecutum esse, docuit euentus, cum nonnulli à Diabolo, & eius mācipijs, in perniciem aut abrepti, aut per superstitiones, incantationes, diuinationes, & similes Diaboli Nassas, iam iam abripiendi, ad bonam frugem, pœnitendo reuersi, Diaboli iugum fregerint, excusserint, eiusq́ seruitio nuntium remiserint; multò plures* Dei armaturam *induentes, contra* ignea Diaboli Tela, *obarmati, eius insidias ac nocumenta, maiori deinceps prouidentia declinarint, & cautius euitarint.*

Nec erit, spero, qui hoc mihi vitio vertere, vel temeritatis cuiusdam aspergine diffamare, ausit, eò quod vix vllus antea, pro verbi DEI Concione, talia ex professo, quod aiunt, & instituto, apud populum pertractarit; S. Gregorij Nazianzeni

Loco superius allegato.

zeni admonitio, me adhoc nouum molimẽ exstimulauit: Nos, *inquit,* Spiritualis medicinæ ministri, operisque parti- cipes sumus, quicunque aut superiori loco, sedemus, aut verbum Dei, ouibus Christi prædicamus; Quibus, tametsi magnæ laudi ducendum est, propria vitia, mor- bosque perspicere, ijsque mederi, multò tamen excel- lentius, est, aliorum morbos curare posse, sciteq; per- sanare: *Deinde, licet vt plurimum, historico dicendi genere Remedia vniuersa, quæ palàm proponenda videbantur, ex- plicarim, non tamen à Commentitio quodam* Æsculapio, *sed à summo* Medicorum Magistro, *vt eum S. Hieronymus ap- pellat, Christo IESV, eiusque verbo, Spiritus sancti calamo exarato, spiritualia pharmaca sua, prisci illi Patres, Ecclesiæ Doctores, sunt mutuati, quorum Exemplo, & mihi inhæren- dum existimaui. Nec Medici nomen Christus exhorruit:* Non est opus valentibus medico, *inquiens,* sed malè habentibus; *Nec officium exercere dubitauit, quando cor- porum languores, & infirmitates curans, spiritualem potius animorum, quàm corporum sanitatem captabat.* Idcirco enim, *inquit S. Ioannes Chrysostomus,* illas corporum æ- gritudines, abigebat, vt animorum vulnera è nostris animabus profligaret, id quod in Samaritani Typo, & vulnerum eius, qui inter latrones ceciderat, alligatura expressius figurabat. *In hunc & ego finem collimaui, & eam semper cautelam tenui, vt si quid forsan occurreret, vnde ho- nestis auribus offendiculum creari posset, tanquam scopulum, accuratissima prouidentia declinarem, summaq; modestia, v- niuersa explicarem.*

Lib. 1. Comment. in Ecclesiasten.

Matth. 9.

Hom. 29. in Matth.

Nec à scopo mihi videor aberrasse, dùm hoc ipsum opuscu- lum meum PANOPLIAM ARMATVRÆ DEI, *aduersus om- nes insidias Diaboli, nominaui: Nam in eo, Christi Milites,*

quos

Ephes. 6. *quos* contra Diaboli insidias, & ignea tela, *S. Paulus Apostolus induere, & necessario apparatu communire conatur, Arma, non exiguo numero inuenient, quibus ritè vsurpatis, securitatem ab omni Diabolica infestatione, sibi valeant polliceri. Et vt maiori energia, quæ in medium affero, siue auditorum, siue legentium animos, permouerent, tàm Scripturas Diuinas, quàm Patrum testimonia, & Historicorum Exempla, adscriptis libris, & eorundem capitibus, in margine appositis, allegaui, & apis instar, ex illorum floribus, salutarem succum, quem isthic propono, delibaui:* Nam vt in vno aliquo telo, aut gladio, *Lipsio teste,* multum interest, à qua manu veniat. Sic in sententiis vt penetrent, valde facit robustæ alicuius, receptæ authoritatis, quæ sanè veteribus adest, pondus. *Deinde vt Aranearum textura, non ideò præstantior aut conducibilior est, quoniam è visceribus suis fila progenuerunt: Sic confido, nec Concionum istarum contextum, viliorem æstimatum iri, quoniam Apis Exemplo, suxi & libaui ex alieno. Quod autem hanc, qualemcunq; lucubratiunculam meam, sub Reu.ma & Ill.ma Cel.nis V.ræ Amplissimo Nomine & Auspicijs, publicam in lucem euulgare destinauerim, haud inidoneæ, vti spero caussæ, me permouerũt; Prætereo singularem gratiam, qua, tum me indignum, & immeritum, iam ab antiquo, tum etiam Fratrem meum* Ioannem Fornerum Theologiæ Doctorem, & Professorem Ingolstadiensem, *&c. prosequi atq; complecti dignatur; Cõueniebat Vigilantissimo Præsuli, Iustitiæ & Legum, tàm Diuinarum, quàm Ecclesiasticarum, atq; Ciuilium, obseruantissimo Principi, in vtroq;, Dei nutu, obtento Principatu, tàm* Elvvacensi, *quàm* Aichstadiano, *omnem Diabolicæ Idolomaniæ corruptelam, sine cuius quam Personæ respectu, eradicare, & explantare, immò & penitus elidere atq; abolere, hodier-*


diernum in diem, nunquam ſatis laudato Zelo, ſtrenuiſſimè pergenti, opuſculum iſtud, primo in veſtibulo, inſcribi ac dedicari, vt tantò liberius ab obtrectatoribus & Zoilis, nil metuens, in publicum progrederetur; Et inſimul etiam vt perpetuum & immortale, erga Reu.mam & Ill.mam Cel.nem V.ram obſeruantiæ meæ humillimæ, teſtimonium extaret.

Æternum Numen enixè precor vt Reu.mam & Ill.mam Cel.nem V.ram Eccleſiæ ſuæ, totiq; Reipublicæ Chriſtianæ, Diuinæ Maieſtatis, à tot Diaboli Mancipijs, tàm atrociter, tamq; enormiter læſæ, atq; offenſæ, FERVENTISSIMVM VINDICEM, *immò & à tot Diaboli fraudibus illaqueatarum Animarum, ſolertiſſimum* RECVPERATOREM, *& ouilis Dominici, contra Infernalem Lupum animoſiſſimum* DEFENSOREM, *quam diutiſſimè Soſpitem, Vegetum, atque florentem conſeruet. Bamberga Calend. Auguſti, Anno à Sanctiſſimo Deiparæ partu. M. DC. XXV.*

Reu.ma & Ill.ma Cel.ni V.ræ

Humili obſeruantia perpetuò addictiſſimus Seruus, & Capellanus.

Fridericus Fornerus Suffraganeus Bambergenſis, &c.



PRÆFATIO AD BENE-uolum Lectorem.



Ntequam ad explicandam ARMATVRAM DEI, *contra omnes* Diaboli & Mancipiorum eius Machinationes, *progrederer*, *de vna potissimum re*, *amicissime Lector*, *mihi commonefaciendus videbare*, *quo planius*, *instituti mei ratio*, *tibi constaret. Est ea Modus tractandi Remedia ista*, & Armaturam aduersus Diaboli, & eius Asseclarum varias molitiones, *à Sacro dicendi genere penitus alienus*, & *vt verum fatear*, *maiori ex parte historico Stylo contextus*; *Sed si in finem meum oculos direxeris*, *intentionem meam*, *nullo negotio assequêris*: *Exempla & historias non solum valere*, *ad medendum Animi morbis*, *sed & mirandum in modum proficere*, *vt quibuscunq; Diaboli Tentationibus*, *fortiter viriliterq; resistamus*, *ex eo liquet*, *quod S. Augustinus*, *cum agit*, *de exemplo* Vxoris Loth, *à Christo Domino*, *apud B. Lucam allegato*,

Luc. 17.

ita scribit: De die Iudicij, *inquit*, cùm Dominus miraretur, quid ait? Memento vxoris Loth, omnibus dixit.

Tractatu in Psalm. 75.

Quid enim fecit Vxor Loth? Liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione, condiantur homines, cor habeant, non sicut fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant. Nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos viderimus veluti infirmari, in proposito bono. Et talis vis esse, quales illi? Obijcimus illis quosdam qui retrò respe-

respexerunt: Illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur, vt illorum exemplum timentes, isti retrò ne respiciant. *Addo ego S. Augustini verbis*, vt eorum, qui contra Diaboli, quascunq; insidias, viriliter decertauerunt, vestigijs insistentes Triumphum reportent.

Modum tractandi eum obseruaui, vt primum omnes Dæmonolatriæ species, *detestarer; deinde quæ Diabolicæ hominum seductioni ansam præbent, & occasionem subministrant, fugienda suaderem: Ac tertiò deniq;* ARMATVRÆ DEI *Apparatum, vsui publico exponerem. Tu omnia, si bonus es, boni consule, & si non Tuæ, saltem earum Animarum Saluti applica, quæ à Diabolo ita turpiter illuduntur, ita miserè seducuntur. Uale.*






CONCESSIO PRIVILEGII CAESAREI.

TIbi Gregorio Hænlin Typographo Ingolstadiensi, Vigore Priuilegij, mihi à Sacra Cæsarea Maiestate collati, potestatem impertio, Panopliam Armaturæ DEI, contra diaboli fraudes abs me paratam & instructam, imprimendi, & reliquis iuribus atque Concessionibus, in Diplomate Cæsareo contentis, fruendi & vtendi. In fidem do manum meam, & sigillum. Bambergæ, Calendis Augusti, Anno M. DC. XXV.

Fridericus Fornerus.

SYNO-



SYNOPTICVS INDEX OMNIVM & singularum Concionum.

CONCIO I.

Omnis Magicæ Dæmonolatriæ deteſtatio, In communi.

Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrahel: audiens ergo ex ore meo ſermonem annunciabis eis ex me. Ezech. 33.

CONTENTA.

Exordium. A miſsione Ezechielis Prophetæ ad Prædicandum; A Diaboli malitia; qui poſt Exterminatam hæreſin, Magiam Ouili Chriſti, clanculum ſubinuehit Cauſſa cur hanc Materiam pro Xenio elegerim pertractandam, I. *Diabolus perpetuus affectator Diuinitatis.* 1. *Ideò Idololatriam mundo induxit.* 2. *Ea per Chriſtum ſublata, plantat Dæmonolatriam.* 3. *Magi & Sagæ Vaſalli Diaboli.* 4. *Dæmonolatria Deum grauiſsimè offendit.* II. *Fundamentum omnis Magiæ & Veneficij; Adoratio Dæmonis, vel aperta, vel occulta.* 1. *Eius Inuentor primus, Zoroaſter* 2. *Iannes & Mambres.* 3. *Balaam.* 4. *Simon Magus, ob cuius ruinā Nero SS. Apoſtolos Petrum & Paulum occidit.* 5. *Poſt Apoſtolorum tempora, Multi hæretici, Magiæ authores; Gnoſtici, Carpocratiani, Helcheſaitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ.* 6. *Multi alij nominatim, & quidem noſtro tempore.* III *Magia in ſcripturis ſacris ſeueriſsimè prohibetur.* 1. *Puniendi Iuſſu Dei.* 2. *Deus mandauit Saul, vt omnes eiuſmodi Diaboli cultores occideret.* 3. *Diſplicet Deo tales conſulere, vel cum eis commercium habere, & grauiter punit: Exemplo Saul, Ochoziæ, Elijmæ Magi.* VI. *S. Patres docent, Magiam omnem, eſſe à Dæmone, & ſummè deteſtandam.* 1. *Magiæ Magiſtri Dæmones.* 2. *Stultitia extrema, in afflictionibus ad diabolum confugere.* 3. *Reiectio excuſationis incantatricum.* 4. *Incantatores Miniſtri Diaboli, quantumcunq; ſe inuocatione Nominis diuini; Conueſtiant.* 5. *Grauitas criminis Magiæ & incantationis; & eius Eccleſiaſtica pœna.* V. *Obligatio Magiſtratus, vt tales puniat.* 1. *Ni faciant quàm grauiter peccant?* 2. *Rationes decem cur puniendi.* 3. *Ratio vndecima, Prophanatio omnium Sacramentorum.* 4. *Quid potiſsimum mouere debeat Magiſtratum, vt in tales, igne, ac ferro, deſæuiat.* 5. *Exempla punitorum, tria ex S. Gregorio Magno, Niceta, Gregorio Turonenſi.* 6. *S. Gregorius duos Incantatores excæcat.* 7. *Interitus Henrici Cornelij Agrippæ, celeberrimi Magi.* 8. *Magus à Diabolo abductus.* 9. *Defuncta Veneficæ Cadauer, extra Eccleſiam raptatum, & à Diabolo abſportatum. Exhortatio vt Magiæ & Incantationibus addicti ſe conuertant.*

CONCIO II.

Ad quem in morbis confugiendum? Num ad DEVM? Vel ad Magos? Vel ad Veneficos, & Incantatores?

Rogabat eum vt deſcenderet & ſanaret filium eius: Ioann. 4.

CONTENTA.

Exordium. Equos & boues calcaribus & ſtimulis, aſinos fuſtibus compellimus ad curſus: ſic nos Deus tribulationibus. Exemplo ſit Iudaicus Satrapa, rogans filio ſanitatem. I. *Tribulationes Deus conuertit in bonum noſtrum.* 2. *Nullibi, niſi apud Deum, licet auxilium quærere.* 3. *Dei mandatum, & eius transgreſſorum pœna.* 4. *Punitio Regis Ochoziæ.* 5. *Admonitiones San-*

ctorum Patrum, & præsertim S. Ioannis Chrysostomi, sancti Augustini, ne in morbis & aliis malis, recurratur ad Magos. II. Grauitas huius peccati. 1. Contradicit Abrenunciationi facta in Baptismo. 2. Recursus iste ad Incantatores, planè inexcusabilis. 3. Stultitia summa in periculo confugere ad iuratißimum hostem. 4. Non salus, sed interitus, apud Diabolum inuenitur. 5. Ridiculum valdè, contra cacitatem, amuletum gestans vetula, à Concionatore confunditur. III. Fraus latens in omni incantationis morborum genere, detegitur. 1. Vel habent gratiam sanandi & secreta reuelandi à Deo, vel à Diabolo, non datur Tertium. 2. Non à Deo propter sanctitatem qua nulla est in eis. 2. Quia nihil faciunt gratis, sed omnia propter Mercedem. 3. Virtus sanatiua non remanet cum ipsorum Oßibus. 4. Nec humilitate nec vita sanctimonia sunt conspicui, sed mirè ambitiosi. 5 Obiectio: Aliquando verè sanant & vera vaticinantur, quod non potest esse à Diabolo qui est pater Mendacij. ℞. aliquando casu sequitur effectus, vel Diabolus cessat à Maleficio. Exemplum è vita S. Bartholomai, & ex vita S. Germani, apparitio Dæmonum, quibus cibus præbebatur. 2. Sæpius mentiuntur, & nihil iuuant eorum incantationes. 3. S. Bernardus abigit vetulam, Incantatricem. 4. Obsessa ab vno Dæmone, tradita Incantatoribus curanda, obsidetur ab integra Legione. Exhortatio ad Magistratum vt non toleret Incantatores.

CONCIO III.

Variæ prætensiones confugientium ad Magos & Incantatores dum morbis, aliisq; Dei flagellis castigantur, & atteruntur.

Non declinet cor meum, in verba malitiæ, ad excusandas excusationes, in peccatis, Psalm. 140.

CONTENTA.

Exordium. A malitia excusationis peccatorum, qua non minuit sed auget peccata. I. *Excusatio de periculo vita.* ℞. *Mors potius oppetenda, quam sanitatis beneficium, à Diabolo flagitandum.* II. *Excusatio: sequitur Effectus sanitatis.* ℞. *Vetula per Dæmonem immittunt morbos, & procurāt, vt Dæmon cesset. Historia vera & rata. 2. Responsio pulchra, è verbis S. Augustini.* III. *Excusatio: Mulieres Christiana sunt, & sacra verba, cum nominis diuini inuocatione vsurpant.* ℞. *1. Sacra verba qua vsurpant sunt Dæmonis inuolucra. 2. Responsio S. Ioannis Chrysostomi. 3. Exemplum S. Bernardi.* IV. *Excusatio; Timor maioris mali. 1.* ℞. *Ex S. Augustino Dæmon firma Fide contemnendus. 2. Ex S. Hieronymo, Fiducia firma, in Deo collocanda. 3. Exemplum S. Ambrosij, cui nullus Dæmon, Angelo prohibente, potuit nocere.* V. *Quæstio. Cur Deus permittat, tot maleficia fieri, in priuatione vsus Matrimonij.* ℞. *1. Iudicia Dei occulta. 2. Ob abusus contra rectum Matrimonij vsum perpetratos. 3. Ad probationem bonorum.* VI. *An tale maleficium, alio maleficio, curari poßit?* ℞. *nullo modo id licere. 2. Si fieri poßit sine omni peccato, quod Gregorius Presbyter imposuit, Theodoro Mago pœnitenti. 3. S. Godoleua, non vult permittere vt Maleficium Maleficio curetur. Epilogus: Admonitio, vt ad Deum in omni neceßitate recurratur.*

CONCIO IV.

De Diuinationibus Magicis Vitandis.

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ioann. 16.

CONTENTA.

Exordium. Diabolus Simia Spiritus sancti, in tribus officijs qua spiritui sancto Christus Domi-

Dominus attribuit. I. *Futura solus Deus reuelat.* 1. *Exempla è sacris scripturis.* 2. *Dauid.* 3. *Esdras.* 4. *Apostolus Paulus.* II. *Grauitas peccati diuinationis Magicæ.* 1. *Prohibitio Diuina.* 2. *Detestatio Prophetarum.* 3. *Recursus ad diuinatores, Deum grauissimè offendit.* III. *Sanctorū Patrum doctrina de Vanitatibus Diuinationum.* IV. *Quid Dæmon, per auguria intendat?* 1. *Subfuratur Deo suum honorem; Et varias deceptiones vsurpat.* 2. *Obiectio: Multa vera prædicunt.* R. *Verbis S. Augustini.* 3. *Pœna Diuinatorum & eos Consulentium, ex Conciliis.* 4. *Ex Legibus Imperatoriis.* V. *Diuinatio militat contra omnia DEI præcepta, in Decalogo contenta, & omnia sigillatim enumerantur.* VI. *Quænam sciat Diabolus, & per Magos scire possit?* 1. *Nescit quæ liberè dependent à voluntate Dei, vel à libero hominis arbitrio* 2. *Quæ certò non nouit potest ex coniecturis prædicere; historia de Basilacio qui Isaacio Comneno Imperatori prædixit excæcationem. Item de Turca qui prædixit, se intra horam moriturum, & pestem cessaturam. Potest prædicere quæ à causis naturalibus necessariò dependent, quæ ex reuelationibus cognouit; quæ in remotissimis aguntur locis, vt constat de Apollonio Thianeo & de Trithemio nonnulli scribunt, &c.* 3. *Q. An hominum Cogitationes in animo latentes cognoscat?* R. *Non: Est solius Dei.* VII. *Duplex fraus Diaboli.* 1. *si sit ignarus rei futuræ, ambiguè respondet.* 2. *Mendacia pro veris obtrudit. Exemplum de rustico, cui porcus vesicam, pecunia plenam, deuorauerat, quod diabolus vxori eius imposuit.* 3. *Diuinatio ex cribro, vulgò* das Sieb lauffen lassen. *Duplex in ea fraus, vna vetulæ diuinatricis: Altera Diaboli.* VIII. *Exempla diabolicæ illusionis.* 1. *Imperator Basilius, à Santabareno mago delusus, pro filio videt vmbram.* 2. *Idem Magus à filio eius comburitur.* 3. *Princeps quidam, per Annulum lucratorium, turpiter decipitur.* 4. *Thesaurorum Magica inuestigatio* 5. *Diabolus consulenti se, oculum perdit. Epilogus, Admonitio vt aboleantur istius modi superstitiosæ Diuinationes, cum Exemplo S. Bernardini, qui id quàm maximè cordi habuit.*

CONCIO V.

De superstitiosis & vanis obseruationibus, earum inuentore, noxis, ac detrimentis.

Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores, vos esse video, Actor. 17. habita cum sequentibus à Calendis Maij & deinceps.

CONTENTA.

Exordium à S. Paulo, prædicante Atheniensibus, de Ara, ignoti Dei cultui, consecrata; Sic hominis superstitiosi cor, est Ara, in qua Diabolo sacrificatur. Reprehensio ibidem superstitionum variarum Calendis Maij, exerceri solitarum, vnde Sagæ potestatem, Deo permittente, nanciscuntur, vt hominibus pariter, & iumentis, eo tempore plus valeant nocere. I. *Inuentor Diabolus.* 1. *Ante diluuium.* 2. *Tempore Patriarcharum.* 3. *Perpetua diuinitatis ambitio, remanet in tenebrarum Principe.* II. *Caussæ inuentionis.* 1. *Recuperatio possessionis animarum* 2. *Violatio primi & maximi mandati, in Lege.* 3. *Collatio spei in rebus vanis.* 4. *Vt homines decipiantur.* 5. *Vt deueniant sub Magisterium Diaboli.* III. *Superstitio vana excludit omnem spem in Deum.* 1. *Media ista à Diabolo.* 2. *Christus veritas, Diabolus mendacii pater.* 3. *Vanitas rerum superstitiosarum.* 4. *Q. An iuxta illud vulgare Axioma, in verbis, herbis, & lapidibus, est magna virtus, in verbis etiam vetularum incantatricum, virtus aliqua reperiatur?* 5 *Quid si vanitas?* 6. *Apertissima vanitatis probatio ex irrefutabili argumento.* 7. *Detestatio annulorum patibulariorum.* IV. *Q. An superstitio tam graue peccatum? Vtique.* 1 *Quia pugnat cum primo Decalogi præcepto.* 2. *Continet implicitam saltem, à Deo Apostasiam.* 3. *Fœdus init cum Dæmone.* 4. *Pernicies extrema ex superstitionibus.* 5. *Odium Dæmonis in homines.* 6. *Dehortatio à superstitionibus.* 7.

Stulti-

Stultitia superstitiosorum. 8. Obsessa ab vno Dæmonum, vtens superstitionibus à 6666. spiritibus obsidetur. Ex S. Gregorio. Epilogus; Territatio superstitiosorum.

CONCIO VI.

Superstitiosas curiosorum hominum obseruationes, nulla penitus tergiuersatione, excusari posse, coram Tribunali diuino.

Multi autem ex illis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Actor. 19.

CONTENTA.

Exordium ab historia, ex Actis Apostolicis, quando Ephesi prædicante Apostolo, & signa plurima faciente, cum Sceua Sacerdotis filij, ab obsesso, quem coniurauerant, pessimè tractati fuissent, venerunt & combusserunt Magicos, licet, magni precij libros. I. *Q. An symbola & amuleta superstitiosa, nil mali contineant, cum præsertim Oratione Dominica, salutatione Angelica, symbolo Apostolico vtantur?* ℟. *Duplex fraus dæmonis subest.* 1. *Sub hoc veluti Sacchаro, incautis venenum propinat.* 2. *Homines allicit, vt spem à* DEO *auersam, in dæmone collocent.* II. *S. Patres reprobant superstitiones omnes, tametsi pijs orationibus, tanquam fuco quodam, obducantur.* 1. *Aurium tinnitus.* 2. *Multiuaria alia obseruationes.* III. *Incantationum anilium vanitas.* 1. *Sunt superstitiosa gesticulationes.* 2. *Plurima eius genera enumerat S. Augustinus.* IV. *Superstitio gradus & dispositio proxima ad Magiam.* 1. *Sicut Scholastici in Schola, incipientes ab* A B C D. *paulatim vsque ad doctoratum progrediuntur.* 2. *Pueri furaces, à minimo incipiunt.* 3. *Habitus ab Actibus frequentatis.* 4. *Superstitio Nouitiatus Diaboli.* 5. *Lignum Viride, paulatim ad ignem disponitur.* V. *Vetularum incantatricum obiectiones dissoluuntur.* 1. Mensch hilff dir / Ich will dir auch helffen / Spricht Gott. ℟. *Nullibi hoc extare in scriptura. Et si extaret, de ordinarijs, & naturalibus remedijs esset intelligendum.* 2. *Sæpè iuuant.* ℟. *Vel per Diabolum vel casu; vel ex accidenti, ob gaudium, vel timorem, cuius rei duo verissima Exempla producuntur, de Matre, & Nobili milite.* VI. *Fuga peculiarium quarundam superstitionum.* 1. *Cognitio Amasij in prouigilio S. Andreæ.* 2. *Vulneraria amuleta.* 3. *Summa in his præsumptio; duo adducuntur Exempla, vera & noua.* 4. *Historia de quodã iuuene Coloniensi superstitiosa charta quasuis seras, aperiente: Visa tandem charta, nihil aliud quam, hæc verba in ea, reperiebantur: Ioannes est malus Nequam.* 5. *Impietas eorum, qui non curant, etiamsi à Diabolo iuuentur. Epilogus. Exhortatio vt amuleta omnia superstitiosa aboleantur.*

CONCIO VII.

De varijs superstitionum Diabolicarum modis, ac regulis, eas dignoscendi.

Filij hominum vsquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Psalm. 4.

CONTENTA.

Exordium à Malitia Diaboli, non solum creaturis, sed & sanctissimis Christi sanguine stabilitis Sacramentis, per administros suos ad cultum suum Diabolicum abutentis. Regula ad discernendas superstitiones. I. *Regula ad dignoscendas superstitiones.* I. *Efficacia rei attributa, quam nec habet ex natura, vel institutione* DEI, *aut Ecclesiæ.* 2. *Herba cum certis rithmis & vetularum demurmurationibus.* 3. *Virtus, imagunculis è cera, vel simili materia factis, attributa.* 4.

Res sacra ad res Viles adhibita. 5. characteres & ignota nomina. II. Superstitionum Variarum septem genera. I. Cultus DEI *putatiuus per res ineptas. 1. Multa eiusmodi in specie. 2. Ratio cur omnia talia damnentur. I. Opera certo die, nocte, hora, mense, anno facienda. 1. Plurima magno numero recensentur, ex quibus ritè perspectis, catera falsa diiudicabuntur. III. Genus: Ieiunia, Orationes, Eleemosyna, & similia opera, pro condiscendis occultis artibus, de quibus rosea crucis fratres, gloriabantur. IV. Ex somnijs, auium garritu, Volatu, pastu, futura augurari, & prædicere. V. Omnes morborum, exorcismi & incantationes, quibus Vetula Vtuntur. Omnes item exorcismi pecorum, & omnium rerum animatarum siue inanimatarum, qua omnes & singula, longissimo ordine recensentur. 2. Duplici insuper ratione refutantur. VI. Genus complectitur innumera alia morborum remedia, nulla naturali ratione fulcita. VII. Genus continet omnia superstitiosa media thesauros, Vel metalla in terra abscondita inueniendi. 1. Talis Virga inuentoria Vulgò* wunschelrutten. *2. Virunculus Mandragoreus. VIII. Vera morborum Remedia. 1. Confessio. 2. Sacra synaxis. 3. Vita pia. 4. Res sacra. 5. spes in* DEO. *6. Fuga magorum & incantatorum. 7. Ligatura Diabolica inuenta comburatur. 8. Millies moriendum potius quam Veneficium Vsurpandum. Epilogus. Exhortatio Vt in omni necessitate ad* DEVM *confugiamus.*

CONCIO VIII.

Excusationes vtentium superstitionibus; & eorum pœnæ.

Filj hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Psal. 4.

CONTENTA.

Exordium, à dicto Cleanthis Philosophi: Nihil esse tàm malum, quod non aliqua boni specie, Valeat inuolui, Vt in proposito morborum remedia superstitiosa. Est igitur. I. Excusatio incantatorum: Dæmon non ostendit homini remedia, quibus iuuetur, ℞. Nouit omnium herbarum Vires. 2. Prodest corpori, Vt tantò peius noceat animæ. 3. Apparet S. Hilarioni Vt Apothecarius. 4. Illaqueatos superstitionibus, minis inducit, Vt se illi totos dedant. Exemplum huius Prouinciæ. II. Excusatio, multos sanant. ℞. Diabolus exactè nouit herbarum Vires. 2. Cessat ab illatione mali. Verum ac spirans huius loci Exemplum. 3. Media superstitiosa, seuerissimè prohibet DEVS. *III. Excusatio: In Carminibus Eiuscemodi incantatorijs, adhibetur Crux, nomen* IESV *& Mariæ, orationes, ieiunia, Eleemosyna &c: ℞. sunt Laruæ Dæmonis: Nam & scripturis aliquando abusus est. 2. Tanto grauius nomen* DEI *blasphematur. IV. Excusatio: Homines boni talibus rebus sunt Vsi. ℞. 1. Non omnis bonus, qui talis apparet. 2. Si dubites an aliquid sit superstitiosum, recurrendum ad animarum Pastores. V. Pœna superstitiones Exercentium. 1. E scriptura. 2. E Iure canonico 3. E Iure ciuili. VI. Superstitiones captura Diaboli. Probatur historijs experientia compertis. 1. Quomodo sagæ paulatim seducant innocuas feminas, historia huius loci. 2. Cranium hominis demortui ex ossorio tollens, ad exercendas superstitiones, horrendè castigatur. 3. Vulnerarium Martis sigillum efformare cupiens Angeli Custodis apparitione, deterretur. Epilogus. Exhortatio Vt eiusmodi superstitiosa signa, & amuleta, è Medio tollantur.*

CONCIO IX.

Fuga octo peccatorum, quibus Diabolo Ianua aperitur, ad Magiam & veneficia introducenda; vel saltem, ad nocumenta varia, hominibus, & eorum possessionibus inferenda.

INDEX

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium; Apugnaturis cum hoste, qui Omnia Victoriæ impedimenta remouent vt reportent Trophæum. Remedium primum, contra omnes Diaboli insidias ac tentamenta. Diabolus vt piscator, perditionis hamo, varias Escas præfigit. I. *Otium Prima Diaboli Esca.* 1. *E scripturis.* 2. *Ex Patribus ostenditur.* 3. *Historia, veritas ipsa comprobatur.* II. *Esca Nimia Tristitia desperabundis cogitationibus coniuncta.* 1. *Eius varia nocumenta* 1. *E scriptura.* 2. *E sanctis Patribus explicata, & pulcherrimis similitudinibus inculcata.* 3. *Exemplum Theophili Archi Diaconi.* 4. *Exemplum alterius noti.* III. *Esca, Diaboli hamo inserta, Curiositas nimia Diaboli præstigias peruestigandi.* 1. *Hanc S. Augustinus vocat Magiæ occasionem.* 2. *Puer ex lectione historiæ D. Fausti seductus.* IV. *Esca, superbia.* 1. *Eius detestatio.* 2. *Exemplum Regis Nabuchodonosor* 3. *Visio B. Antonij, Mundus plenus laqueis.* 4. *Puella per superbiam, incidit in Magiam.* V. *Esca, Auaritia.* 1. *Eius infamis Turpitudo.* 2. *Origo omnium Malorum, ex S. Ambrosio.* 3. *Rete Diaboli in quo plerasque Sagas capit, non tamen eas ditat, licet promittat.* VI. *Esca luxuria.* 1. *Eius plurima detrimenta.* 2. *Virgines castæ & humiles non inueniuntur, in numero sagarum.* 3. *Libidinosè intuens nudam Veneris statuam à Diabolo obsidetur.* 4. *Puella à Natiuitate cæca, ex libidinosa imaginatione, ab incubo Diabolo, seducitur.* VII. *Esca consuetudo praua Dæmonem aduocandi.* 1. *Dæmonis promptitudo ad nocendum hominibus.* 2. *Hypotyposis Dæmoniacæ Crudelitatis, ex Cassiano.* 3. *Similia multa, à Mure, sorice, oue, ceruo apro, &c.* 4. *Historia de aduocante Dæmonem, ex S. Gregorio.* 5. *Alia multa historia tàm veteres quàm Neoterica.* VIII. *Esca Diaboli superstitio.* 1. *Eius damna.* 2. *Superstitiones diaboli Rudimenta.* 3. *Formidabile duorum coniugũ Exemplum.* 4. *Historia de S. Bernardo. Epilogus, Suadela fugæ, multiplicis huius Escæ, ne quis diaboli hamo capiatur.*

CONCIO X.

De diuina permissione, vt homines aut à dæmonibus arripiantur, & castigentur; aut maleficiorum illatione puniantur.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exordium à iurato hoste & semper ad nocendum parato, cuius consilia diligenter obseruantur, ab æmulo, ne quantum velit nocere possit. I. *Quæstio: Cur Deus tantam Dæmoni in homines potestatem permittat?* I. *Caussa: gloria Dei. Nam* 1. *Eminet exinde, Suauitas eius, in gubernando.* 2. *Clementia in homines.* 3. *Sapientia Dei.* II. *Caussa: Hominum vtilitas.* 1. *Patientia exercetur, vt in S. Iob.* 2. *Amor DEI probatur.* 3. *Humilitas acquiritur, vt patet in quodam Eremita.* 4. *Via ad virtutes struitur: Exemplum in S. Iuliano hospitatore.* III. *Caussa: Cõfirmatio & propagatio Fidei Catholicæ.* 1. *Sadducæi non credentes Dæmones, & Angelos confunduntur.* 2. *Peripatetici Philosophi in eodem errore comprehensi redarguuntur.* 3. *Atheismus Caluinistarum, & non credentium Sagas esse, Stolidus error, exploditur.* 4. *Exorcismis, & expulsionibus Dæmonum, Fides Catholica propagatur.* 5. *Dæmones irrident Lutherum & Caluinum, & omnes tàm Lutheranos, quàm Caluinianos Prædicantes: historia plurima.* 6. *Quatuor pueri Exorcismis Catholicorum Sacerdotum, à Dæmonum homagijs, in hac ciuitate liberati.* IV. *Caussa: Peccati vindicta siue proprij siue alieni.* 1. *De alieno constat exemplo discipuli S. Eleutherij, & infantis.*

fantis, propter parentem occisi. II. *Quæstio. Cur Deus permittat, paruulos, adhuc innocentulos, à Dæmonibus infestari, & quandoq; occidi?* I. *Quo ad baptizatos.* 1. *Præseruatio à peccatis.* 2. *In pœnam parentum.* 3. *Effectus prædestinationis paruulorum impletur.* II. *De non Baptizatis.* 1. *Misericorditer agit cum illis* 2. *Præuidet Malam ipsorum vitam.* III. *Cur Dæmon & Sagæ potißimum, non baptizatis paruulis insidiantur?* 1. *Quia qui eos necant, grauius peccant, vtramque vitam, eis eripientes.* 2. *Parentum extrema malitia, qui proprios filios Diabolo immolant.* 3. *Obstetrices diligenter obseruandæ, quia eæ plurimum sunt Sagæ.* IV. *Caussa.* 1. *Infantulorum ætas imbellis, ad resistendum.* 2. *Ex illorum corpusculis petunt instrumenta maleficialia.* 3. *Conficiunt exinde Diabolicum suum vnguentum. Venena præbent prægnantibus, vt talibus pueris potiantur.* 5. *Infantuli non baptizati; in loco publico sepeliendi.* III. *Quæstio;* *An Magistratui etiam, & Iustitiæ Ministris poßint nocere?* ℞. *Negatiuè, de pijs præsertim & timentibus Deum, Deus tamen ob maius bonum, id aliquando permittit.* 3. *Lamia quædam solo halitu carnifici lepram afflauit.* 4. *Duo alia exempla.*

CONCIO XI.

Duæ Quæstiones aliæ, de Permißione diuina; Cur sinat Deus, vt Sagæ adeò horrendè abutantur Eucharistia? Cur tantus earum numerus, etiam inter Catholicos Orthodoxos?

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare, aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium. A mancipijs, quæ Dominis ad nutum seruire coguntur: Sic & Sagæ Diabolo, præsertim in violatione sanctißimorum Sacramentorum. I. *Historia Sacrilegæ prophanationis Augustißimi Eucharistiæ Sacramenti.* 1. *Mulier saga communicans, extrahit sacram hostiam, vt sæpius alias fecerat.* 2. *Capta fatetur crimen, & complices.* 3. *Dæmon à longè spectat, exhonorationem sacræ hostiæ.* 4. *Vetula peßima, quæ alias seduxerat, insensibilis est in tormentis.* 5. *Eidem Dæmon in carcere, ceruices fregit.* 6. *Condemnatæ ad ignis supplicium, multa abominanda fatentur.* II. *Quæstio: Cur talia Deus permittat, cum longè leuiores in sacram Eucharistiam Iniuriæ, seuerißimè à Deo fuerint vindicatæ?* 1. *Historia de pastoribus.* 2. *De quodam rustico in Belgio.* 3. *De pueris Apameensibus* 4. ℞. *ad propositam quæstionem; id non esse mirum, cum atrociora Christus perpessus sit, in corpore paßibili.* 5. *Caussa permißionis vt Sagarum scelera innotescant, & à Magistratu puniantur.* III. *Q. Cur inter Catholicos, Orthodoxos tot Sagæ?* ℞. 1. *Est signum veræ fidei in Ecclesia Catholica, in qua saluos fieri oporteat credentes.* 1. *Quia Diabolus non nisi bono insidiatur.* 2. *Hostis Zizania seminat solùm, in triticum agri Dominici.* 3. *Verã Fidem non hæresim impugnat.* 4. *Non quærit quod antea habet in potestate.* IV. *Q. Annon tales etiam Sagæ, inter Lutheranos, & Caluinistas?* ℞. *Vtique.* 1. *Exemplum de Muliere Lutherana, quam Prædicans prodidit, cui peccatum erat confessa.* 2. *Duo exinde maxima bona, colligit Deus.* V. *Historia alia de Saga Caluiniana verè conuersa, in oppido Vvisbadensi.* 1. *Ea sibimet vitam eripere tentat.* 2. *Culpam reijcit in Ministros Caluinianos.* 3. *Concipit spem salutis, & cupit mori in Ecclesia Catholica.* 4. *Et in ea perseuerat.* 5. *Admiranda eius constantia, & Professio Fidei Catholicæ, in extremis.* 6. *Ouis perdita à Christo pastore, lupi faucibus erepta.* 7. *Quantum boni, ex malis istis collegerit, Bonitas Diuina. Epilogus: Exhortatio ad Sagas vt similiter conuertantur.*

CONCIO XII.

Sex peccatorum genera, ob quæ Deus permittere solet, vt homines, aut à Dæmonibus torqueantur, aut maleficiorum illatione, puniantur.

Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis DEVM, annon? Deuteron. 13.

CONTENTA.

Exordium A Dei clementia & bonitate, quæ mala nobis ab hoste maligno intentata in bonum nostrum, conuertit. Est tanquam medicus & nauis gubernator. I. *Peccatum primum ob quod solet Deus Vexationes Diabolicas permittere. Contumacia erga parentes & superiores.* 1. *Exempla de sacra scriptura.* 2. *E Vita S. Zenobij, mater ab immorigeris filijs, male habita, imprecatur illis infernales furias.* 3. *Mater alia è S. Augustino, contumacibus filijs, Dæmonem imprecatur; qui subitaneo tremore, corripiuntur.* II. *Odium & inuidia erga proximum.* 1. *Exemplum Regis Saul.* 2. *Noddo quidam inuidia flagrans erga S. Arnulphum, ab igne à Dæmone excitato, in partibus Verendis turpiter amburitur.* III. *Libido carnalis.* 1. *Exempla scripturæ.* 2. *Historia de Iuuencula, ideò obsessa, è S. Hieronymo.* 3. *Alia nudam Veneris statuam intuens.* 4. *Lasciuis obscænitatibus, Dæmones impensè delectantur.* IV. *Afflictio & cædes bonorum ac piorum.* 1. *Historia de Geilana interfectrice S. Kiliani.* 2. *Rex Bolestaus hostis S. Stanislai.* 3. *Calumniatrix S. Gregorij Agrigentini.* V. *Impugnatio agnitæ Veritatis.* 1. *S. Pauli comminatio.* 2. *Nobilis Romanus impugnans S. Ottonem, Verbum Dei prædicantem.* VI. *Blasphemia.* 1. *Sartorem blasphemum Diabolus in specie araneæ corripit.* 2. *Blasphemantes SS. Sacramenta, quàm grauiter peccent?* 3. *Dæmon accipit potestatem in blasphemos, exemplo quinquennis pueri, apud S. Gregorium.* 4. *A Diabolo & morbo sontico correptus.* 5. *Alius à Dæmone correptus, inflata lingua exanimatur.* 6. *Reiectio friuolæ excusationis, non intendo sancta Sacramenta blasphemare.* 7. *Nec consuetudo excusat, sed aggrauat peccatum.* 8. *Periculum malæ consuetudinis. Epilogus. Exhortatio ad fugam prædictorum peccatorum.*

CONCIO XIII.

Octo alia peccatorum genera, ob quæ Deus permittere solet, vt homines, aut à dæmonibus infestentur, aut à maleficis, mediantibus Diabolicis ligaturis, lædantur.

Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias Diaboli Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium. Qui aduersario nocere cupit oportuna ad id media quærit. Vnde Diabolus omnem Vitam nostram solertissimè obseruat. I. *Periurium.* 1. *à DEO seuerè prohibitum.* 2. *Eius periculum.* 3. *Nemo facilè ad iurandum prouocandus.* 4. *Vindicta diuina prouocantium alios ad iurādum, in plurimis Exemplis.* 5. *Periuria summè periculosa.* II. *Imprecatio dæmonis.* 1. *Virgo seipsum dæmoni deuouens comedit diabolum, in specie Muscæ.* 2. *Diabolum aduocans, damno suo præsentem sentit.* 3. *crucis signum Omittens, à dæmonibus per scalas deturbatur.* 4. *Dæmones ad conuiuium Vocat Nobilis; Et comparent.* 5. *Virgo temere sub attestatione Diaboli nubens, & retractans à Diabolo rapitur.* 6. *Hospes pecuniæ Crumenam militi negans ac diris se deuouens, dæmoni in prædam cedit.* 7. *Alius à Diabolo mirandum in modum exagitatur.* III. *Vsura* 1. *Historia de VVertamensibus Monialibus.* 2. *Vsura aperit Ianuam Diabolo, ad nocendum.* IV. *Duritia erga pauperes.* 1. *Eleemosynas erogantes non possunt nocere Sagæ.* 2. *Denegantes possunt nocere.* V. *Irrisio rerum Sacrarum.* 1. *Proculus Arianus Altarium pallas prophanans.* 2. *Donatistæ à canibus proprijs laniati.* VI. *Indignè communicantes.* 1. *Ex S. Paulo.* 2. *Exemplum Epachij presbyteri, è S.*

ri, è S. Gregorio Turonensi. VII. *superstitiosi.* 1. *Puerpera superstitioso vtens amuleto, à dæmonibus molestatur.* 2. *infantulis ex superstitione, Epilepsia caussatur.* 3. *Ob superstitionem, spectrum impedit vsum Matrimonij.* VIII. *Violatio festorum; Et inprimis Patronorum.* 1. *Exempla plurima recensita.* IX. *Cur Diabolus vtatur opera Magorum & sagarum, cum damna per se possit inferre?* 1. *credit se maiorem* DEO *iniuriam inferre.* 2. *Quædam per homines potest, quæ per se non potest. Epilogus, superstitiones Diaboli Rudimenta, omnium maximè fugienda.*

CONCIO XIV.

Remedia specialia, contra Diaboli & magorum atque sagarum vexationes; I. Remedium fidei Catholicæ Firmitas: II. Remedium vita innocens & fiducia in Deum inconcussa.

CONTENTA.

Exordium à Duce milites lustrante & armante. I. *Fides Catholica constans & firma.* 1. *Fidei scutum ab Apostolo commendatum.* 2. *consilium S. Antonij, cum aliquot alijs historijs.* 3. *Diabolus fatetur infirmitatem suam, contra habentes veram fidem.* 4. *S. Iustina Virgo, fide firma vincit libidinosas Diaboli tentationes.* 5. *Fidei Professione S. Odulphus, fugat Dæmonum spectra.* 6. *Fide inconcussa S. Norbertus fugat dæmonem in specie vrsi.* 7. *Dæmonum Oracula, à fide Christi exterminantur.* II. *Remedium vita innocentia cum fiducia in Deum.* 1. *Eius commendatio.* 2. *Fiducia nascitur ex inculpabili vita.* 3. *Dæmon similis peruicaci, & litigiosæ mulieri.* 4. *Resistentia fugatur diabolus.* 5. *Exemplum fiduciæ in S. Ambrosio.* 6. *In S. Item Martino. Epilogus, Exhortatio ad vitæ innocentiam ac puritatem.*

CONCIO XV.

Tertium & qnartum Remedium speciale, contra Diabolicas infestationes: Quotidiana Diaboli abrenunciatio: Et recursus ad Patres spirituales.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium, ab ijs qui pudicitiæ Virginum insidiantur, & ægrè ferunt, eos repudiari, & eorum secreta, parentibus aperiri: Ita diabolus, qui animas ad nefanda solicitat, & inducit. I. *Abrenunciatio medium.* III. 1. *Eius virtus ex scriptura.* 2. *Prolixè suadetur, à S. Patribus.* 3. *Supra modum terret diabolum. Historia de Christianis in Iaponia. Mulier item saga resipiscens.* 4. *Sagarum confessio, de Efficacia abrenuntiationis.* II. *Medium* IV. *Recursus ad Ecclesiæ Pastores.* 1. *scriptura & in ea contenta Exempla.* 2. *S. Patres eam consulunt.* 3. *similis præco diabolus.* 4. *complures historia, de S. Macario, S Gregorio Thaumaturgo, S Basilio, S. Bernardo &c.* 5. *Facultas & potentia huius medij, historia ex Martino Del Rio. Epilogus: Monitio ad confidentiam erga Patres spirituales.*

CONCIO XVI.

Remedium V. & VI. & VII. Ieiunium, Eleemosyna, & oratio feruens atque deuota.

INDEX

Induite vos armaturam Dei vt possitis stare &c. Eph. 6.

CONTENTA.

Exordium. A duobus Medici corporalis officijs: sunt ea cognitio morbi: Et prospectio de Remedijs. Idem præstitit cœlestis animarum nostrarum Medicus. I. Remedium V. ieiunium. 1. Eius virtus. 2. Historijs efficacia ieiunij comprobatur: vsus est eo S. Auxentius, S. Procopius, S. Euphraxia &c: II. Remedium VI. Eleemosina. 1. A scriptura commendatur. 2. ieiunio copulata multum potest; Et ieiunium sine misericordia nihil est, quod octo similitudinibus ostenditur, à B. Petro Chrysologo. 3. Confessio sagarum de Eleemosina. 4. Eleemosinam denegans, periclitatur ne à sagis lædatur. 5. Hatto immisericors à dæmonibus, in specie Murium deuoratur. 6. Alia DEI vindicta in similem erga pauperes Euclionem III. Remedium VII. Oratio 1. Vincit diabolum. 2. Efficacissima Piorum hominum orationes, Pater, Aue. 3. Rosarium; quo dæmon fugatur ab obsessa. 4. Litania Ecclesiæ; additur historia. 5. Ieiunio & oratione, dæmon succubus fugatur. Epilogus; exhortatio ad induendam hanc armaturam DEI.

CONCIO XVII.

Rursum alia duo Remedia, contra infestationes Diaboli, & eius mancipiorum; VIII. Corporis Castigatio. IX. Et Pœnitentiæ, post lapsum, acceleratio.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exordium. Sicut non vno eodemque armorum genere milites in bello vtuntur; sic pluribus armis spiritualibus, contra dæmones dimicandum. I. Remedium VIII. Carnis & corporis Castigatio. 1. Suadetur in scriptura. 2. Mortificationis vtilitas 3. S. Benedictus, dæmonem virga fugat. 4. Ab alio similiter dæmon profligatur. 5. obsessa iussu S. Hildegardis, virga percutitur & liberatur. 6. S. Franciscus Xauerius vtitur flagellis. 7. & S. Pater Seraphicus Franciscus. II. Remedium IX. Pœnitentiæ, & Confessionis, post lapsum, acceleratio. 1. Consilium huius remedij. 2. Peccator Mancipium diaboli 3. Confessi peccata, illicò à dæmone liberati. 4. Peccato adhuc in anima hærente, nullo medio dæmon expelli potest. 5. Confessionem accelerandam, plurimis historijs Suadetur. 6. Huius loci Exemplum. Epilogus Redargutio eorum qui huiusmodi remedia explodunt.

CONCIO XVIII.

Remedium X. Confessio integra omnium peccatorum, & quandoque totius vitæ anteactæ.

Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exord. Multis modis oppugnat nos dæmon: Multa remedia nobis prouidit Deus, quorum præcipuum, integra confessio. I. Confessio integra Remedium X. 1. Peccata, vincula, quibus dæmon ligatos tenet homines. Efficacia integræ confessionis. 3. Mustela contra serpentem vtitur ruta: Nos contra Diabolum integra confessione. 4. Dæmonis Testimonium, de Integra confessione. 5. Alia dæmonis lamentatio de Integra confessione. II. Necessitas Integræ confessionis. 1. Asmodæi tentationibus, opponenda integra confessio. 2. Exemplum feminæ peccata in confessione occultantis. 3. Concubina ab incubo dæmone liberatur. 4. Alius à succubo, pura confessione liberatur. 5.

Confi-

Consilium B. Catharinæ, filiæ S. Brigittæ, de Integra confessione. 6. Tempestas ab incubo dæmone excitata, sedatur. III. *Exempla recentiora, de virtute integræ confessionis* 1. *Puer nobilis præuia confessione, ab importunissimis dæmonum tentationibus, liberatur.* 2. *Turpis amor vnà cum dæmonum spectris fugatur.* 3. *dæmoniaca vexatio excutitur.* 4. *Furor & dæmonis agitatio cassatur.* IV. *Omnia dæmonis phantasmata pellit integra confessio.* 1. *Pauor & formido, à dæmone immissa abiguntur.* 2. *Impugnatio diabolica exterminatur.* V. *Infestatio dæmonis in hora mortis, integra confessione in nihilum redigitur.* 1. *Historia ex vita S. Guidonis.* 2. *Incantationibus vti quàm periculosum?* VI. *Confessio integra, abolet diabolica stigmata, & characteres.* 1. *dæmon non amplius nouit integrè confessos.* 2. *Stigma diabolicum facta exomologesi integra, euanescit* 3. *Annis triginta dæmoni obstrictus, eius characterem abolet, & ab eo non amplius cognoscitur.* 4. *Signum diaboli disparet. Epilogus. Exhortatio Sagarum ad pœnitentiam.*

CONCIO XIX.

Remedium vndecimum: Eucharistiæ sumptio formidabilis dæmoni; Et eius virtute Expellitur ab obsessis.

Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias Diaboli Ephes. *6.*

CONTENTA.

Exordium: A fraudulentia dæmonis, qui nos sicut pecora, propositis escis allicit. I. *Sacramentum Eucharistiæ, summæ virtutis, contra Malignos hostes.* 1. *Mensa Domini nos armat & confortat.* 2. *diabolus formidat dignè communicantes.* 3. *Eucharistiæ virtutes, similitudinibus elucidantur.* II. *Pellit dæmones ab obsessis.* 1. *Caro Christi antidotum, contra omnia diaboli venena.* 2. *Calix admotus gutturi obsessæ* 2. *S. Auxentij discipulus Curatus.* 4. *Alia à sancto Bernardo per sacram hostiam sanata.* 5. *S. Eucharistia capiti imposita, pellit dæmonem* 6. *Moniales Quercetanæ in Belgio, liberatæ per attestationem veritatis corporis & sanguinis Christi, in Eucharistia.* 7. *Similis Liberatio, Nicolaæ Laodunensis obsessæ.* 8. *Eodem medio Adolescens dæmonum vexationi eripitur.* 9. *Sacerdotis digitos, quibus sacram tangit hostiam dæmon mordere non potest. Epilogus: Exhortatio ad sacram synaxin dignè sumendam.*

CONCIO XX.

Duo alij Eucharistiæ effectus; Præstigiarum Diaboli dissipatio: Et maleficiorum dissolutio. Mira insuper sacrificij Missæ virtus contra malignos hostes.

Induite vos armaturam DEI vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. *6.*

CONTENTA

Exordium. Vt Sacramentum istud omnium cœlestium charismatum Gazophylacium, ita omnium præsidiorum diuinorum, fons & scaturigo. I. *Præstigias dissipat.* 1. *Dæmoniaca fascinatio, & visio Regis & Reginæ, cum toto cœlesti, sed phantastico exercitu, mediante Sacra hostia, euanescit.* 2. *Simile contigit alteri Sacerdoti.* 3. *Siccis pedibus in aquis ambulantes, submerguntur.* 4. *Ignis accenditur, quo hæretici comburuntur.* 5. *Ad Eucharistiæ præsentiam Dæmones euanescunt.* II. *Maleficia dissoluit.* 1. *Mulier in equam conuersa.* 2. *Aliæ Dæmonis ludificationes cassantur.* 3. *Tabe diuturna, ex Philtro ab vxore structo, ferè consumptus, persanatur.* 4. *Iuuencula a-*

cula acus & ligneos sudes emittens, per sacram communionem, à S. Petro Tharentasio curatur. III. *Missa sacrificium.* 1. *Domus infesta à Dæmonibus purgatur.* 2. *Castrum à malis genijs infessum, liberatur.* 3. *Locustarum multitudo, à Diabolo immissa, fugatur.* 4. *Varia domus & habitationes Dæmonum impugnationibus euacuata.* 5. *Maleficarum confessio de sacrificio Missa.* 6. *Malefica eidem Sacrificio præsentes, à Dæmone verberari non possunt.* 7. *In asinum vti videbatur transmutatus humanam recipit formam.* *Epilogus, exhortatio, ad audiendum quotidie sacrificiū Missa.*

CONCIO XXI.

Remedium Duodecimum, contra Diabolum, & omnes eius præstigias Sacramentum Baptismi.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus omnes insidias Diaboli. Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium. Arma & præsidia spiritualia sunt septem Sacramenta, quæ Dux noster Christus, militibus suis procurauit. I. *Baptismi Virtus.* 1. *Dæmones sicut Scorpij in aquis Baptismi submerguntur, ex S. Cypriano.* 2. *B. Maria Oegniacensis videt, fugato diabolo, spiritum sanctum descendere, super infantem baptizatum.* 3. *Tyridates Armeniæ Rex, cum suis, in porcos mutati, Baptismo & humanam formam, & mentis integritatem, recipiunt.* II. *Fœtus monstrosus Baptismo restitutus humanæ speciei.* 1. *Magnus Cham turpem fœtum non agnoscit pro suo sed pro adulterino.* 2. *Baptizatur instantia matris & pulcherrimus apparet.* 3. *S. Antoninus asserit fraude & fascino Diaboli fœtum adeò deformem apparuisse, vt Matri Christianæ periculum crearet.* III. *Insignis victoria à Diabolo per Baptismum reportata.* 1. *Indus iuuenis sitit Baptismum.* 2. *A diabolo mirè vexatur.* 3. *Baptizatus liberatur.* IV. *Securitas à Diabolo ex Baptismo.* 1. *Obsessa liberatur.* 2. *Dæmoniū in forma canis abigitur.* 3. *Dæmon in forma vulpis effugatur. Epilogus, exhortatio, vt sæpius renouetur abrenunciatio, facta in Baptismo.*

CONCIO XXII.

Remedium Duodecimnm, & Decimum tertium, è duobus Sacramentis, confirmatione & extrema vnctione, desumptum.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium. E pharetra depromuntur sagittæ, quibus corporei hostes sauciantur. E sacramētis media, quibus Diaboli Machinationes, exterminantur. I. *Remedium XII. Confirmatio.* 1. *Ad quid prosit hoc Sacramentum, post Baptismum?* 2. *Responsio Melchiadis Papæ: in Baptismo eligimur in militiam Christi: in confirmatione armamur ad pugnam contra Diabolum.* 3. *Dæmonū sacrificia, olim non ferebant Chrismate vnctum.* 4. *Exemplum Iuliani Apostatæ.* 5. *Admiranda virtus sacri Chrismatis.* 6. *Insignis Fidei professio, facta ab inuncto Chrismate.* 7. *Sacri Chrismatis vnctio caussa persecutionis Christianorum, in Ecclesia primitiua.* 8. *Sacro Chrismate à Cæco fugatur Diabolus.* 9. *Puer item Lunaticus curatur.* 10. *Maleficiati coniuges, eodem medio sanantur.* II. *Remedium XIII. Extrema vnctio.* 1. *Christus instituit extremam vnctionem.* 2. *Oleo extremæ vnctionis Dæmoniaca vulnera curantur.* 3. *Eodem S. Launomarus morbos & maleficia curat.* 4. *Et S. Parthenius.* 5. *S. item Auxentius.* 6. *S. Paternus Abrincensis Episcopus.* 7. *S. VVinvvalocus.* 8. *Eutychius Patriarcha. Epilogus. Admonitio, ne hæc media parui fiant aut contēnantur.*

CON-

CONCIO XXIII.

Remedium Decimum quartum, contra Malignos genios, & omnes complicum eius malignitates, ordinis Sacramentum; Exorcistatus præcipuè, cum Ecclesiæ Catholicæ Exorcismis.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare, aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium. Sicut in benè constituta Republica sunt apparitores, Ministri Iustitiæ, & alij, qui subditos à latronum. & pradonum insidijs, protegant; Sic Christus in Ecclesia, sua, sacerdotibus potestatem reliquit, dæmones coërcendi. I. *Remedium XIV. Ordinis Sacramentum.* I. *Christus reliquit Ecclesia sua potestatem Dæmones coniurandi, & in ordinem redigendi; quidquid oggerant Caluinus & Beza.* 2. *Probatio è scripturis.* II. *Caluinistarum redargutio ex Patribus & sanctis Ecclesiæ Doctorib.* 2. *Exorcismi Ecclesiæ sunt Tortura & Equuleus dæmonũ; Itidẽ est sanctorũ Patrũ Doctrina.* III. *Efficacia Exorcismorũ exẽpla.* I. *Nouatus obsessus, liberatur à sacerdotibꝰ Catholicis.* 2. *Monachi Antiocheni.* 3. *S. Vitus.* 4. *S. Cyriacus.* 5. *S. Cyrillus* 5. *S. Adolinus.* 7. *S. Maurilius.* 8. *Historia 4. puerorũ sanguine proprio, dæmoni deuinctorũ.* IV. *Q.* I. *Cur Exorcismi sẽper terminẽtur, cũ obtestatione Iudicij extremi, per eum qui venturus est, iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem?* 2. *Quæstio II. Cur non semper Dæmones Exorcismis fugentur?* 3. *Q. III. Ad quæ Dæmonis mala dissipanda Exorcismi præcipuè ordinentur?* 4. *Maleficia, nihilominus etiam quandoq; curantur.* V. *Digiti Sacerdotales vncti, coercent Dæmones.* I. *Energumena Montales.* 2. *Vera huius ciuitatis historia. Epilogus. Hæc Sacerdotum potestas contra Dæmones, verum Ecclesiæ Christi signum. Admonitio, vt in necessitatibus ad hanc Dei armaturam confugiant.*

CONCIO XXIV.

Remedium Decimum quintum contra Dæmones, & eius operariorum molitiones, Matrimonij Sacramentum.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

CONTENTA.

Exord. In Officina Medicamentaria, multa morborum remedia: Ita in pixidibus septem Sacramentorum, varia, contra Dæmonum insidias auxilia. I. *Matrimonio piè vtentes non possunt lædi à Diabolo.* 1. *Id docet scriptura.* 2. *Experientia, ex historijs.* 3. *Res hic etiam comperta.* II. *Quanti apud Deum meriti, sint coniuges honesti & casti; quàm formidabiles Diabolo?* 1. *Historia ex Cassiano, de Ioanne Abbate, qui non poterat Dæmonem eijcere, quem vir vxoratus & laicus statim eiecit.* 2. *Pij & iusti hominis exemplum.* 3. *Dæmon eius præsentiam non tolerat.* III. *Fides Matrimonialis quàm strictè obseruanda?* 1. *Christi monitum.* 2. *Historia mirabilis de Annulo & statua, superius etiam, sed alio fine descripta.* 3. *Mirabile à spectris proueniens Matrimonij impedimentum.* 4. *Visio spectrorum.* 5. *Quam periculosum, vti opera maleficorum ad depellendum maleficium.* 6. *Historia præcedentis Documenta.* 1. *ad Adulteros.* 2. *ad Matrimonij prophanatores.* 3. *Ad eos qui maleficium maleficio pellere satagunt.* IV. *Mulierum amor maleficijs non captandus.* 2. *Historia terribilis ex Siffrido Presbytero. Epilogus. Exhortatio ad Coniuges vt Matrimonio castè ac sobriè vtantur.*

CONCIO XXV.

Remedium Decimum sextum; Inuocatio deuota nominis IESV. Sanctum & terribile Nomen eius. Psalm. 110.

In Nomine meo Dæmonia eijcient. Marci 16.

Induite vos armaturam DEI vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium: A Maiestate Nominis IESV, *quam Malachias Propheta, longè antea prædixit.* I. *Remedium XVI. Excellentia nominis* IESV. 1. *Est prædestinatum.* 2. *Præfiguratum.* 3. *Prophetatum.* 4. *Prænunciatum.* 5. *Reuelatum.* 6. *Multis modis gratiosissimum.* 1 *Quia gloriosum.* 2. *Venerabile.* 3. *Desiderabile.* 4. *Delectabile.* 5. *Admirabile.* 6. *Amicabile.* 7. *Consolatorium.* 8. *Gaudio plenum.* 9. *Nomen excelsum.* 10. *Oleum effusum. Oleum quia condit cibos, & illuminat.* II. *Præclarissimæ Virtutes Nominis* IESV I. *In Nomine* IESV *exaudimur.* 2. *Dirigimur in viam salutis.* 3. *Nomen* IESV *iustificat.* 4. *Auget gratiam & gloriam.* 5. *Procurat salutem.* 6. *Illuminat mentes.* 7. *Inflammat ad amandum.* 8. *Roborat mentem in aduersis.* 9. *Compescit malas cogitationes* 10. *Vincit omnes Diaboli tentationes.* 11. *Subitanea pericula fugat.* 12. *Cohibet terræmotum.* 13. *In nomine* IESV *miracula fiunt. Conuersio S. Dionysij per Nomen* IESV. 14. *Eodem roborantur Martyres ad agonem.* 1. *Scriptura.* 2. *Exemplum S. Agathæ.* 3. *S. Ignatij Martyris.* III. *Nomen* IESV *vincit Dæmones, & eorum præstigias eneruat.* 1. *Scriptura.* 2. *Nomen* IESV, *terret Dæmones, vt Tonitru.* 3. *Exemplum S. Antonij Paduani.* 4. *S. Ignatij Loiolæ.* 5. *S. Bernardi.* 6. *Mulier suasu Diaboli suspensa, inclamato Nomine* IESV, *liberatur.* 7 *Nomen* IESV *inclamans, à portante Diabolo è sublimi deijcitur.* 8. *Impius Caluinista à Dæmonibus raptus, audito Nomine* IESV, *ex alto præcipitatur.* 9. *Infans in Nomine* IESV *Dæmonibus ereptus. Epilogus. Suasio, vt Nomen* IESV, *sit refugium & Asylum nostrum.*

CONCIO XXVI.

Remedium Decimum septimum; Inuocatio Nominis gloriosissimæ Virginis Mariæ.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

Et Nomen Virginis Maria. Luc. 1.

CONTENTA.

Exordium. A quo graui damno affecti sumus eius Nomen à Natura exhorrescimus. Id contigit Dæmonibus per virginem, vnde post Nomen IESV, *nullum magis Nomen quàm Virginis* MARIÆ, *pertimescunt.* I. *Sanctitas Nominis Mariæ.* 1. *E scripturis sacris.* II. *Eiusdem dignitas à S. Patribus declarata.* 1. *Honor eius.* 2. *Elogia varia.* 3. *Vtilitates.* 4. *Virtus contra Dæmones.* III. *Historia, de Efficacia nominis Mariæ.* 1. *De Theophilo Archidiacono.* 2. *Alia, ex Horatio Tursellino,* IV. *Alia eiusdem Argumenti, Historia, è vita B. AEgidij Dominicani, Patria Lusitani, desumpta.* 1. *Eius iuuentus & ingenium.* 2. *Profectio è Lusitania in Galliam, ad Parisiensem Vniuersitatem, dum se Diabolus ei via comitem adiungit.* 3. *Ab eodem Necromantiam & Magiam condiscit.* 4. *Obligat se Diabolo proprio sanguine.* 5. *Angelus custos, in forma Equitis cataphracti, lancea eum territat, vt resipiscat,* 6. *Instar Sauli, ad pœnitentiam perurgetur.* 7. *S. Dominici Ordinem ingreditur.* 8. *Per virginem recuperat sanguinis Chirographum.*

9. *Pluri-*

9. *Plurimas Dæmonis tentationes, admirabili patientia vincit.* 10. *Querela Dæmonum, de B. Virgine, ex quadam obsessa.* 11. *Eorundem querela de S. Christophoro, S. Catharina, S. Barbara.* V. *Obsessi liberati.* 1. *Puella Anglicana.* 2. *Liberatus apud D. Virginem Dettelbacensem.* 3. *Religiosus à Dæmonibus præseruatur.* 4. *Dæmonem Sympotam aduocans, à Dæmonis infestatione, Virginis Nomine liberatur inuocato.* 5. *Puerpera Zabernensis.* 6. *Notabile aliud beneficium, inuocatione Nominis virginalis, duobus coniugibus collatum.* 7. *Mala non solum à bonis, sed & pecoribus, atque iumentis dispellit. Epilogus; Exhortatio ad Patrocinium Nominis virginalis implorandum.*

CONCIO XXVII.

Remedium Decimum Octauum, Angeli Custodis Tutela.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus Insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exordium. A Prouidentia DEI, *quæ per Angelos Tutelares, non solum Diaboli tentationes, sed & corporeas infestationes irritas reddit.* I. *Beneficium Angelicæ tutelæ.* 1. *Ex scripturis.* 2. *Dæmonum potestas nihil est ad Angelicam potestatem comparata.* II. *Beneficij huius Magnitudo ex S. Patribus deducta.* III. *Angelicæ custodiæ virtus, ex historijs probata.* 1. *S. Golanduch, Persicis Magis, Dæmones in ipsam immittentibus, ab inflictis vulneribus per Angelum custodem curatur.* 2. *Gulielmus Sarisberiensis fatetur, se ab Angelo custode præseruatum, ne à Præceptore suo Mago, seduceretur. Ibidem, eiusdem aperta Professio de Angelica tutela.* 3. *Sortilegijs & veneficio dediti, variè puniuntur eodem Sarisberiensi teste.* 4. *Visio Mirabilis S. Theodosij Abbatis. Quomodo S. Angelus custos, cum alijs Angelis iuuent pugnantes, vt à Dæmone victoriam reportent.* 5. *Ex hac historia duo Documenta.* 6. *Historia de Beato Iacobo Ordinis Prædicatorũ, qui toties videbat Angelum custodem, sibi assistentem, quoties à Dæmone impugnabatur.* IV. *Diabolus etiam Sanctos infestat.* 1. *S. Antonius.* 2. *S. Moyses Abbas; eius visio mirabilis.* 3. *Ad Angelica præsidia quando præcipuè confugiendum. Historia de Gaina Tyranno & S. Ioanne Chrysostomo. Epilogus. Exhortatio, vt Angelicam tutelam diligenter quæramus, & veraciter impetremus.*

CONCIO XXVIII.

Remedium Decimum nonum. Sanctorum Lipsana & Reliquiæ.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exordium; Ab Amore, quo Deus Sanctos prosequitur, honorando non solum eorum animas in cœlo, sed & corpora in terris. I. *Reliquiæ Sanctorum fugant Dæmones, & eorum phantasmata dissoluunt.* 1. *Sanctorum Principatus, in quo consistat.* 2. *Reliquiæ fontes beneficiorum cælestium.* 3. *Clauus Dominicæ Crucis.* II. *Aliarum Reliquiarum Virtus.* 1. *Cathena S. Petri.* 2. *Pulueres è sepulchro S. Martini,* 3. *Sepulchrum SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.* 4. *In Flandria, pluribus in locis.* 5. *Apud sepulchrum S. Heriberti* 9. *S. Richarij.* 7. *S. Ludgeri.* 8. *Reliquiarum præsentiam non ferunt Dæmones.* 9. *Moderna Experientia.* III. *Obsessi liberãtur.* 1. *Reliquiæ S. Geruasij & Prothasij, ex S. Augustino. Ibidem. Oculi à Dæmone excussi, mira persanatio.* 2. *Filius Terentiani.* IV. *Non solum Ossa, sed & alia Lipsana, tali Virtute præpollent.* 1. *Capilli S. Vincentij.* 2. *Eius Vestes.* 3. *Reliquiæ S. Patris Ignatij.* V. *Reliquiarum applica-*

plicationi superstitiones non admiscendæ. 1. Vnguentum fluens ex ossibus S. Glyceriæ Martyris, quare fluere cessarit? 2. Sanctorum corpora Bambergæ asseruata. Epilogus. Exhortatio ad Cultum & honorem Sacrarum Reliquiarum.

CONCIO XXIX.

Remedium Vigesimum, coutra Dæmonem, & omnes eius præstigias; Vsus signi sanctæ Crucis.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exordium. Milites Clypeis & Scutis, hostium Sagittas excutiunt. Christiani vt olim, in primitiua Ecclesia: Ita & nunc, vtuntur signaculo Crucis. I. *Dæmoum spectris, & eorundem Molestijs signum Crucis omnitempore obijciendum.* 1. *Id suadent S. Patres.* 2. *Consilium S. Antonij.* 3. *Eiusdem & S. Hilarionis praxis.* 4. *Idem vsurpauit S. Abramius.* 5. *Et S. Landulphus Episcopus.* 6. *Crucis signo S. Maria Magdalena, à Dæmonum terriculamentis, immunis redditur.* II. *Crucis signum, Dæmones exhorrescunt, eoq; fugantur.* 1. *Assertio SS. Patrum.* 2. *Doctrina S. Augustini, & Lactantij.* 3. *Dæmonum Sacrificia, Crucis signaculo disturbantur.* 4. *Historia, à Prudentio descripta, de Iuliano Apostata.* 5. *Ipse Iulianus, cruce fugat Dæmones.* 6. *Gemina B. Antonij victoria, per Crucem, à Dæmonibus reportata.* 7. *Victoria S. Hilarionis.* 8. *Diabolica spectra è castro per crucem fugata.* 9. *Sancti Martini duplex contra Diabolum victoria per Crucem parta.* 10. *Gennadius Patriarcha Cruce fugat spectrum.* 11. *S. Benedictus ignem Diabolicum Cruce extinguit.* 12. *Diabolus in forma Draconis, Cruce & oratione superatur.* 13. *S. Osvvalus, Cruce Dæmonem abigit, transformatum in Angelum lucis.* 14. *Secundellus Diaconus, similiter eum fugat, in specie Christi apparentem.* 15. *S. Simeon Monachus Treuerensis, Dæmones Angelos se esse mentientes, facta Cruce Dæmones esse, dum euanescunt, animaduertit.* 16. *Vasa superstitiosis ritibus cereuisia impleta, facta cruce, S. Vedastus confringit.* 17. *Triplex miraculum, signo crucis patratum.* 18. *Alia similia S. Crucis Miracula. Epilogus. Exhortatio ad perpetuum S. Crucis vsum.*

CONCIO XXX.

De eodem sanctæ Crucis Remedio, contra Dæmonem, & omnes eius præstigias.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

CONTENTA.

Exordium. Fures & latrones patibulum metuunt; Dæmones crucem Christi. I. *Crucis signo dæmones ab obsessis expelluntur.* 1. *Virtus crucis, contra dæmones.* 2. *Exorcismis & adiurationibus dæmonum crux adhibetur. Exempla S. Patrocli, Nicetij, Arnulphi &c.* 3. *S. Cassius Episc. Narniensis.* 4. *Gregorius Lingoniensis.* 5. *Theodorus Archimandrita.* 6. *S. Stephanus Martyr Constantinopolitanus.* 7. *S. Suuibertus.* 8. *S. Zenobius Archiepiscopus Florentinus.* 9. *Obsessa femina, à S. Theodoro liberatur.* II. *Signum crucis, etiam infidelibus prodest.* 1. *Iudæus crucis signo, illæsus à Dæmonibus.* 2. *Constantinus Adolescens, Matre Iudæa natus, signo crucis, exanimat feminam ad libidinem tentantem.* 3. *Christiani in India, multa per S. Crucem beneficia, consequuntur.* III. *Veneficia & morbos non incantationibus, vel amuletis superstitiosis, sed signo crucis, curari oportere.* 1. *Incantationes Reliquiæ Ethnicismi.* 2. *Incantationes fugiendæ, & quare?* 3. *Reiectio excusatio-*

cusatio-

cusationis Incantatorum. 4. Incantationes plus obsunt quàm prosunt. Vxor Alexij Comneni. 5. Aaron Magus, incantationibus sanare volens, multos extinxit. Epilogus. Adhortatio ad vsum signi Crucis.

CONCIO XXXI.

Remedium Vigesimum: Aquæ lustralis, cum Sale, Vino, Oleo, Fructibus, & alijs rebus benedictis.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. *6.*

CONTENTA.

Exord. Sicut in Sacramentis diuinis Maiestas vtitur creaturis, potentia quam Theologi vocant obedientialem, ad supernaturales effectus gignendos eleuatis: Ita eisdem vtitur in Dæmonum machinamentis, dissipandis. I. *Aqua benedicta hæreticis adeò exosa defensio.* 1. *Virtus aquæ attributa in baptismo.* 2. *Aqua benedictio caret omni suspicione.* 3. *Fundamentum Aquæ benedictæ ex scripturis.* 4. *Vsus Aquæ benedictæ ab Apostolis.* 5. *Testimonium Alexandri Papæ.* 6. *Ignea Diaboli tela extinguit.* II. *Effectus I. Aquæ benedictæ, quoad Personas, liberat Obsessos.* 1. *S. Eligius eius aspersione sanat obsessos.* 2. *A S. Theodoro Maleficiati curantur.* 3. *Aqua etiam à Laico benedicta Dæmoniacus curatur.* 4. *Triginta annorum energumena, Aquæ benedictæ aspersione sanatur.* 5. *Aliæ complures historiæ è Sanctorum gestis.* III. *Effectus II. Aquæ benedictæ. Loca à Dæmonibus infestata liberat.* 1. *S. Aichardus Giemensis id præstat.* 2. *S. VVilibrordus.* 3. *S. Gregorius Magnus.* 4. *S. Hubertus.* 5. *S. Theodorus. Epilogus. Exhortatio ad vsum Aquæ benedictæ.*

CONCIO XXXII.

Tres alij præstantissimi effectus Aquæ benedictæ; Præstigiarum Dæmoniacarum discussio; Infantulorum contra Lamias tutela; Apud Agonizantes tentatoris depulsio.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. *6.*

CONTENTA.

Exordium: Sicut olim Deus multa admiranda per Aquam patrauit. I. *Effectus III. Aquæ benedictæ: Dæmonum maleficia & præstigias in nihilum redigit.* 1. *Iosephus Aqua cruce signata ignem, ne adureret, excantatum, accendit.* 2. *Simile quid vsu lustralis Aquæ effectum dat S. Marcellus Episcopus Apameensis.* 3. *S. Macarius feminam in equam conuersam sanat.* 4. *S. Vrsmarus Dæmonem Monasterium turbantem fugat.* 5. *Duæ historiæ recentiores. Domus infestata tranquillatur. Luporum venatio & captura incantationibus impedita restituitur.* 6. *Aliæ duæ historiæ; vna Treuerensis altera Mussipontina.* II. *Effectus IV. Puerulos Infantes à Lamijs & Sagis defendit.* 1. *Puer suppositis herbis benedictis & aqua lustrali aspersus, à Malefica lædi nequit.* 2 *Exemplum simile priori* IIII. *Apud morientes Dæmonem pellit.* 1. *Dæmon in forma nigræ auis aqua lustrali eliminatur.* 3. *Omnes aliæ creaturæ benedictæ vim habent malos genios coërcendi. Epilogus. Exhortatio ad frequentem vsum Aquæ benedictæ.*

CONCIO XXXIII.

Remedium vigesimum primum; vsus Agni Dei.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. *6.*

CONTENTA.

Exord. Ecclesia Dei Turris Dauid cum propugnaculis septem Sacramentorum. I. *Benedictio*

ctio Agni Dei fit à Solo summo Pontifice. 1. Eius vsus ab antiquo. 2. Beneficia diuina quæ petuntur in Consecratione Agni Dei. 3. Experientia virtutis. 4. Agni Dei olim permagni æstimati. II. Incendia restinguunt. 1. Vrbe Messana. 2. Alias iterum in eadem vrbe. 3. in ciuitate Turrinensi. 4. in India. 5. Agnum Dei gestans sclopettorum ictibus non potest interfici. III. Dæmones pellit ab obsessis. 1. Obsessus Iaponius liberatur. 2. dæmonum furijs agitatus sanatur. 3. Mulier à maligno genio vexata fit immunis. 4. Domus mirificè infestata purgatur. 5. Puella venefica appenso Agno Dei sentit tormenta. 6. Canem latrando repræsentans Agno Dei restituitur. IV. Præstigias dæmonum dissoluit. 1. Puer octo annorum à Sagis seductus. 2. Alius adolescens seductus admiranda refert Archiepiscopo Treuerensi de virtute Agni Dei. V. Diabolo etiam deuincti Agno DEI seruantur. 1. Quidam qui se dæmoni deuouerat iam abripiendus Agno Dei seruatur. 2. Mulier item quæ se sanguinis Chirographo Dæmoni obligarat.

CONCIO XXXIV.

Remedium XXII. Amuleta quæ libet sacra & verba sacræ scripturæ.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exord. innumerabiles flores herbas & radices creauit Dominus pro curandis humanis morbis: sic in Ecclesia militatis officina varia antidota contra Diaboli incursiones. I. Amuleta sacra in genere, quantum valeant in profligandis dæmonibus. 1. Exemplum Emanuelis à Costa quod contigit Ormutij 2. S. Barnabæ. 3. S. Cæciliæ. 4. S. Macrinæ. 5. S. Gregorij Turonensis. 6. Prisci, Anachoretæ. 7. S. Thomas Aquinas & alij. II Euangelium S. Ioannis & eius virtus. 1. Ritus cantandi Euangelium S. Ioannis per æstatem post sacrum pro frugibus terræ quàm Efficax. 2. Dæmon incubus à puella fugatur Euangelio S. Ioannis. 3. Confessio S. Trinitatis à S. Odulpho chartæ inscripta fugat Dæmonum spectra. III. Duæ cautelæ in his Amuletis obseruandæ. 1. S. Simeon Salus, verbis impedit Sagam ne valeat amplius veneficia exercere. 2 Simile quid gestum, à S. Antonino. 3. Obiectio contra hæc Amuleta & eius solutio ex Patribus. 4 Regula generalis quamcunque superstitionem cognoscendi; Exhortatio vt vitatis quibuscunque superstitionibus eiusmodi media adhibeamus.

CONCIO XXXV.

Remedium XXXIII. Campanæ benedictæ.

Induite vos armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Eph. 6.

CONTENTA.

Exord. sicut omnes creaturæ rebellant homini peccanti: sic homo pro honore Dei contra Diabolum dimicans, rebus creatis & artificio humano perfectis vti potest contra Diabolum. Inter eas sunt campanæ. I. Campanarum vsus & benedictio antiquissima. 1. succedunt tubis veteris Testamenti. 2. S. Theodorus Archimandrita ante mille annos benedixit campanas. 3. Testimonium Alcuini Flacci. 4. Ritus iste ab Apostolis creditur profluxisse. II. Campana benedicta dæmonibus quàm Exosa? Historia è B. Petro Cluniacensi. III. Miracula benedictarum Campanarũ. 1. Campanæ benedictæ sono hostes fugantur à S. Lupo Episcopo. 2. Miraculosa campana S. Vrsmari. 3. Campana Miraculorum, in oppido Vililla. 4. Alia in Monasterio Bodiensi. 5. Campana non pulsata resonans. IV. De campanarum virtute Confessio sagarum. V. Obiectio vana, de sacrilega prophanatione Baptismi quem hæretici somniant Campanarum. 1. Reiectio Calumniæ ex multis fundamentis. 2. Benedictio Campanarum iam olim in Ecclesia vsitata. 3. Error vulgi existimantis Campanas baptizari 4. Vnde vis Campanis vt pellant tempestates. VI. Dubitatio resoluta: Cur eiusmodi remedia non semper consequantur effectum: Epilogus totius operis & istius etiam Concionis.

CONCIONVM.

INDEX EORVM QVÆ IN CONCIONIBVS HISCE fusius explicantur.

Cuius prior numerus concionem, alter eius partem vel punctum indicat.

A

ABrenunciatio Diaboli quam sit efficax contra dæmonis tentationes Conc.15.p.I.
Agnus DEI *Cereus benedictus, mira efficacia contra dæmones.* Conc. 33. tota
Agonizantes aqua benedicta cur aspergendi? Conc.32.p.II.
Amor coniugalis quomodo obseruandus? Conc.24.p.IV.
Amores alieni Diabolicis artibus non captandi. Conc 24.p.IV.
Angelus custos absterret à malis. Conc.26.p.IV.
Angeli custodes defendunt nos à dæmonibus. Conc.27.tota.
Aquæ lustralis virtus multiplex contra dæmones. Conc.32.& 31.tota.
Aqua lustralis hæreticis exosa & abipsis defensa. Conc.31.p.1.
Auaritia Rete & Nassa diaboli. Conc.9.p.V.

B

Baptismus miræ contra dæmones efficaciæ. Conc.21.tota.
Benedictio Agni DEI *fit à solo summo Pontifice.* Conc.33.p.I.
Blasphemi à Diabolo puniuntur. Conc.12.p.VI.
Bonorum afflictio & persecutio punitur per diabolum. Conc. 12. p. IV.

C.

Campanarum benedictio & vsus contra dæmonum infestationes. Conc. 35. tota.
Carnis mortificatio expellit dæmones. Conc.17.p.I.
Confessionis acceleratio remedium contra dæmones. Conc.17 p.II.
Confessionis integræ vis admiranda contra omnem dæmonum potestatem. Conc.18 tota.
Confirmationis Sacramentum pellit dæmones. Conc.22.p.I.
Coniuges casti quanti meriti apud Deum. Conc.24.tota.
Consuetudo mala non excusat peccata sed auget. Conc 12.p.VI.
Contumacia erga parentes punita. Conc.12.p.I.
Crux quantæ virtutis contra dæmones. Conc.29.& 30.tota.
Crucis signum etiam infidelibus prodest. Conc.30.p.II.
Curiositas nimia rerum Magicarum esca capturæ diaboli. Conc.9.p.III.

Dæmon

D.

Dæmon semper affectat diuinitatem. Con.1.p.I.
Dæmonis imprecatio mancipat hominem diabolo. Conc.9.p.VII. Et Conc.13.p.II.
Dæmon cur vtatur opera sagarum in malis inferendis. Conc.13.p.IX.
Dæmones exhorrescunt crucem. Conc.23.p.V.
Dæmones cruce fugantur ab obsessis. Conc.29.tota.
Digiti sacerdotales vncti non possunt lædi à dæmone. Conc.23.p.V.
Diuinationes sunt prohibitæ, & per eas colitur dæmon. Conc.4.tota.

E

Ecclesiæ Pastores in diaboli tentationibus consulendi. Conc.15.p.II.
Eleemosyna summæ virtutis contra dæmones. Conc.16.p.II.
Eucharistiam cur sinat Deus tàm malè à sagis tractari? Conc.11.tota.
Eucharistiam indignè sumentes expositi sunt diabolo. Conc.13.p.VI.
Eucharistiæ virtus contra dæmones. Conc.19. & 20.tota.
Exorcismi pellunt dæmones. Conc.23.tota.

F.

Fascinationes crucis signo pellendæ. Conc.30.p.III.
Festa Patronorum violantes puniuntur à diabolo. Conc.13.p.VIII.
Fides constans diabolo formidabilis. Multæ historiæ. Conc.14.p.I.
Fidei Professio fugat dæmonum spectra. Ibid.p.I.
Fiducia firma in Deum vnde? eius exempla. Conc.14.p.II.
Fides matrimonialis quàm strictè obseruanda. Conc.24.tota.
Flagella coërcent dæmonem. Conc.17.p.I.
Flagella dæmonum reliquiæ sanctorum. Conc.28.tota.

G.

Gratiarum fons Eucharistia. Conc.19.& 20.tota.
Gratia effugandi dæmones in sola Catholica Ecclesia. Conc. 23.tota.

H.

Hæresis pessima omnis magia. Conc.1.2.3.4.tota.

I.

IESV. Nomen, summæ Maiestatis & virtutis. Conc.25.tota.
Ieiunij virtus contra dæmones. Conc.16.p.I.& II.
S.Ioannis Euangelium quantæ virtutis contra dæmones? Conc. 34.p.I.& II.
Iudicij extremi comminatione cur terminentur exorcismi? Conc.23.p.IV.
Incantationes nunquam adhibendæ. Conc. 30.p.II.

Incan-

Incantationes morborum omnino illicitæ. Conc.2.& 3.tota.
Incendia Agno Dei extincta. Conc.33.p.II.
Infidelibus etiam prodest signum crucis. Conc.30.p.II.

L.

Lamias ab infantibus infestandis coërcet aqua benedicta. Con.32.p.II.
Libido Carnalis exponit hominem Diabolo. Conc. 12.p.VIII.
Loca à dæmonibus infestata, lustrali aqua purgantur. Conc.31.p.III.
Luxuria esca præcipua nassæ & hami diaboli. Conc. 9.p.VI.

M.

Magiam post hæresin exterminatam introducit dæmon. Conc. 1. in Exord.
Magiæ inuentores & cultores. Conc.1.p.II.
Magia in se detestabilis à DEO prohibetur. Conc.1.p.III.
Maleficia non semper curantur per exorcismos: Conc.23.p.IV.
Maleficium maleficio non pellendum. Conc. 24.p.III.
Matrimonij vsus philtris diabolicis impeditus. Conc.3.p.IV.& V.
Matrimonio quomodo vtendum. Conc. 24 p,III.
MARIAE V. Deiparæ NOMEN quam formidabile dæmonibus. Conc.26.tota.
Missæ sacrificij virtus contra dæmones. Conc.20.p.III.
Morborum incantationes diabolicæ, Conc.4.tota.
Morientes aqua benedicta aspergendi. Conc.32.p.III.
Mortificatio carnis remedium contra dæmones. Conc 17.p.I.

N.

Nomen IESV excellentissimum & dignissimum. Conc. 25.tota.
Nomen Virginis Mariæ dæmones expellit. Conc.26.p.5.

O.

Obsessorum liberatio per sacram Eucharistiam. Conc. 19.& 20.tota.
Obsessi aqua lustrali releuantur. Conc. 31.p.III.
Obsessi Agno DEI, à dæmone fiunt immunes. Conc.3.p.III.
Ordinis Sacramentum coërcet dæmones. Conc,23.tota.
Oratio præstantissima contra dæmones armatura, Conc.16.p.III.
Odium erga proximos à dæmone castigatum. Conc.12.p.II.
Otij fuga, quia puluinar & esca diaboli. Conc.9.p.I.

P.

Pauperum contemptus & immisericordia. Conc. 13 p.IV.
Prædicator verbi DEI similis speculatori. Conc.1. in Exord.

Pœnitentiæ acceleratio cohibet dæmones. Conc. 17. p. II.
Præstigias dæmonum dissipat Agnus DEI. Conc. 33. p. IV.
Periurium extremis malis exponit homines. Conc. 1. p. I.
Permittatne DEVS vt Magistratus à sagis lædatur. Conc. 10. p. 3.
Permissionis diuinæ caussæ vt homines diabolo vexentur. Conc. 10. tota.
Permissio diuina circa infantulos, vt à diabolo lædantur. Conc. 10. p. II.

R.

Reliquiæ sanctorum pellunt dæmones. Conc. 28. tota.
Reliquiæ non solum corporum sed & vestimentorum hac virtute pollent. Conc. 28.
Reliquiæ fontes beneficiorum DEI. Conc. 28.
Reliquiarum vsui superstitiones non adhibendæ. Conc. 28. p. V.

S.


Sacerdotis digitos hostiam tangentes, Dæmon nequit mordere. Conc. 19. p. II.
Scripturæ sacræ verba fugant dæmones. Conc. 33. tota.
Somniorum vanitas. Conc. 5.
Succubus dæmon, fugatur Ieiunio & oratione. Conc. 16. p. III.
Superstitiosarum rerum vsus & obseruatio quam noxia. Conc. 5. tota.
Superstitio quam graue peccatum. Conc. 5. tota.
Superstitio Schola & nouitiatus diaboli. Conc. 6. tota.
Superstitionum cognoscendarum Regulæ & septem earum genera. Conc. 7. tota.
Superstitio Muscipula diaboli. Conc. 9. p. VIII. Et conc. 13. p. VIII.
Superstitiosorum friuolæ excusationes reiectæ. Conc. 8. tota.
Superbia dispositio ad seductionem diaboli. Conc. 9. p. IV.

T.

Tristitia nimia & desperabunda, esca diaboli. Conc. 9. p. II.
Tortura dæmonum Reliquiæ sanctorum. Conc. 28.

V.

Veritatis agnitæ impugnatio punitur à diabolo. Conc. 12. p. V.
Vitæ innocentia diabolo formidolosa. Conc. 14. p. II.
Vnctionis extremæ virtus contra diabolum. Conc. 22. p. II.
Vsura exponit hominem diabolo. Conc. 13. p. III.



IN-



INDEX APPLICATIONIS CONCIONVM AD EVANGELIA, DE TEMPORE ET SANCTIS.

Dominica 3. Aduentus.

1. *Thema. Matth. 11. Quid existis in desertum videre! hominem mollibus vestitum? De mortificatione carnis exemplo S. Ioannis.* Conc. 16. p. 11.

Item Dominica 4. secundum vsum Romanum.

Dominica 4. Aduentus.

1. *Thema. Ego vox clamantis. Prædicator speculatori similis.* Conc. 1. in exord.
2. *Veritatis agnitæ impugnatio punita.* Conc. 12. p. V.
3. *Thema. Parate viam Domini. Ioann. 1. Pœnitentiæ & confessionis acceleratio pellit dæmonem.* Conc. 17. p. II.

In festo Innocentum.

1. *Thema. Mittens occidit pueros in Bethlehem & omnibus finibus eius. Q. Cur Deus permittat paruulos tàm baptizatos, quàm non baptizatos, à dæmonibus infestari & occidi?* Conc. 10. Q. 2.

In festo Circumcisionis.

1. *Thema. Et vocatum est Nomen eius* IESVS, *Luc. 2. De salutifero Nomine* IESV. Conc. 25. tota.

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

1. *Thema. Fili quid fecisti nobis sic? Luc. 2. Filiorum erga parentes contumacia punita.* Conc. 12. p. I.

Dominica 2. post Epiphaniam.

1. *Thema. Erant nuptiæ in Cana Galilææ. Ioann. 2. De Matrimonij Sacramento sanctificando.* Conc. 24. tota. Item:
2. *Libido etiam in Matrimonij Sacramento punitur.*
3. *Aqua vinum facta: De vsu Aquæ benedictæ, contra dæmones & omnes eorum præstigias.* Conc. 32. tota.

Dominica 1. Quadragesimæ.

1. *Thema. Et cum ieiunasset, Matth. 4. Ieiunij maxima virtus ad compescendos dæmones.* Conc. 16. p. I

XXXXX 2 2. Vade

2. *Vade Sathana. Quotidiana abrenunciatio, quam Diabolo formidabilis? quam efficax.* *Conc.15. parte 1.*
3. *Agni Dei vsus ad fugandos Dæmones.* *Conc.33. tota.*

Dominica 2. Quadragesimæ.

1. *Thema. Filia mea male à Dæmonio vexatur, Matth. 15. Cur Deus permittat homines à Diabolo vexari?* *Conc.10. tota.*
2. *Thema. Miserere mei fili Dauid. Adquem in morbis recurrendum? an ad incãtatores vel ad Deum?* *Conc. 2. tota.*
3. *De superstitionibus.* *Conc.13. Conc.5. 6. 7. 8. tota.*

Dominica Oculi.

1. *Thema. In Beelzebub, principe Dæmoniorum, Luc. 11. De Magiæ fundatore Diabolo; eius cultoribus; quam detestabilis Deoque exosa.* *Conc.1. tota.*
2. *Thema. Blasphemabant dicentes. Blasphemiæ per Diabolum horrendissimè castigatæ.* *Conc.12. p.VI.*
3. *Cur Diabolus vtatur opera Magorum & Sagarum ad inferenda mala quæ per se potest inferre.* *Conc.13. p.IX.*
4. *Digitus Dei: Nomen* IESVS. *Conc.25. tota.*

Dominica Passionis.

1. *Thema. Quis ex vobis arguet me de peccato? De integra omnium peccatorum confessione, vt præparatione ad sacram Eucharistiam.* *Conc.18. tota.*

Dominica 4. post Pascha.

1. *Thema. Arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Ioann. 16. De idolomania diabolica quam exercent omnes venefici.* *Conc.1. tota.*
2. *Thema. Docebit vos omnem veritatem: De diuinationibus vitandis.* *Conc. 4. tota.*
3. *De superstitionibus.* *Conc.5. 6. 7. 8. integris.*

In festo Pentecostes.

1. *De virtute Sacramenti confirmationis contra omnes Diabolici fraudes & machinationes.* *Conc.22. p.I.*

In festo Trinitatis.

1. *De efficacia Baptismi contra Dæmones.* *Conc.21. tota.*

In festo corporis Christi.

1. *Cur permittat Deus Eucharistiam à Sagis & maleficis tam impiè & sacrilegè tractari?* *Conc. 11.*
2. *Eucharistia pellit Dæmones.* *Conc. 14. & 20.*
3. *Similiter & sacrificium Missæ.* *Conc. 20. p.III.*

Domi-

Dominica 6. post Trinitatis.

1. Thema. Non occides. Afflictio & cædes bonorum à Diabolo punita. Conc. 12. p. IV.
2. De periurio & imprecatione Diaboli. Conc. 13. p. I. & II.

Dominica 7. post Trinitatis.

1. Thema. Misereor super turbam: Virtus Eleemosynæ contra Dæmonem. Conc. 16. p. III.
Et de immisericordia erga pauperes. Conc. 13. p. IV.

Dominica 10. post Trinitatis.

1. Thema. Domum meam fecistis speluncam latronum, Luc. 19. Prophanatio rerum sacrarum punita. Conc. 13. p. V.

Dominica 13. post Trinitatis.

1. Thema. Diliges proximum tuum: Inuidia & odium erga proximum puniuntur à Diabolo. Conc. 12. p. II.

Dominica 14. post Trinitatis.

1. Thema. Ite ostendite vos sacerdotibus. Recursus ad Pastores Ecclesiæ, & manifestatio tentationum facta superioribus Diabolo supra modum formidabilis: multæ historiæ. Conc. 15. tota.

Dominica 19. post Trinitatis.

1. Thema. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vitæ Innocentia, cum fiducia firma erga Deum, quanti momenti & meriti? Conc. 14. p. II.

Dominica 21. post Trinitatis.

1. Thema. Abijt ad eum & rogabat vt descenderet & sanaret filium eius: Ad quem in morbis recurrendum pro salute? Conc. 2. & 3. tota.
2. Excusationes friuolæ eorum qui recurrunt ad incantatores. Conc. 3. tota.
3. Extrema vnctio quomodo infringat vires Diaboli. Conc. 22. p. 2.

Dominica 24. post Trinitatis.

1. Thema. Si tantum tetigero fimbriam vestimenti, salua ero. De admirabili virtute sanctarum Reliquiarum, contra Dæmones. Conc. 28. tota.

Dominica vltima post Trinitatis.

1. Superstitio abominatio desolationis. Conc. 5. & 6.

In Dedicatione Ecclesiæ.

1. De Campanarum benedictione, & multiplici vsu contra Tempestates, & varias Dæmonum & Sagarum infestationes. Conc. 35. tota.

In festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.

1. De superstitionibus Calendis Maij exerceri solitis. Conc. 5. 6. 7. 8. integris.
2. Superstitiones exponunt homines Diabolo infestandos. Conc. 13. p. VII.

In festo S. Crucis.

1. *De vsu signi S. Crucis, contra omnes Dæmonum præstigias, & Magorum infestationes.* Conc. 29. & 30.

In festo SS. Apost. Petri & Pauli.

1. *Fides Catholica constans & firma, scutum & galea contra Diabolum: multa exempla.* Conc. 14. p. 1.

In festo Natiuitatis Deiparæ Virginis,


1. *De efficacia Nominis* MARIAE, *contra omnes Dæmonum insidias.* Conc. 26, tota.

In festo S. Michaëlis.

1. *Custodia Angelorum protegit ab omni Dæmonum impugnatione, & insidijs maleficorum.* Concione 27. tota.

Finis Indicum.







CONCIO I.

OMNIS MAGICAE DÆMONOLATRIÆ DETESTATIO IN COMMVNI.

Fili hominis speculatorem dedi te, domui Israhel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Ezech. 33.



CVM Dominus DEVS Ezechielem Prophetam, ad prædicandum populo Israhelitico destinasset, functionis istius difficultatem, & obligationem Vigilantiæ, pro commisso grege, ei explicaturus, inter cætera, Speculatori, in præalta turri constituto, qui belli tempore, cum hostis ingruit, buccinæ signo, hostis aduentum significet, eum comparauit; *Fili hominis*, inquiens, *speculatorem dedi te, Domui Israhel; audiens ergo, ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem eius, de manu speculatoris requiram.* Magnum onus Prædicatoris; grauis iactura, si vel vnica anima, eius culpa vel negligentia, ab hoste comprehendatur, & dispereat: *Ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Quàm graue erit coram diuino tribunali, vel de vna anima pereunte, rationem reddere? quid porrò de tàm multis? Functus sum, indignus ego, speculatoris munere, in hac ciuitate, iam annis prope viginti quatuor; cui accedit etiam officium Pastorale, quod me vobis, & omnibus illis, qui subsunt huic Parochiæ,

Prædicator similis speculatori.

Ezech. 33.

nouo titulo, nouoque vinculo obstringit, vt inuigilem vobis ouiculis meis, ne infernalis lupus irrumpat, & rabie sua oues mactet, & disperdat; vobismetipsis hic æstimandum relinquo quam vestri caussa, mihi graue onus incumbat, & longè quidem grauius, quam alijs Concionatoribus, qui non Pastores vestri, nec obligati sunt, peruigilare pro vobis, vt Paulus ait, & rationem reddere pro animabus vestris. Quam autem probè, quàm rectè, quam fideliter huic officio satisfecerim, ille omnium optime nouit, qui hominum renes & corda scrutatur, Optimus Maximus Deus: Dicere possum cum Apostolo Paulo: *Non equidem subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium DEI vobis.* Vtrum autem scopum meum attigerim, vbique, vtrum monitiones meæ, apud omnes & singulos profecerint, is nouerit, cuius *oculis omnia nuda sunt & aperta.* Illud autem, cum Apostolo affirmare possum: *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus.* IESV CHRISTI. hæc mea est affectio hic meus in vos est animus, hæc erga salutem, vestram, sunt quotidiana vota, ac desideria mea, & quoad vixero, luculentioribus argumentis, indies reflorescent.

Ioan. 10. Hebr. 13. Psalm. 7. Actor. 20. Hebr. 4. Philip. 1.

Verum enim verò, cum hoc exulceratissimo sæculo, quo *mundus in maligno est positus*, vt nunquam maior, ab orbe condito, nequitia & iniustitia, inter homines omnium ordinum ac statuum viguerit, humani generis hostis, exterminata Lutherana hæresi, ab hac ciuitate, innumeras animas faucibus eius ereptas vehementissime doleat, nouo & planè Diabolico Stratagemate, detestabile *crimen Magiæ* & veneficij, quod est peccatum omnium peccatorum grauissimum, subinuexit, quod innumeras animas illaqueauit, nec cessat, insuper quotidie per anteambulones suos, Magos & veneficos, alios etiam inficere, seducere, & potestati suæ vendicare: Aut certè quos ipsi nequeunt, ad Diabolicam illam Idololatriam attrahere, & illaqueare, in sanitate, in bonis, in membris & corpore, immo & in ipsa vita, per incantationes, & ligaturas diabolicas lædere, damnificare, immò & omnino occidere, & opitulante diaboli concursu trucidare, cuius rei innumera prope exempla, quotidie occurrunt, & sunt in promptu.

1. Ioan. 5. Dæmon post exterminatam hæresin Magiam introducit.

Quam-

Quamobrem consulto per orationes, Domino DEO, & inuocata Spiritus sancti ope, & asſiſtentia, Xeniorum loco, pro hoc nouo anno, Præseruatiua quædam, & Antidota, contra Magiam & Veneficia, omnemque Dæmono Maniam, ex officina Pharmacopæa, verbi diuini præparata, vobis suppeditare decreui: Ea namque duplicem habebunt efficaciam; vel vos seruabunt, si applicetis, & quotidie illis vtamini, ne vos diabolus, per alios magos, veneficas & sagas, aut per se ipsum seducat, ad horrendisſimum illud Homagij diabolici scelus: vel si ab eo, per DEI gratiam sitis immunes, vos communient, & ne ab illa incantatione diabolica, vel in bonis, aut corpore, in valetudine, aut in vita, lædi valeatis, tuebuntur. Propositio.

Facile autem possum coniectare, me hoc Xenio, paruam à diabolo & eius mancipijs, veneficis, inquam, & magis, gratiam initurum; nec dubito, me complures fugaturum è Concionibus meis, qui vt canes, si lapidis iactum intentes, fugam capessent; nec deerunt, qui latratu suo, se tactos esse, quandoque indicabunt; verum hæc me nihil morantur: si hoc Xenio vel vnicam animam conseruauero, ne diabolo in prædam cedat, omnem laborem, quem hisce concionibus impendero, abundantisſimè compensatū censebo. Sed antequam ad remedia, ad armaturam DEI, aduersus insidias diaboli accedam, quam execrabile crimen sit, omnis magia atque dæmonolatria, in communi, hac Concione, paucis aperiemus; vt omnem postea dæmonolatriam, diaboli que cultum, omnemque superstitionem, tantò efficacius eradicemus. Tu ô DEVS, cuius vice ac loco verbum tuum prædico, ne sinas *oues, quas precioso sanguine tuo redemisti, diabolica incursione lacerari.*

A principio suæ creationis, diabolus statim affectauit diuinitatem, similis esse volens Deo creatori suo, ob quam superbiam illicò è cœlo in infernum fuit deturbatus. Dicebas in corde tuo obijcit ei Propheta: *In cœlum conscendam, super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, ero similis altisſimo: veruntamen* I. Diabolus perpetuus affectator Diuinitatis.

tamen ad infernum detraheris in profundum laci. Verum licet cœlesti gaudio, æternique boni possessione iam destitutus, æternis fuerit mancipatus pœnis, superbum tamen desiderium illud diuinitatis, nunquam dimisit, sed iam inde, à seducto primo homine, per *Inobedientiam*, vnum ex alio peccatū serens, tādem *Idololatriam* induxit, & inter homines plantauit, per quam ipse sibi, cum ex Idolis loqueretur, gentilibus responsa daret, ac si veri essent Dij, cum tamen dæmon ea inhabitaret, quandam sibi diuinitatis prærogatiuam vendicauit: Sic *Laban* in lege naturæ idololatra fuit, cui Rachel Idola sustulerat: Sic *Filios Israhel*, sic rursum *Salomonem* & alios Reges, Iuda, ad Idololatriam induxit. Explosa tandem è toto mundo Idololatria, & veri DEI cultu per Euangelium, toto orbe terrarum disseminato, non cessat hic hostis, Zizania suæ perfidiæ, tritico Euangelij inspergere, sed semper in omni loco, occultam Magiæ Idololatriam fomentans, habet quosdam, quasi seruos iuratos, & vasallos, sibi speciali homagio deuinctos, qui incantationibus, diuinationibus, ligaturis, maleficijs, & nocumentis varijs, tum hominibus, tum brutis animantibus, tum etiam inanimatis creaturis, in odium hominum inferendis, dæmoni seruiunt, eumque pro DEO suo honorant & colunt, putantes se præstare quæ præstant, cum tamen non ipsi, sed reipsa dæmon omnia faciat. Quosdam ergo nunc decipit vt se illi obligent, quosdam per illos decipit, vt auxilium apud ipsum quærant, per Magos ipsi deuinctos. Quin etiam diuinationibus, augurijs, incantationibus, ad morbos pellendos, & similibus homines ad occultum, & implicitum dæmonis cultum trahunt, vt in *Beelzebub Principe dæmoniorum*, dæmones & eius Ministros, adhibeant ad suas necessitates. Quod grauissimum dæmonolatriæ peccatum, quo non solum Deo debitus honor adimitur, verum etiam innumera & enormia damna, hominibus inferuntur, & quàm plurimæ animæ perduntur, cum eorum conniuentia, qui illud punire, ferroque ac flamma exscindere & eradicare deberent, paulatim altius, atque altius inualescat, & radices agat, hac vice statui oppugnare, eo potissi-

Genes. 3.

1. Idololatriã Induxit.

Genes. 31.

Exodi 37.

2. Ea explosa Subinuehit Magiam.

3. Magi & Sagæ, Vasalli Diaboli.

Lucæ 11.

4. Dæmonolatria Deum grauissimè offendit.

tiſsimum animo, vt ſi qui fauerint hucuſque tali Dæmonolatriæ, vel vtendo magorum conſilijs, aut ligaturis & maleficijs aut morborum, per incantationes depulſionibus, vel certè diuinationibus, citò citius reſipiſcant, antequam dæmon illis, quod omnibus fidelibus ſeruis ſuis prȩſtare ſolet, condignam, æternæ damnationis mercedem, retribuat & compenſet.

Ratum certumque ſtatuite, *in Beelzebub Principe dæmoniorum,* omnes magi, venefici, incantatores, Harioli, quotquot vnquam in tota Chriſtianitate, à Patribus & Concilijs, pro hæreticis damnati ſunt, & adhuc ab Eccleſia damnantur, veneficia ſua & maleficia, perficiunt; Hoc eſt, vtendo inuocationibus, & opera dæmonum, quibuſcum icto fœdere ſunt coniuncti. Dæmon enim, cum magis pactum init, quod velit eorum præſtigijs, per talia vel talia media, aſsiſtere, & cooperari, dummodo ipſi eum, pro Deo ſuo honorent & adorent. Hoc eſt fundamentum omnis magiæ & incantationis, quæ fit ex pacto, cum dæmone ſtabilito: Cuius primus inuentor, ab Epiphanio & Plinio ſi de hominibus agitur; Nam dæmon primus alias Fundator, dicitur fuiſſe *Zoroaſter*, inſignis magus, paullo poſt tempora Noë, qui & modum docuit, quomodo dæmonibus ſacrificia ſint offerenda, & quomodo, vt hominibus obediant ſint adigendi. Poſt Zoroaſtrem in magia ſtatim in lege naturæ, tempore Moyſis, *Iannes & Mambres* Magi AEgyptij, quos vocauit Pharao, vt eadem miracula facerent, quæ faciebat Moyſes, iuſſu DEI, vt Pharao dimitteret populum Iſrahel, ex AEgypto. *Proieceruntque*, inquit ſcriptura, *Virgas ſuas, quæ verſæ in Dracones: ſed deuorauit Virga Aaron, virgas eorum.* Ranas inſuper induxerunt ſuper terram AEgypti, ſicut Moyſes & Aaron, cum tamen vellent ipſorum exemplo, etiam ciniphes inducere, planè non potuerunt, & diuina vi, ipſorum magia, in nihilum redacta, faſsi ſunt: *Digitus* DEI, *eſt hic*, virtute diuina, dæmonis artes eludente. *Celebris* magus erat Baalam, qui incantationibus ſuis, poterat philtra, & alias ligaturas, & maleficia diabolica, hominibus inferre, opera & auxilio dæmonum, cum quibus pactum habebat: Verum ne ſimiliter

II. Fundamétum omnis Magiæ, & eius inuentores atque cultores.

Cultores Magiæ primi Zoroaſter.

2. Iannes & Mambres.

Exodi 7. 2.

2. Tim. 3.

Exodi 8.

3. Balaam.

Num. 22.

per Beelzebub suum, populo Israhel noceret, à Deo prohibetur. In nouo testamento *Simon Magus*, vt in actis Apostolorum legitur, totam Samariæ ciuitatem, præstigijs suis, eum in modum demendarat, vt eum pro Deo quasi haberent, dicentes: *Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* pulsus tandem ab Apostolis, idem Magus, Romam venit, ibiq; rursus, totam Romam, atq; ipsum Imperatorem Neronem, dæmoniacis artibus, vsq; adeò exoculauit, vt ab eis Deus esse decerneretur, eiq; in Insula Tyberina, statua, cum hac inscriptione, erigeretur: *Simoni Deo sancto.* Sed cum sancti Apostoli, Petrus & Paulus, Romæ comparentes, & Christi fidem prædicantes, diabolicas eius præstigias retexissent, eo præsertim tempore, quando se in publico ciuitatis foro, in cœlum euolando, verum Deum esse, probare contenderet, in maximæ hominum multitudinis, & ipsius Neronis præsentia, dæmonibus præcepissent, vt in nomine IESV ab eius portatione desisterent, eo ipso momento, è sublimi in terram corruit, quasi fulmine deiectus, & crura fregit, quare ira commotus Nero, SS. Apostolos Petrum & Paulum, illum in cruce mactari, hunc gladio feriri iussit.

4. Simon Magus. Actor. 8.

Egesipp. de Excid. Hierosolym. lib. 3. cap. 2.

Simonem Magum secuti sunt, post Apostolorū tempora, varij hæretici, Magiæ cultores, *Gnostici* cum primis qui omnes præstigias Simonis Magi approbabant, & exercebant, & philtra præsertim amatoria, per assistentiam dæmonum, propinabant, similesque nequitias perficiebant & practicabant. Secuti sunt *Basilidani*, qui & ipsi maleficijs suis varios, præter naturam, effectus, in hominibus bestias producebant. Secuti sunt *Capocratiani* & *Helchesaitæ*, qui se ipsos Prognosticos appellabant, eò quod dæmonum adiumento, futura prædicerent. Secuti sunt *Manes Manichæorum*, author & Hæresiarcha, quorum pleriqi abominanda sacra, vt nunc Sagæ & veneficæ, dæmonibus litabant, eosq; inuocabant, quos etiam Sathaniani imitati, similiter ex pacto cum dæmone, innumera mala perpetrabant. Sicuti sunr tandem *Priscillianistæ*, qui syderibus & arti Magicæ & dæmonum potestati, quæcunque fierent attribuebant.

5. Multi Heretici. 1. Euseb. lib. 4. cap. 7. Gnostici.

Iren. lib. 1. cap. 23. 2. Carpocratiani & Helchesaitæ.

3. Theodoret. lib. 1. Hæres. Manes & Manichæi. Niceph. lib. 5. cap. 24. Epiph. hær. 66

Priscillianist, Epiphan. Hær. 80. de Sathan. Leo. Epist. 93. cap. 11.

Hos

Hos diuersis temporibus insecuti sunt alij, ac præsertim *Raimundus Lullus, Heinricus Cornelius Agrippa,* & ipse insignis Magus qui librum edidit, aduersus Lamiarnm Inquisitores, in quo Sagarum & Maleficarum artes, vt res fabulosas, explodit, & tandem librum, per discipulos, post mortem, quem *clauem occultæ Philosophiæ* nominari voluit, in publicum euulgauit, qui totus plenus est, dæmonum inuocationibus execrandis. Secutus est tandem Anno Domini 1578. *Ioannes VVierus,* qui libris sex, de præstigijs Dæmonum, defendit veneficas, non esse pœnis afficiendas, & igne exurendas: Et tamen ipse in eodem libro suo, artes docet, & characteres, quibus dæmones inuocari, & eorum auxilio diuersa, præter naturam, opera, effici possint. Quam autem detestabilis sit omnis Magia, incantatio, & dæmonum inuocatio, vt ego non dicam, Deus loquatur in scripturis sacris.

6. Multi alij nominatim.

Iouius in Elogijs.

VVierus de præstig. dæmon. lib. 6. cap. 27.

Quid est, rogo vos, omnes, qui aut Magiæ dediti estis, aut in morbis, aut furto sublatis rebus, aut alijs casibus, dæmoniacos homines consulitis: Quid est, quod Deus in Decalogo præcepit: *Non habebis Deos alienos coram me?* Annon hoc est, Deo honorem suum aufferre, & dæmonis cultui tradere? Eius ministros, ipsi homagio deninctos, quasi Diuinos homines suspicere & venerari, ac si præter naturalia efficere, morbos pellere, futura & absentia diuinare posint? Annon hoc grande nefas? Præceptum Dei est, ad omnes qui portant gladium, loco Dei: *Maleficos ne patiaris viuere*; quasi dicat: Igne & gladio persequere; Annon igitur sit grande peccatum? Putetis frustra à Deo præceptum esse, non solum tales, qui diabolum pro Deo colunt fugere, sed & aliàs nullum cum ipsis comertium habere: *Non declinetis ad Magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini, per eos, ego Dominus Deus vester.* & rursum: *Anima quæ declinauerit ad Magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* Putasne frustra præceptum esse à Deo: *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem,* *aut*

III. Magia in scripturis sacris prohibetur.

Exodi. 20.

I. Magi & venefici omnes puniendi iussu & mandato Dei.

Exod. 22.

Leuit. 19.

Leuit. 20.

Deuteron. 18.

aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atq; auguria; nec sit maleficus aut incantator; neq; qui Pythones consulat, nec diuinos; & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus: propter huiusmodi scelera, delebit eos in introitu suo. Ecce ita abominabiles erant Deo omnes incantatores, & diuinatores, vt eos omnes deleuerit, populo Israhel in terram promissionis ingrediente. Hinc etiam ab Israelitico populo, mandata eiusmodi violante, atrocissimè fuit offensus: *Initiati sunt Beelphegor*, memorat

Psalm. 105. Regius vates, *& comederunt sacrificia mortuorum: & irritauerunt eum in adinuentionibus suis, & multiplicata est in eis ruina. Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*, præsertim Magica, *& seruierunt sculptilibus eorum: & immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan: & infecta est terra, in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis.* quid consecutum? *Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam: & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos, & tribulauerũt eos, inimici eorum.* Videte, hæc est merces eorum, qui Deo cultum debitum aufferunt, eumque dæmoni attribuunt, eiusque ministris sacrilegè impendunt.

2. Deus mandauit Saul omneseiusmodi diaboli cultores occidi.
1. Reg. 28.
Sap. 12.

Nisi huiusmodi abominationes tàm essent grande peccatum, omnes Magos & hariolos, & qui *Pythonem* habebant in ventre, hoc est, *dæmonem familiarem*, Diuino iussu Rex Saul non interfecisset. Nec dixisset Salomon: *Illos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera, tibi faciebant, per medicamina & sacrificia, iniusta, & filiorum suorum necatores, sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis, perdere voluisti per manus parentum nostrorum, vt digna perciperent.* Nec Sy-

Eccl. 34. rach de omni diuinationum genere dixisset: *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace*, scilicet diabolo, *quid verum dicetur? Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.* Ecce quid sint ista, quibus Magi hominibus illudunt.

Actor. 19. Hinc ad Apostolorum prædicationem, qui tales habebant libros, Magiam & cultum, dæmonis continentes, eos in cumulum comportarunt & combusserant.

Quod si nosse vultis, quam Deo displiceat, si ab huiusmodi, dæmoniacis magis, auxilium vel consilium petatur, attendite quæso exemplum Saul regis, qui cum Pythonissam de belli euentu cõsuluisset, nec in Deo sperasset, ideò interfectus est, & regnum ipsi, & omni eius posteritati, ademptum. Terreat etiam exemplum Ochoziæ Regis, qui cum infirmatus esset, non in Deo confidens, sed apud diabolum auxilium quærens, misit seruos suos: *Ite consulite Beelzebub, vtrum viuere queam, de infirmitate hac mea, annon?* Et DEVS per Heliam Prophetam ei responderi iussit: *Nunquid non erat DEVS Israhel vt mittas ad consulendum Beelzebub? Idcirco de lecto, quem ascendisti, non descendes, sed morieris: Et mortuus est.* Terreat denique exemplum, Elymæ magi, qui in Insula Cypro magijs suis, detinebat Proconsulem, Sergium Paulum, ne prædicante S. Apostolo Paulo, crederet, & verbo DEI fidem adhiberet; cui S. Paulus, plenus Spiritu sancto, dixit: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas? Et nunc, ecce manus Domini, super te, & eris cæcus, vsque ad tempus, non videns solem. Et statim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumibat & quærebat, qui ei manum daret.* Sic planè, qui nunc magijs suis in Principe dæmoniorum, patratis, dementant homines, olim *deÿcientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.*

3. Deo summopere displicet, cum talibus commercium habere.
1. Saul.
1. Reg. 31.
2. Ochozias.
4. Reg. 1.
3. Elymas Magus.
Actor. 13.
Matth. 8.

Audistis sacram scripturam, quomodo magiam, veneficia, & auguria detestetur: Nosse auetis, quid sentiant Ecclesiæ Doctores, & SS. Patres? Et primò quidem de origine magiæ? Eusebius Cæsareensis docet, omnem magiam ab ipso dæmone promanasse: *Omnis magicæ artis,* inquit, *ipsi dæmones inuentores, ac primi Doctores fuerunt. Vnde namque homines, quibus dæmones cogantur, quibus medÿs hominibus illigentur, & quibus rebus gaudeant, quam ab ipsis dæmonibus, discere, potuissent?* Egregios sanè magistros huius artis. Hoc ipsum etiam affirmat Origenes: *Liquent res dæmonum, ex eorum inuocatoribus, qui horum opera vtuntur, ad excitandos amores, & odia, aut ad impediendas actiones, aut pellendos morbos, innumeraque similia, quæ faciunt per incantationes magicas, docti vocare, & inducere dæmones, ad quidquid libuerit. Omnis ergo dæmonum cultu-*

IV. S. Patres docent. Magiam esse à Dæmone, & summè detestandam.
De Præparat. Euangel. lib. 5. cap. 7.
1. Magiæ Magistri Dæmones.
Lib. 7. contra Celsum.

In Psalm. 45.

ra, sit aliena à nobis, veri Dei cultoribus, eamque non aliter, quam certissimam perniciem fugiamus.

2. Stultitia summa in tribulationibus ad Magos & Incantatores confugere.

Quanta stultitia, est ista, inquit S. Basilius: *Cum tribulatione quapiam affligimur, ad omnia potius, quam ad ipsum Deum nostrum recurrimus. Vnus tibi pusio ægrotat? quaqua versum circumfers oculos, requirens incantatorem, aut certè, eum, qui superuacaneos vanosque characteres, seu figuras puerorum innocentium collo circumliget? Ergo in necessitate deprehensus, verbo tantum ostendes, te* DEVM *refugium habere; re autem ipsa, ex vanis & inutilibus rebus, auxilium adsciſces?* Et S. Ioannes Chrysostomus grauissimè in eos inuehitur, qui fiduciam suam à Deo, & cruce Christi, quæ omnem Diaboli potestatem euacuauit, auertunt, & ad dæmones conuertunt. *Quid pati dignus non esses? Non ligaturas tantum, sed etiam excantamenta, tibi conducis, vetulas ineptas, deliras & titubantes domum ducens? Et quod grauius est, quando hæc admonemus, & dissuademus, putant se excusari; dicis, quod Christiana hæc est mulier, excantans, & nihil aliud loquitur quam* DEI *nomen. Propterea namque magis illam odi, & auersare, quod* DEI *nomine ad contumeliam vtitur, quod se dicens esse Christianam, gentilium opera facit. Et dæmones* DEI *nomen fatebantur, at dæmones erant.* Sic etiam explodit eiusmodi prætextum, adiuncti nominis DEI; vel orationis: *Incantatio & illa occulta & anilis insusurratio, magicæ artis*, inquit, S Cyrillus, *pars, atque species est: cæterum, cum incantatio turpissima sit, ac vitiosissima, tamen nescio quonammodo, eam nonnulli admirantur, atque incantatores aiunt, Dominum Sabaoth nuncupare, cum super infirmis carmen incantant, qui huiusmodi artem exercent. Abducuntur autem ad errorem & dementiam, gloriosum* DEI *nomen dæmonijs, vna secum ludentibus, proijcientes, & illis portentorum suorum actionibus, gloriam quæ soli Deo conuenit, largientes, adulantes simul, & vicissim adulatione capti, & pro rerum quas voluerint, euentu, hanc, tam tetræ impietatis magnitudinem mercedis loco rependunt.* Sunt ministri diaboli, quomodocunque se vestiant, vt non immeritò dicat Isychius: *Pessimum est veneficijs adhærere, & eorum administris, qui tametsi sæpe Dei nomen præ se ferant, tamen dæmonum inimicorum nobis & pestilentium nomina addunt. Qui etsi ad breue tempus, vt in errorem mitt[illegible] videntur operari aliquid, quo ad corporalem sanitatem, vile at paruum,*

Homil. 21. ad Pop. Antiochenum.

3. Reiectio excusationis Incantatricum.

Lib. 6. de adorat. in spiritu & veritate.

4. Incătatores Ministri Diaboli, quantūcunq; se vestiant Nominis diuini inuocatione.

Lib. 6 in Leuit. cap 19.

paruum, quale etiam imperiti medici operari possunt: Veruntamen hoc, nec vt boni, nec vt benè volentes hominibus operantur, sed & in seruitutem redigere, & à Deo separare cupientes. Nam vt S. Leo Papa attestatur: *Habet Diabolus multos ex ijs, quos tenacius obligauit, aptos suis artibus quorum ad alios decipiendos, & ingenijs vtatur & linguis: Per istos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum, & depulsiones promittuntur vmbrarum:* Quid plura? *Dæmonum inuenta, sunt aruspicina*, inquit Lactantius, *auguratio, Necromantia, incantatio & magica ars, & quidquid præterea malorum exercent homines, diabolo obligat, vel palàm, vel occultè, quæ omnia per se falsa sunt. Sed ijdem ipsi authores, præsentia sua faciunt, vt vera esse credantur; Ita hominum credulitate, mentita sua faciunt, vt vera esse credantur, quod illis verum aperire non expedit.* Atque vt reuera S. Anselmus: *Incantatores & magi, quidquid agant arte diabolica fascinant, & illudunt homines vt credant verum esse, quod falsum est.*

Serm. 7. de Natiuit. cap. 3.

Lib. 2. Diuin. Instit. cap. 16.

In cap. 3. Epist. ad Galat.

Quam autem graue sit crimen, omnis *Incantatio & Magia*, qui volet cognoscere, legat S. Augustinum, qui docet, Ciceronem allegans, duodecim tabularum lege antiquissima, Magiam prohibitam fuisse, & omnis generis incantationes. *Cur non tam grauiter ista plectuntur, seueritate legum, si opera sunt Numinum colendorum? An fortè istas leges Christiani instituerunt, quibus artes Magicæ puniuntur, secundum quem alium sensum, nisi quod hæc maleficia generi humano perniciosa esse, non dubium est? erraret, qui perniciosa esse negaret.* Quod si Ecclesiasticis, huius criminis pœnis agatur, *Concilium Ancyranum* antiquissimũ, subijcit, vtentes talibus medijs, & adhibentes ea, quinquennali Canoni, siue pœnitentiæ grauissimæ. *Nicœnum primũ*, omnes qui vtuntur opera incantatorum, Magorum, submouet ab Ecclesia, & si resipiscant, viginti annorum pœnitẽtiam, indicit eis. *Concilium* similiter *Laodicense*, tales ex Ecclesia eijci iubet, & *Agatense* & *Aurelianense* primum, Cõcilium deniq; *Toletanum*, eos, qui in dignitate Ecclesiastica, sunt constituti, si tãtum consuluerint Magos, degradare iubet. Ciuiles huius criminis pœnas, norunt, qui Iura studuerunt, quomodo ab Imperatoribus Constantio & Iuliano, etiamsi sint Aulici Imperatoris, alias priuilegiati, grauissimis tamen crucia-

Lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 19.

5. Grauitas huius criminis Magiæ & incantationis & eius Ecclesiasticę pœnę.

Cap. 24.

Can. 20. Arabico.

Can. 36. cap. 86. cap. 32.

Cod. de Malefic lib. 5. 6. 7. Cod. de Malefic. lib. 9.

cruciatibus & pœnis ſubijciantur. Sciunt etiam, quam grauia in eos ſupplicia, decreuerint Imperatores Valentinianus & Theodoſius, Imperatores, vt occidantur tales, quod etiam lex diuina iubet: *Ex pœnis enim conſtat magnitudo delicti.*

V. Magiſtratus tenetur punire tales. Exodi 22.

Audite vos, qui ad Reipublicæ gubernacula, ex Dei diſpoſitione ſedetis, & grauia peccata, igne & ferro perſequi tenemini, quid vobis imponat Deus: *Maleficos non patieris viuere.* Nam ſi per eos alij ſeducantur, dum viuunt veſtra conniuentia, *ſanguis animorum illorum, è manibus veſtris exquiretur*; certum eſt: Similiter dico de *Strigibus*, quæ etiamſi nullum hominem Diabolico ſuo veneno necaſſent, nec iumentis aut ſegetibus nocuiſſent, etiamſi *Necromanticæ* non forent, eo ipſo tamen, quod Dæmoni ſunt fœderatæ, & veneficarum conuentibus intereſſe ſolitæ, & ea, quæ ibi fiunt, exercere conſuetæ, ob hoc ipſum eradicandas & è medio tollendas eſſe: Non ego hoc dico; dicit Ius diuinum, Dei ore prolatum. *Maleficos non patieris viuere.*

2. Rationes cur puniẽdi?

Clamat hoc *Ius Eccleſiæ*, clamat *Ius Imperiale*, in toto titulo de Maleficis & Mathematicis, quid amplius vultis? Si rationem requiritis, cur tales puniendi:
1. 1. Ratio eſt: Abiurant in gratiam Diaboli Deum, ipſum Filium Dei, Matrem eius benedictam,
2. omnes cœlites: & iurant quod velint nocere hominibus, &
3. iumentis, & inanimatis Creaturis: Horrenda in Deum male-
4. dicta, quotidie, licet occultè, iaciunt. Abutuntur creaturis, & aliquando SS. Sacramento, horrendum dictu: Effodiunt
5. cadauera, infantulorum, offerunt ſacrificia Diabolo, abomi-
6. nanda alia, quæ non licet vobis dicere: Nefandis Sodomijs, cum Diabolo, in corporibus aſſumptis, ſe ſe illis commiſcen-
7. te, polluuntur, & deteſtanda plurima patrant: Annon hoc grauiſsimum peccatum Idololatriæ, cum pro Deo Diabolum
8. colunt? Annon Apoſtaſia, à Deo, cui ſe in Baptiſmo obliga-
9. runt? Taceo hic Sodomiticas commixtiones inter ſe mutuò, immolationem filiorum ſuorum & filiarum, quas Diabolo
10. ſacrificant, quæ duo peccata, Deus igne & gladio punienda,
Leuit. 20. mandauit in Leuitico. Quid plura dicam? *grauius* eſt Magiæ peccatum, Luciferi peccato, *grauius Adami* peccato, *grauius* om-

nibus

nibus peccatis, omnium aliorum *damnatorum, grauius* ipsius *Iuliani Apostatæ* peccato, & fœdissima à fide Apostasia. Et quidni grauissimum inter omnia huius mundi scelera censeatur?

Confessæ sunt Sagæ illæ, quæ ante annos decem, in hac ditione, supplicio sunt affectæ, omnes vno ore, & inter eos præsertim, verè pœnitentes, sese instinctu Dæmonum suorum, omnia septem à Christo instituta Sacramenta prophanasse: Baptismum, eo quod tertio ac sæpius, quo magis eorum malitia, & hominibus, & iumentis nocendi, accreuisset, à Diabolo, sese permiserint, in omnium dæmoniorum nomine Baptizari, Sacrum Chrisma Diabolicis vnguibus, à frontibus abradi, ac diabolicum characterem, & stigma illis imponi. Sicut & pro confessionis Sacramento supponunt, flagitiorum patratorum enumerationem; Absolutionis loco diabolus subiungit: Ite & in nomine omnium diabolorum adhuc grauiora patrate. Sacram synaxin conspurcant cum diabolus in multicolori plicabili tunica, qualem Prædicantes gestare solent, vt plurimum sub patibulo, varijs gesticulationibus, quodammodo sacrificium Principi dæmoniorum offert, & Sagas picea & ardenti quadam hostia, sulfureoque calice, communicat, quem dum sumunt, sensibili doloris in momento transeuntis, alteratione omnia quodammodo interna viscera. infernali velut igne, sentiunt inflammari. Extremam vnctionem repræsentat, quando diabolico suo, eas vngit vnguento, & ad omnia sacrilegia, homicidia, aliaque mala, eas roborat, & confortat, Ordinis Sacramẽtum contaminant, dum septem malitiæ gradibus, veluti tot ordinibus initiati, ad summum veneficij gradum, euehuntur, vt etiam filios suos & filias, diabolo sacrificare cogantur. Matrimonium defædant, non solum quando singulæ proprijs in humana forma diabolis, copulantur, verum etiam, dum turpissima adulteria, inter se mutuò commixti, admittunt. Concionatur illis, non raro, sub patibulo, in conuentibus nocturnis, atque ad omne sacrilegiorum genus animat, & exhortatur. Præterea alia mille nefanda ad quæ à diabolo instigantur & inducuntur; quin etiam adiguntur, & vi compelluntur.

II. Vndecima & præcipua ratio: prophanatio omniũ. VII. Sacramentorum.

4. Quid potissimũ impellere debeat Magistratum ad puniendos Magos & incantatores.

Certè, *ô Magistratus* à Deo ordinate, si non haberes aliud motiuum, eradicandi tales veneficos, Magos & hariolos, sufficere deberet: Nam primò grauissimè nocent Reipublicæ, cuius tu custos es, & Deum grauiter ad iram commouent, vt propter talia peccata, integras aliquando prouincias puniat, & permittat, vt per huiusmodi maleficos, maxima mala perpetrentur. Deinde tales non ociantur, sed semper plures ac plures animas diabolo acquirunt, ac Deo suffurantur: Ac demum, si tu à Deo *constitute Magistratus*, eiusmodi punias, non noces illis, sed plurimum prodes. Quid sic? Experientia docet, vix vnquam vllam eiusmodi veneficam, extra Rogum & carceres conuerti, si domi moriantur: Nam nisi sint sub potestate Magistratus, quod magnum miraculum est, dæmon tantam in eas potestatem habet, vt non sinat eas vlli confessario hoc peccatum reuelare: Quam primum verò Magistratus ciuilis, eas in sua potestate habet, facile conuertuntur, quæ vel sola ratio, Magistratum inducere deberet vt illarum animarum saluti consulerent, quæ *in Beelzebub Principe dæmoniorum* tam nefanda opera patrant.

1.

2.

3.

5. Exempla punitorum à Magistratu.

1. Lib. 1. Dial. cap. 4.

2. Lib. 4. Annal.

3. Hist. Francor. lib. 6. c. 35.

Punitos maleficos à Magistratu fuisse, exempla à sanctis Patribus & alijs audite: Refert S. Gregorius Magnus, Basilium quendam, in habitu Monachi, pessimum magum, circa sua tempora Romæ, iussu Romani Senatus viuum exustum esse. Sic Nicetas Choniates refert, Manuelem Imperatorem Constantinopolitanum, *Sclerum, Sethum, & Michaelem Siciditem*, Magos, qui incantationibus suis, amores impudicos conciliabant, inuisibiles se se faciebant, dæmonum cohortes, in quos volebant, immittebant, oculos hominum mirifice ludebant, varijs spectris, oculis priuari iussisse, ac tandem plane è medio sustulisse. Sic B. Gregorius Turonensis memorat, de Regina Galliæ, cuius filium sagæ interfecerant, & diabolo, opera cuiusdam, Mummuli nomine, venefici & Aulæ Regiæ præfecti, donauerant, quæ cum comprehensæ ac peccatum confessæ essent, magno numero, partim viuas exustas, partim crurifragio affectas fuisse; ideo præsertim, quia fassæ fuerant, se veneficijs suis plurimos homines enecasse.

Et certe puniendos esse tales, vel S. Pauli exemplum, qui Elymam Magum cæcitate percussit, & similiter S. Gregorij exemplo, qui duos Magos, & ipse cæcos effecit signo sanctæ crucis, sufficienter probari posset. Hic enim quendam adulterum potentem Romæ excommunicauerat, ob adulterium. Indignatus ille, Magos consulit, qui donis persuasi, polliciti sunt, se incantationibus suis, dæmonem immissuros in equum quo S. Pontifex ad stationes, equitabat, vt is in furias actus, sessorem aut interficeret, aut ephippio, cum contritione membrorum, excuteret: Stantes itaque occultè in editiori loco, vbi transeundum erat, immisso dæmone, equus ita cœpit agitari, vt à stratoribus non posset teneri. At vir sanctus, reuelante Spiritu sancto, incantationem sentiens, facto crucis signo, equum à vexatione liberum reddidit, & Magos illos duos excæcauit: qui illico ad sancti viri pedes, & instinctum adulteri confitentes, veniam petierunt. Non puniuisset eos vir sanctus, nisi dignos esse, cognouisset. Et certè millies melius esset, Magistratum tales punire, vt eorum & peccata & pœnæ abrumperentur, & animarum salus procuraretur, quam conniuere, vt in æternos ignes conijciantur, quod & præcipuè contingit qui conniuentia Magistratus, impunitate in hac vita potiuntur. De *Heinrico Cornelio, Agrippa, egregio* Mago, refert Iouius, habuisse nigerrimum canem, semper comitem, quem Dominum suum appellabat, erat dæmon in specie canis. Cum igitur mortis eius hora, in propinquo esset, dum Gratianopoli in Xenodochio grauiter decumberet, Cani diabolo, iracundo vultu dixit. *Apage maledicta bestia, tu me in æternum perdidisti*: abijt canis, in flumen desilijt, nemini amplius visus: At Agrippa desperans veniam, infelicem Spiritum, longè infelicius exhalauit.

Ioan. Diac. vitæ S. Gregorij lib. 2. cap. 43.

6. Gregorius Magnus duos Magos & Incantatores signo crucis excæcauit.

7. Interitus Henrici Cornelij Agrippæ.

In Elogijs.

Refert etiam Ioannes Iunior, Ordinis Prædicatorum, æuo suo Toleti, vixisse maximum Necromantam, qui Iuuenem, quo à seruitijs vtebatur, pro more hominum, istiusmodi, etiam seducere volebat, vt se diabolo obligaret. Exit igitur cum accipitre in syluam, subitò apparet illis castrum elegantissimum,

8. Magus à diabolo abductus.

Ex scala cœli. Spec. Exépl. Tom. 2.

mum', in quod introducit Necromanta Iuuenem, vident magnum militum numerum, vident auro argentoque omnia fulgentia, vident in aula Regem, in aureo solio residentem, qui Mago assurgens, eum iuxta se, sedere iubebat, at ille: *Domine Rex veni vt istum, quem adduco, dites, & homagium præstabit tibi*, iussus itaque Iuuenis abnegare Deum, & cœlestes, tremens ipse ac perhorrescens facinus dixit: *Ego me commendo Patri, Filio & Spiritui sancto*, simulque cruce se signauit: Et ecce totum Phantasma, Rex & omnis apparatus, disparuit in momento, & dæmones Necromantam secum in infernum abducunt, vt nemini hominum amplius visus fuerit. Horrendam historiam recenset Vincentius in speculo historiali, de femina quadam malefica Notoria, quæ defuncta in Ecclesia sepulta fuit, & clericis de nocte pro ea Psalmos cantantibus, viderunt, horrendos aspectu dæmones, Ecclesiam ingredientes, eamque surgere iubentes, è sacrophago extra Ecclesiam traxerunt, & equo in dorso suspensam, clauis & vncis ferreis armato, mirumque in modum hinnienti impositam, absportarunt, ita vt misere clamor ad multa milliaria audiretur. Sic sic, qui *in Beelzebub Principe Dæmoniorum* res nefandas condiscunt & exercent, in anima & corpore, puniuntur.

Lib. 25. c. 26. 9. Defunctæ cadauer extra Ecclesiam à dæmonibus raptatum & absportatum.

Vos ergo, qui tales estis, si hîc sint aliqui, si vos dæmon adhuc dementat, vel nunc aperite oculos, & fraudem eius agnoscite, resipiscite: Ecce iam dum viuitis, ianua misericordiæ DEI vobis aperitur, venite tandem, & viris potestatem habentibus, aperite peccata vestra, ne vos amplius dementet malignus hostis; Esto, sit ipse *fortis* ille *armatus*, qui atrium suum, hoc est animas tales captas, homagioque sibi deuinctas obtineat; fortior tamen multò est gratia DEI, *cum fortior superuenerit*: Quinimmò etiamsi tales sanguine suo, scriptis & iuratis chirographis, se se dæmoni deuouerint, dummodo pœnitentiam agant, & dæmoni abrenuncient, liberantur ab æterna damnatione. Nonne habetis præclarum huius rei exemplum, *de Theophilo*, qui sanguine suo, scripto chirographo, diabolo se deuouerat; resipiscenti, & dæmoni renuncianti, coactus fuit

Luc. 11.

Metaphrast. & Sur. tom. 1.

hostis,

hostis, Chirographum restituere. Habetis & pręclarum exemplum in vita S. Basilij, de alio, qui similiter sanguine suo, chirographo scripto, diabolo se deuouerat, quod & reddere coactus fuit. Quin etiam, tametsi iuramenta accesserint, & obligationes reciprocæ cum dæmone, & pacta vtrinque indissolubilia, qualia, teste Petro Mamorio, apud Guilhelmum Linsem Theologum Doctorem, magiæ & veneficorum conuictum, sed tandem pœnitentem, inuenta fuerint, possint, si velint tantum, cum Deo, possint in gratiam redire: Ecce quam benignus & misericors est Deus, qui neminem vult damnari, sed omnes cupit saluari, cui laus, honor, & gloria in sæcula. Amen. Lib. de Lamijs.

CONCIO II.

AD QVEM IN MORBIS PRO AVXILIO CONFVGIENDVM? NVM AD DEVM vel Magos & veneficos?

Hic cum audisset, quia IESVS *adueniret è Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, vt descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.* Ioan. 4.

Super Euangelium de filio reguli ægrotante.

EQuos progredi nolentes, calcaribus, boues stimulis, asinos fustibus & baculis ad cursum propellimus, & incitamus: Sic Deus afflictionibus & cladibus, morbis & tribulationibus, attritos, vt ad eum recurramus, nos agitat & exercet, vt rectissimè & dixerit & senserit, S. Gregorius: *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt*; Exemplo sit nobilis Satrapa Iudaicus, qui nisi filij morbo lethali compulsus, nec Christum Dominum quæsiuisset, nec iuuenisset, nec opem ab eo flagitasset, nec ab eo, in vera fide eruditus, ipse *cum tota domo sua credidisset*; ad quæ omnia bona, tribulationis calcar & stimulus, eum induxit. Verum prô dolor apud nos hîc Bambergæ, quam plurimi reperiuntur, qui siue naturalibus à Deo immissis morbis, siue, permittente Deo, per philtra & dæmo-

niacas ligaturas, caussatis affectionibus, molestis, quibus inter coniuges, non rarò, exercitium Matrimonij impeditur, quin etiam plurimi clandestinè interficiuntur, vt experientia constat; innumerabiles, inquam, est videre & audire, qui non ad Deum suum, pro auxilio recurrant, sed apud magas, & veneficas mulierculas, opem expostulent, eoque ipso per illas Diaboli diribitrices, infernalis Draconis rictui, cum anima & corpore, non rarò intrudantur. O fœdissimam à Deo vero Apostasiam, & multo detestabiliorem, ad iuratum, humani generis, hostem, defectionem. Nos itaque Euangelij hodierni occasione, tria hæc breuiter elucidabimus; *Primo* quam graue peccatum sit, recursus iste, ad magos & veneficos? posita autem tali necessitate, in quo spes & fiducia nostra collocanda? *Secundo* declarabimus, cur DEVS eiusmodi maleficia, quibus tot homines, opera Diaboli, hic Bambergæ, in matrimonio toties impediti, vt tandem enecentur, permittat? Faxit Deus, vt hac concione eruditi, omne imposterum refugium vestrum in Deo, & cœlitibus, & in nemine alio, collocetis. Amen.

I. Recursus sacrilegus ad Magos.
I. Tribulationes Deus cōuertit in bonum nostrū.

Abijt ad eum, & rogabat vt descenderet, & sanaret filium eius; incipiebat enim mori. Ea est Domini DEI, in nos summa benignitas, vt non solum innumera, quibus nos quotidie in anima & corpore, cumulat, beneficia, sed & ipsa mala, quibus, prouidentia eius, permittente, paterne nos visitat, in bonum nostrum dirigat, vt nos ad æternæ salutis nostræ scopum, infallibiliter disponat, atque conducat; quod in Euangelico isto Regulo meridiana luce, clarius apparet: vt non immeritò de hac eius intentione dicat Rex Dauid: *Posuisti Tribulationes in dorso nostro: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, beatitudinis æternæ. Vnde non immeritò de electis omnibus Salomon: *Ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis, ad commemorationem mandati, legis tuæ*: quid hoc rei? quæ nam ista commemoratio legis diuinæ? Quænam lex illa æterni legislatoris, cuius memores nos esse oportet, cum à Deo tribulationibus visitamur? Rursum audi Dauidem: *Inuoca me in die tribu-*

Psalm. 65.
Sap. 16.
Psalm. 49.

tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Noli à magis, à veneficis, ab illis qui cum diabolo pactum habent, auxilium petere, sed ad me recurre, *qui tecum sum in tribulatione.* Ego ego, cum tibi vtile fuerit, *eripiam te & glorificabo.* Psalm. 90.

Quid ais Domine? annon potest homo vbique auxilium quærere, vbi se sperat illud inuenire? annon malitiosi quidam homines dicunt: *Si me diabolus ab hoc morbo, dolore, infestatione, infortunio, tribulatione, liberaret, non dubitarem ad eum recurrere, & opem efflagitare; perinde est, quicunque opituletur, dummodo malorum meorum, sentiam leuamen, siue Deus sit siue diabolus; siue bonus Angelus, siue malignus spiritus, vti* Theophrastus Paracelsus sentiebat. O impiam sacrilegorum hominum vocem; quid? à Diabolo & eius mancipijs, liberationem à tribulationibus, morbis, alijs malis, æquum sit efflagitare? Aiunt vetulæ incantatrices, Deum dicere: Mensch hilff dir / Ich will dir auch helffen; hinc deducunt, licere vti incantationibus. ℞ Quid dicitis, ô mancipia diaboli? Vbi hoc vnquam locutus est DEVS? Et posito quod dixisset, num ideo magiam confirmasset? An incantationes vestras approbasset? Videntur nugas suas hausisse ex Ecclesiastico, qui ait: *Altissimus creauit medicinam, & Vir sapiens, non despiciet eam: & honora medicum propter sanitatem,* medicum, inquam naturalem, à Deo creatas Medicinas, adhibentem: absit, absit, vt ad diabolum vos dirigat: nil Deo cum diabolo.

2. Nullibi nisi apud Deum licet auxiliũ quærere.

Lib. de morbo caduco, Et libro de Hyperphysicis morbis curandis.

Vetularum insanus prætextus.

Eccl. 38.

Quid porro Dominus Deus? *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid sciscitemini:* id est, ne remedia morborum, & tribulationum vestrarum, exquiratis ab eis: quid ita Domine? *vt polluamini per eos, quia ego Dominus vester;* Et rursum, quid illis eueniet, qui contra hoc DEI mandatum deliquerint, & magos in similibus consuluerint? Audi Dominum Deum, disertissimis verbis detonantem: *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fernicata fuerit cum eis,* auxilia ab ipsis efflagitando, *ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam, de medio populi sui.* Ecce eorum mercedem, qui in morbis, diuina permissione inflictis, & immissis, ad diabolum, & eius vasallos, recurrunt: *Auferam,* inquit per os Micheæ, *maleficia, quæ ab illis accepisti, de manu tua,*

3. Dei mandatum & eius transgressorum pœna. Leuit. 19.

Leuit. 20.

Mich. 5.

nu tua, & diuinationes, non erunt in te, id est nullum sortientur effectum, & faciam in furore & indignatione, vltionem, in omnibus gentibus, quæ non audierunt; qui huic mandato meo non obediuerunt.

4. Punitio Regis Ochoziæ. 4. Reg. 4.

Perterrefacere quempiam possit, lamentabilis casus, Ochoziæ Regis Samariæ: hic cum per cancellos cænaculi sui, quod habebat in Samaria, cecidisset, indeque lethaliter ægrotaret, misit nuncios ad eos dicens: *Ite consulite Beelzebub, Deum Accaron, vtrum viuere queam, de infirmitate mea hac?* Angelus autem Domini, locutus est, ad Eliam Thesbitem dicens: *Surge, ascende in occursum, nunciorum Regis Samariæ, & dices ad eos. Nunquid non est Deus in Israhel, vt eatis ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo ad quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Prædictionem, secutus est illicò euentus: *Mortuus est enim Ochozias, iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias.* In hodiernum adhuc diem, simili pœna Dominus Deus plectit omnes eos, qui in ægritudinibus suis, ad diabolum Beelzebub, & eius Ministros, confugiunt: Nam multi, qui si à Deo opem auxiliumque expeterent, salui & incolumes euaderent, Deo iustissimè apostasiam eorum vindicante, è medio tolluntur, & intempestiuè extinguuntur. Hinc tam seriò monet Apostolus: *Nolite locum dare Diabalo: Nolo vos fieri socios Dæmoniorum*, ne potestatem in vos accipiat, vitam vobis abbreuiandi, & ipsismet morbis, in corpore & anima, longè grauiora mala, vobis infligendi.

Ephes. 4. 1. Cor. 10.

5. Admonitiones S. Ioannis Chrysostomi. In Psalm. 9. Exponens verba: Exultabo in salutari tuo.

Sibimet imprudenter nocent, inquit S. Ioannes Chrysostomus, *qui in morbis vtuntur incantationibus, aliasque exquirunt imposturas, & præstigias, ad suam leuandam ægritudinem. Hoc enim non est saluari, sed perire; Maxima enim salus est, per Deum esse seruatum.* Hanc ob caussam, dum alibi tractat hoc argumentum, quatuor exempla eorum producit, à quibus tribulati condiscent, non ad Magos, sed potius ad Deum confugere: *Dauidis Regis* mæstissimi, ex graui filij ægritudine: Iob omni calamitatum genere obruti: *Lazari mendici*, & eius qui totos triginta octo annos, æger, motum aquæ ad piscinam Bethsaidam fuerat præstolatus: *Dauid Rex*, inquit, *diligebat filium ægrotum, & in sacco quidem & cinere iacebat,*

1. Homil. 13. In Ep. ad Coloss.

bat; verum neque diuinos, neque incantatores, adduxit, quanquam tum tales essent, id quod in historia Saulis liquet, sed Deo supplicauit. Vt vt diligas filium, non tantum diliges, quantum ille tum diligebat. Alibi quoque de cæteris sic ratiocinatur: *Ille qui triginta octo annos detentus fuerat in infirmitate sua, singulis annis currebat ad piscinam, & singulo quoque anno, repellebatur, nec assequebatur sanitatem, in perpetua paralysi, manens, nec tamen confugit ad diuinos, non adijt incantatores, aut prosilijt ad eos, qui per applicaturas, promittunt sanitatem, sed expectauit diuinam opem, eoque tandem, admirandam quandam, & diuinam sanitatem adeptus est. Lazarus autem cum fame, morbo, cum solitudine per omnem vitam, colluctatus est, non triginta octo annos, versatus in his, sed per omne vitæ tempus, sic igitur & expirauit, & in diuitis vestibulo iacens, irrisus, esuriens, canibus pabulum obiectus. Sic autem illius corpus debilitatum, erat, vt nec canes irruentes, vlceraque illius lingentes, posset abigere. Haud tamen quærebat incantationem, nec petala circumligabat, non expertus est imposturas, non veneficos ad se vocauit, nec aliud quidquam, vetitarum artium, tentauit. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui, cum illi tantis in malis, perdurarint, ob febriculam, aut leue vulnus, procurrimus ad Synagogas veneficorum, & impostores dæmoniacos, in ædes nostras accersimus?* Et S. etiam Augustinus, cane peius & angue, detestatur *ligaturas omnes atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibusdam rebus, suspendendis, atque ligandis consistunt, à quibus promittunt infallibilem sanitatem.* Et B. Gaudentius Brixianensis, monet Neophytos, *vt ab eiusmodi abominamentis Magiæ, tanquam à quibusdam Diaboli serpentis venenis, diffugiant, ne inficiantur.*

Orat. aduersus Iudæos. 2.

Lib. 2. de doct. Christ. c. 20.

Tract. 4. de lect. Exodi ad Neophytos.

Et quis in dubium reuocet, hoc esse grauissimum, & prorsus execrabile crimen? Vt enim sanctissimus Pater Ephræm, disertis verbis profitetur: *Quicunque vtitur magorum incantationibus ad pellendos morbos, aut alia quæcunque mala, contradicit abrenunciationi suæ, qua in Baptismo diabolo, & omni eius amicitiæ nuncium remisit, & seipsum infensissimi hostis, subijcit potestati, vt æternis gehennæ cruciatibus, mancipetur.* Quam porrò hoc graue sit peccatum, vt ego non dicam, edisserat S. Ioannes Chrysostomus: *Si leui ali-*

II. Grauitas huius peccati. 1. Contradicit abrenuntiationi Baptismi.

De abrenuntiatione.

Orat. 5. contra Iudæos.

quo, inquit, *morbo tentatus, illicò resiliens à Domino ad dæmones, accurras, quam tandem veniam consequeris? quo pacto valebis illum denuò tibi propitium reddere? quin potius nec alius pro te deprecari poterit, etiamsi valeat auctoritate, apud Deum, quantum Moyses: non est, inquam, quisquam qui hoc facere poterit. Itaque ne tantam in nos prouocemus iram; etiamsi videantur aliqui febrem incantamentis sedare, ratione atque conscientia quotidie flagellante, & dicente: Impiè fecisti, iniquitatem perpetrasti, violasti fædus cum Christo ictum, ob paululum bonæ valetudinis, pietatem de-*

2. Recursus iste inexcusabilis. *seruisti. Num tu solus hæc passus es: annon alij multò quam tu, acerbiora passi sunt? Attamen nullus illorum tale quid ausus: Tu verò mollis ac dissolutus, animam tuam dæmoni oppignorasti. Quomodo excusaberis Christo? quomodo illum implorabis precibus? qua conscientia post hac ingredieris Ecclesiam? quibus oculis videbis Sacerdotem? qua manu sacram attinges mensam? quibus auribus audies scripturas, quæ illic leguntur? Cum his stimulis quotidie ratio te punget, vrgebitque, cum conscientia flagellabit, rursus ipse dices: Quæ hæc est sanitas, cum intus habeam tam multas congitationes, accusatrices?* Pergit tandem aureum illud os: *Quodsi perduraueris paulisper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas adhibere corpori, multa etiam cum contumelia domo tua eieceris, protinus ab ipsa conscientia, refrigerationem acceperis. Etiamsi millies exurat febris, conscientia tua quouis liquore, quauis irroratione, meliorem, vtilioremque irrigationem adducet. Quemadmodum enim, postquam receperis incantationem, sanusque factus fueris, miserior es ijs, qui febre laborant, dum peccati reputas magnitudinem; sic nunc quoque, etiamsi febriciteris, innumeraque patiaris mala, repulsis impijs illis, quouis sano, melius affectus eris animo, gestiente conscientia, & ob patientiam tuã, proximo, post Martyres, loco stabis, in illa die.* Hæc Doctor ille sanctissimus, contra illos, qui incantatorum opera ad pellendos morbos, vtuntur.

3. Stultitia in periculo confugere ad iuratum hosté. Annon is planè stultus esset, qui in periculo quopiam' cõstitutus, ad illum confugeret, quem sciret, iuratum hostem suum esse, & ipsi, nec non eius adhærentibus, vitam suam te-
1. merè crederet? hoc tu facis in morbis tuis, ad magos, & con-
2. sequenter ad diabolum, opis caussa accedens. Si ægotares, an Medicinam, à Medico, vel Pharmacopæo sumpturus esses, quos

quos ſcires mortem tibi iuraſſe? Diabolus ſemper in tuam perniciem eſt, paratus; Magi diabolo iurare coguntur, quod velint omni humanæ creaturæ, quantum poſsint, nocere, & tu eos accedis, & remedium quæris? Stultiſsimus eſt, qui ad canem cathena alligatum accedit, & ſe ab eo morderi ſinit. Diaboli poteſtas limitata eſt; ſi hoc modo accedis, arripit te, & in corpore pariter & in anima lædit, & æternæ mortis gladio contrucidat. 3.

Quæſo vos, qui hactenus eiuſmodi incantationibus vſi eſtis, vel in diuinando, vnde morbi tales taleſuè profluxerint, vel ad morbos pellendos, quid vobis perſuadetis de eiuſmodi hominibus? mihi credite, vos ſperatis ab ipſis magnum emolumentum, reportare: ſed quia ſunt *venatores* & vertagi *Diaboli*, vos laqueis diabolicis captos & irretitos tradunt, ipſi diabolo, cuius ſunt fideles miniſtri, & iurati vaſalli, atque ad id vnicè intenti, vt eius Regnum amplificent; Nam *in Beelzebub Principe dæmoniorum* omnia faciunt quæcunque auſpicantur. Quæritis cauſſam? Deus immittit tibi aliquam ægritudinem, vel permittit vt aliquod damnum, in bonis, vel in fama tua, patiaris, ideò, vt te quaſi filium, ob peccata tua caſtiget, vt te per tribulationes ad ſe trahat, & ſaluet. Quid tu? velut Ochozias, à Deo te auertis, non ſperas in eius miſericordia, te ad diabolum & ſimiles homines recipis, qui cum diabolo pactum habent, vt quotquot poſsint, animos perdant. Putas te quærere tuam ſalutem corporalem, putas te velle cognoſcere, vbi ſit hoc vel illud, quod amiſiſti? & interim committis horrendum dæmonolatriæ peccatum & animam tuam perdis in gehennam; nec ſecus deciperis, ac vetula quædam, liuidos habens oculos, & incantationibus nimium credula, mediante perfidia ſua, diaboli ope ſanata eſt, vt ab eo decepta, in grauiores veneficij errores detruderetur niſi eximius quidam, verbi diuini Concionator, remoram inieciſſet.

4. Non ſalus ſed interitus apud diabolum inuenitur.

4. Reg. 1.

Rem autem, vt contigit, ſic Author ſpeculi exemplorum, deſcribit: *Coloniæ in inclyta Germaniæ ciuitate, femina quædam, liuidos & groſsis humoribus concretos oculos habens, cum pedetentim ſe ad cæcitatem,*

5. Amuletum diabolicum contra cæcitatem geſtans vetula turpiſ-

ſime decipitur.

Tom. 2. Diſt. 10. num. 16.

citatem, creſcente caligine, venturam formidaret, nimium confiſa medicorum conſilio, ferè totam ſubſtantiam ſuam, in non profutura collyria, prodiga quadam, & inconſulta liberalitate diſtraxit. Verum, cum poſt diuerſorum Magiſtrorum, varias curas, nihil niſi, vacua ære marſupia, infelix fæmina tentaſſet, tarde experta eſt, medicos facilius ſpondere, quam exhibere medelam. Si quidem id paruum lumen inualidæ lampadis, quod acceſſura, medicos, ſecum tulit impeditum, & cum graui iactura vix reportauit. Omni igitur ſpe recuperandi luminis, perdita, audiuit quendam ſtudentium eſſe, qui inſignitas membranas, quibuſdam diuinis verbis, ad colla infirmorum ſuſpenderet, talique remedio viros fæminaſque, ab oculorum quibuſuis incommodis, liberaret. Credidit fæmina, verbis narrantium, & non tam verbis exhibendis, quam erratica fide, ſananda, ſtudentem illum conſultura accedit. Et ne fruſtra reliquum ſubſtantiolæ ſuæ, in magiſtrum expenderet, inquirit ipſa à ſtudente, ſi non aliquando ars eum fefellerit? At ipſe, quia eloquens erat, innumera nomina, à ſe curatorum, facili pronunciatione retexuit, nullumque friuola, ſuæ artis, ſenſiſſe remedia, libera fronte fatebatur. Addit quoque, ſe promptiſſima manu, capta ſtipendia, redditurum, ſi in ea, quod in nullo, contigiſſet, ſuæ artis remedia, vacillarent. Tali igitur ſponſione animata mulier, dato homini precio, inſcriptam membranam, cum omni reuerentia, Fide, Spe, deuotione, ſericis quibuſdam veſtiolis, implicatam, tanquam, diuina oracula, continentem, ad colla ſuſpendit. Erat autem inſcriptio talis: Dæmon euellat oculos tuos, & ſtercoribus impleat, loca vacantia. Mira res. Vix pauciſſimi dies tranſierunt, & vniuerſi praui humores, ab oculis fæminæ fugientes, ceu tenebroſæ nubeculæ, à facie venti, impeditam eatenus innatæ lampadis flammam, clariſſimam reliquerunt. O quis calamus ſcribet, aut quæ vel facundiſſima lingua effari poſſet, cum quanto de hinc membranam illa mulier honore detulerit, quamque ſublimem, verba illa ſedem, in corde fæminæ huius acceperint, per quæ inopinatum luminis ſui fulgorem recepit. Cæterum ne hanc; vel quoſcunque alios, tam infauſto prodigio, ad exhibendam fidem, incantationibus dæmones concitarent, ac per hoc plures animas in barathrum damnationis eijcerent, placuit altiſſimo Deo, hoc modo, nequitiæ huius pudenda, detegere. Erat in diebus illis, quo hæc circa mulierem hanc agebantur, prædicator quidam, non minus vita, quam doctrina famoſus. Is cum præſente hac fæmina, aſpere ſatis, (vt merito debuit)

Riſibile Amuletum contra cæcitatem.

buit) contra incantationes inuectus esset, dixissetque eas nihil posse valere: venit ad eum mulier, postquam de ambone descendit, dicens ei: Admiror vehementer, qua fronte nil incantationes posse, prædicare audeas, cum non multis elapsis diebus, earum potentiam, in mei luminis reparatione, experta sim, receperimque per eas, oculorum meorum celerrimam sanitatem, quam nullæ mihi potuerunt medicaminum vires reparare, Et cum his, quomodo per appensam in collo membranam sanata sit, indicauit. Ad quam Prædicator: Si habes, inquit, circa te membranam illam, per quam te sanatam reris, peto, mihi eam præbe visendam, vt & ego videam, verba illa, quorum te adiutam virtute gloriaris. Tunc femina, detractam è medijs vberibus chartam, legendam præbuit postulanti. At cum Prædicator legisset, nequissimam illam inscriptionem, in risum concitatus, ad mulierem ait. O mulier, magna est fides tua. quæ tam prophanis ac nequissimis verbis, virtutem infudit. & tibi reddidit sanitatem; addiditque: Credis ne mulier, si huiusmodi verba, (& materna lingua, verba nefariæ inscriptionis pronunciat) essent scripta in schedula hac, per ea tibi perditi luminis aciem, posse reformari. At fæmina præ indignatione in rugas fronte fuscata, nequaquam ait: Quam enim virtutem habere possent verba nequissima? Tunc ille, per Sacerdotium meum, inquit, nihil aliud præterquam dixi, in hac charta descriptum reperio. Tu ergo videris, qua te, maleuolus ille homo, virtute sanauerit. Suadeo ergo tibi, vt confessa errorem, ad pœnitentiæ remedia festines, & illos oculos lachrymis riges, quos non tam fides, quam perfidia illustrauit. Ad quæ verba, femina in stuporem versa, præ nimia indignatione, & inscriptionem rupit, & maledicta in auctorem congeminans, de cetero, similibus rebus, fidem non exhibitura, pœnituit. De quo sit benedictus Deus in secula. O miseriam, ex admirabili dementatione diaboli profectam.

Nota fœdam deceptioně.

Quæso te, consule rationem tuam, & inuenies diabolicam fraudem maximam, hisce vaticinijs & morborum incantationibus subesse: Certum est, vnum ex his duobus: vel habent ista à Deo, ob sanitatem, vel à diabolo ob pactum. Non datur tertium. Quod non habent à Deo propter sanctitatem, istam gratiam sanitatum & vaticiniorum, & reuelationum, vt furta & similia secreta facta, reuelent, meridiano sole clarius est. Nam si haberent propter sanctitatem, vt Apostoli & alij

III. Fraus latens in hisce incantationibus detegitur.

1. Vel habent morborum sanationem per incantationes à Deo, vel à diabolo.

1. Non à Deo propter sanctitatem. Marc. vlt. Isai. 41.

sancti habuerunt, à Christo, qui dixit: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Similiter de reuelatione secretorum, de qua ait Esaias Propheta: *Priora & nouissima annunciate mihi, & dicam quod Dij estis*, id est sancti. Si, inquam, haberent à Deo, propter sanctitatem, tàm viui, quàm mortui, propterea essent colendi, & Deus non permitteret, illorum sanctitatem abscondi, saltem post mortem. At Deus persæpè, multis miraculosis rebus ostendit, tales homines esse planè maleficos, & diabolo adstrictos, & tota Christianitas illos pro talibus maledictis incantatoribus, habet: Et Christi Ecclesia in hac parte errare non potest: Ergo non habent propter sanctitatem à Deo. Rursum, si sanctitate sanant homines, aut iumenta, quare dona exquirunt? quare pro amore Dei non sanant, sicut *Cosmas* & *Damianus*, & alij sancti, qui pro gratia sanitatum, nulla voluerunt munera accipere? Quare oportet illis tot pecunias, tantum vel tantum dare, alias, aiunt, nihil iuuare? Ergo non habent à Deo, qui ait, si alicui talem gratiam communicet: *Gratis accepistis, gratis date*, vt dicebat Apostolis, quando mittebat eos ad fugandos dæmones, & sanandos ægrotos. Præterea, si vt sancti sanarent, virtus sanatiua, cum ossibus & corporibus eorum, remaneret post mortem, sicut & ossa Helisei, contactu suo, mortuum resuscitarunt, & sicut hìc iacentes SS. Patroni nostri *S. Henricus, & S. Cunegundis*, post mortem, multa sanitatis miracula, solo ossium & reliquiarum contactu, patrarunt. Immò plerique sancti plures leguntur sanasse, mortui quam viui: sed de sortilegis istis, & incantatoribus, nunquam legitur, quod vel claudum canem sanauerint, eorum fætida cadauera; Ergo non habent eas à Deo gratias propter sanctitatem. Rursum sancti qui habuerunt hoc donum, sanitatum, & reuelationis secretorum, cum multis alijs virtutibus, & abstinentia, vitæ munditia; simulque tantam humilitatem, vt semper fugerint loca vbi talia miracula faciebant, ne de laude populi, vana gloria affecti, sanctitatem amitterent: At venefici & incantatores isti, vbi maius

2. Non sanant nec vaticinantur gratis ergo non habent à Deo.

Matth. 10.

3. Virtus sanatiua non remanet cum ipsorum ossibus.

4. Nec humilitate nec vitæ munditia sunt conspicui.

ius lucrum, maiorem famam possunt acquirere, ibi libentius morantur: Ergo non habent à Deo propter suam sanctitatem. A quo igitur? Non possunt ex se naturaliter, propter gesticulationes illas, & verba adhibita habere: Quia si naturaliter possent, omnes similiter talia facere: à quo habent igitur? à quo? à diabolo, cui speciali pacto sunt obligati, vt eius Ministri, qui eis promisit, quod si ipsius esse velint, adhibendo talia vel talia, hæc vel illa sint effecturi.

Sed obijciunt: *Diabolus est pater mendacij, & falsitatis.* Ergo si haberent ex pacto cum diabolo, nec vnquam sanitas sequeretur, nec vnquam veraciter, res amissas, vel furto sublatas, reuelare possent: Resp. Aliquando sanitas casu sequitur, & illi adscribunt incantationi: Si morbus sit à diabolo, aut maleficis, aut sagis inflictus, diabolus ex pacto, cum incantatoribus occulto, cessat à malefici læsione: Sic enim legitur in vita S. Bartholomæi, de diabolo Astaroth, qui homines propter infidelitatem lædebat, dimisit, vt ipsi se ab illo sanatos, crederent: Vel diabolus id facit, ad hominum ludificationem, vt eos, à spe vera in Deum, & fiducia abducat. Sicut de S. Germano legitur, qui per Lombardiam iter faciens, diuertens apud quendam, audiuit ex eius vxore; quomodo amici eius mortui venirent semel in hebdomada, de nocte, ad comedendum cum eis, aiens, illa nocte venturos. Sanctus rogauit, si posset cum illis loqui: quo facto, coniurauit, *qui nam essent, & cur nam venirent?* Dixerunt se esse viuos dæmones, & venire ad illusionem hominum, qui eis cibum præberent, & hoc, quasi occulto ad minus homagio ipsos honorarent. Sic qui dant incantatoribus Ministris diaboli, munera, honorant eos, hoc vel implicito honorario, honorant diabolum, præferentes eum Domino Deo. Quod aliquando vere dicant, non est mirabile, quia dæmon subtilitate naturæ suæ, & velocitate, multa nosse potest quæ nequeunt homines, & fieri potest, quod adfuerit furto, & viderit, vel instigauerit ipse furem, vt postea ad veneficam recursus fieret. Plerumque tamen rarius iuuant tales incantationes & magis mentiuntur

5. Obiectio: Aliquando verè sanant, & vera prædicunt quod non potest esse à diabolo qui est pater mendacij.

1.

2.

Abdias Babylonius.

In eius vita apud Surium.

Illusio dæmonum vt implicite ab hominibus honorentur.

2. Quod aliquando vera dicant non est mirabile.

tales, quam verè dicant. Experientia constat, quid exempla requiritis? Nemo ergo vel in suo, aut filiorum suorum morbo, aut in infortunio aliquo, ad tales homines recurrat, quia eo ipso, recedit à Deo, & se tradit diabolo, quod grauissimum peccatum est, & ni expietur, in hac vita, in altera certè æterna pœna piandum. S. Bernardus graui dolore capitis, adhuc puerulus vexabatur, inducitur mulier, quæ carminibus suis, dolores pellat. At ille ea visa, reclamat, non vult pati, & pugnis in faciem ei inuolat, & veneficam pellit: Sed ecce, vbi venefica domum egressa fuit, Deus miraculose, sancto puero sanitatem in momento dedit, vt surgeret sanus. Sanctus etiam Gregorius recenset de quadam femina, quam cum ob carnis libidinem, dæmon ingressus fuisset, Parentes eam tradidisse incantatoribus, vt liberaretur. Quod dum ipsi moliuntur, & vnum ex ea dæmonem tentant expellere, integra Legio eam inuadit: Sed tandem à S. Fortunato Episcopo, vix multis orationibus & ieiunijs expulsis dæmonibus, sanata fuit.

3. S. Bernardus abigit vetulam incantatricem.
In vita S. Bernardi lib. 1. cap. 2.
Lib. 1. Dial. cap. 10.
Ab vno dæmone obsessa incantatoribus tradita ab integra legione obsidetur.

Quæ cum ita sint, nunquam potui satis demirari, non solum nostræ ciuitatis, verum etiam totius huius Prouinciæ Vesanam in accursu ad Magos & incantatores stoliditatem, immò verò execrabilem omninò impietatem. Quid de Bamberga nostra dicam? Vix erit platea, in qua, si non plures, vna tamen ad minimum talis morborum expultrix, & incantatrix, aut putatiua diuinatrix reperiatur. De tota Patria, si sit sermo, non est oppidum, non castrum, non pagus, aut vicus; vbi tales animarum helluones ac perditrices diabolus non conduxerit, non constituerit, non collocârit, vt si non expresso, saltem occulto & interpretatiuo homagio, Christi sanguine preciosissimo emptas, in cassas & retia sua pelliciat, animas, atq; in perpetuæ damnationis barathrum conijciat, ac disperdat. Tubarum instar, exclament Sacerdotes, ad rauim vsque obiurgatorias voces extollant, nisi à Politico Magistratu, cum ferro ignis adhibeatur, infernalis hydra, nunquam compescetur. nunquam opprimetur, terribilis illa, à Christi fide Apostasia, nunquam eradicabitur nunquam euelletur.

Eia

Eia ergo, à Deo ordinate Magiſtratus diuiniſsimum iſthic officium tuum imploratur, *Non dormitet neque dormiat; qui custodit Iſrahel.* *Accingere gladio tuo potentiſſime*, Diuinæ Maieſtatis locum tenens, *argue, increpa, euelle* & *diſperde, caſtiga* & *interime* tales animarum peſtes, & exitialia humanæ Societatis Monſtra, funditus dele, radicitus extirpa, venenata corporis Reipublicæ tibi commiſſæ, membra reſcinde,

Pſalm. 120.
Pſalm. 44.

Ne pars ſincera trahatur,

neue *Morbida facta pecus, totum corrumpat ouile.*

quod à communitate iſta, diuina bonitas, eliminet, & omnino auertat. Amen.

CONCIO III.

VARIÆ PRÆTENSIONES CONFVGIENTIVM AD MAGOS ET INCANTATORES, dum morbis alijſque DEI flagellis caſtigantur & atteruntur.

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Pſalm. 140.

A Corrupta, per Adami peccatum, natura, hoc malum hæreditauimus, vt mala, quæ peccando perpetrauimus, tergiuerſando, & excuſando, vt plurimum adaugeamus; quod crimen, vt à ſe fugaret Regius vates, Dominum Deum ſuum exorabat: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*; quæ verba dum explicat Caſsiodorus, inter alia ſic ait: *Hoc ſanè maximum eſt vitium, quo laborat humanitas, vt poſt peccatum ſuum, maximè ad excuſationis refugium, quaſi pœnitudinis confeſſionem, ſe proſternat; quod facinus inter ſumma peccata, conſtat eſſe numeratum; quia inde naſcitur, vt reus ad pœnitentiam tardius, ac difficilius inducatur.* Hæc ille, cui etiam adſtipulatur S. Gregorius, hiſce verbis: *Vſitatum humani generis eſt vitium, libendo peccatum committere, & commiſſum, negando abſcondere, & conuictum defendendo excuſare. Addit autem peccatum peccato, qui culpæ,*

Pſalm. 140.
In eundem Pſal.
Lib. 22. Moral.

 quam

quam contraxit, patrocinia excuſationis quærit. Quod cum in alijs omnibus peccatis locum inueniat, in hoc tamen ad magos, & morborum incantatores, recurſu, potiſsimum exercetur, dum qui apud talia diaboli mancipia, ſalutem opemque exquirunt innumeras excuſationes prætexendo, reatum criminis occultare contendunt. Vt ergo tanti ſceleris abominationem rectius agnoſcant, & à Deo veniam petere ſatagant, friuolos ac temerarios eorum prætextus, audiamus, Deoque dante, refutando diſsipabimus ac diſijciemus.

Variæ prætẽſiones confugientium ad Magos.

I. De Pericul. vitæ.

Serm. 19. de Paſſ.

Eſt igitur *excuſatio prima: Vita mea,* inquit, *periclitabitur, ſi auxilium ab incantatoribus non accepero: nemo enim alius me iuuare poterit.* Reſpondet S. Ioannes Chryſoſtomus: *Citius mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda.* huc referendum eſt Conſilium S. Leonis Papæ: *Cum dæmonibus nihil amplius liceat, quam Iuſtitia diuina permiſerit, agunt tamen verſutiſsima arte fallacia, vt ex arbitrio propriæ voluntatis, aut parcere videantur, aut lædere. Et multis, quod dolendum eſt, ita per nequitiam ſimulationis illudunt, vt quidam & illos timeant pati, infenſos, & velint habere placatos, cum beneficia dæmonum, omnibus ſint nocentiora, vulneribus, quia tutius eſt homini, inimicitiam diaboli meruiſſe, quam ſibi vltro eam conciliaſſe.* Ratum ſit itaque, quod monet S. Auguſtinus: *Cum ergo,* inquit, *cauſſæ articulus venerit, vt hæc proponatur conditio: Aut faciendum contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum, homo, ſi cogatur alterum eligere, comminante mortem morbo, per maleficium immiſſo, ibi eligat, Deo dilecto emori, quam Deo offenſo viuere: Ibi oderit in hoc mundo animam ſuam, vt in vitam æternam, cuſtodiat eam.* O ſaluberrimum ſanè conſilium.

Tract. 15. In Ioannem.

II. De effectu Incantationum.

Oggerent alij, incantatorum defenſores: Quidquid ſit, de re ipſa, experientia tamen conſtat, vetulas incantatrices, nunc hos, nnnc illos morbos depellere, & ſanare: Et niſi illæ obſtarent, multi non raro interirent. Reſpondeo ego, vt plurimum vetulæ, quæ morbos, mediante dæmone ſuo, cui ſeruiunt, immittunt, dæmone à læſione ceſſante, eos tollunt. Exemplum refero, de meo Parente piæ memoriæ, verum & ratum, hic ſingulis menſibus, horribili capitis, dentium, maxillarum,

Reſp.

Hiſtoria verax rata.

larum, & aliquando humerorum, ac laterum, aliquando etiam, crurium & totius corporis, à vertice vſque ad plantam, doloribus & puncturis, cruciabatur, quos vulgo daß Geſchoß/ appellitabant, nec poterat liberari, niſi magnam quandam incantatricem, ex pago Züllſtenberg/ quam & de facie & nomine noui, aduocaret, quæ primum liquato plumbo, & catino cum aqua, demurmurato cum carmine, capiti eius impoſito, plumboque guttatim infuſo, quot aculeos, plumbum in aqua diſperſum oſtendebat, tot illum puncturis, Geſchoß/ affligi aſſerebat. Tum verò tot hordei aut auenæ granis, in aqua incantata, alioque carmine immurmurato, parata, iactatis, in fundum ſubſidebant, tot eum puncturis liberatum, dicebat: Et quoties ventitabat, toties cum certa pecuniæ ſumma, de qua nihil illi, ſub pœna reditus morbi denegari debebat, numerata, diſcedebat: Capta tandem & combuſta à Magiſtratu ciuili, faſſa eſt, ſe morbos eiuſmodi, quam plurimis, opera dæmonis, vt panem ſuum lucraretur, immiſiſſe, & carminibus ſuis, iterum ſuſtuliſſe. Verum, vt alibi iam retuli, cum Parenti meo, tum adhuc hæretico, *Agnum Dei*, à Societatis Patribus acceptum, è collo geſtandum, dediſſem, nunquam amplius rediit morbus, & ipſa venefica faſſa eſt, ſe ei amplius, non potuiſſe nocere. Quid ergo mirum, ſi dæmon ceſſet à læſione, quam ipſi venefici, opera dæmonis intulerunt? Præterea audi S. Auguſtinum, obiectioni huic reſpondentem: *Sed iterum dicis, aliquoties ſi præcantatores non fuerint, aut te morſu ſerpentis, aut de alia quauis infirmitate, prope vſque ad mortem multi periclitantur. Verum eſt, fratres chariſſimi, quia permittit hoc Deus diabolo, ad probandum Chriſtianum, vt cum interdum, per illa ſacrilega aliqua remedia, in infirmitate decipere potuerint, facilius poſtea diabolo credant. Sed qui totam Chriſtianam Religionem deſiderat cuſtodire, oportet vt hæc omnia tota animi virtute contemnat. Et illud ante omnia ſcitote fratres, quod nec vos ipſos, nec eos qui ad vos pertinent, vel in paruis rebus diabolus poteſt lædere, niſi quantum à Deo poteſtatem acceperit; quomodo nec S. Iob facultatem, auſus fuit ſubuertere, niſi Domino permittente. Et ſicut in Euangelio legimus, quando ab hominibus expulſi ſunt dæmones, rogauerunt,*

Serm. 241. de temp.

Iob. 1.

Matt. 8.

runt, vt vel in porcos ire permitterentur. Si in porcos, non ausi sunt intrare, nisi à Deo permissionem acciperent, quis ita erit infidelis, vt eos bonos Christianos, credat, posse lædere, nisi Deus propria dispensatione permitteret? Permittit autem hoc Deus, ex caussis duabus: aut vt nos probet si boni simus, aut corrigat, si peccatores. Sed qui patienter dispensationem Domini tolerauerit, & quando aliquid perdiderit, dixerit: Dominus
Iob. 1. *dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum: pro ista Deo placita patientia, aut coronam accipit, si iustus est, aut indulgentiam, si peccator. Sic Iob vir sanctus, noluit istam gloriam Diabolo dare, vt aliquid potuisset tollere, quod Dominus non permisisset auferri.* huc vsque S. Augustinus. Vnde constat, potius toleranda esse, extrema, malorum omnium mala, quam vt à Deo perfidi apostatæ effecti, ad Dæmoniacos incantatores confugiamus.

III. Mulieres Christianæ sunt & sacra verba vsurpant.

Opponunt alij: *Quidquid tandem sit rei, de incantationibus, mulieres tamen illæ sunt Christianæ, sacris verbis, de Deo, & rebus diuinis vtuntur, iubent toties vel toties precari Pater & Aue, symbolum & similia.*

Resp. 1. Sunt Inuolucra Dæmonis.

Respondetur: Ista sunt Dæmonis inuolucra, quibus nequitiam suam tegit & occultat: hæc esca, sub qua hamus æternæ perditionis, incautis hominibus proponitur, hoc saccharum, quo lethale diaboli venenum, & aconitum miscetur, proindeque tantò cautius & circumspectius, tam occulta illorum malitia, fugienda. qua de re, optime S. Ioannes Chrysostomus: *Non ligaturas verò tantum, sed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias & titubantes in domum agens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam adhuc trepidans disciplinam, & quod grauius est errore, quando hæc admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicunt: quod Christiana hæc est mulier, excantans; & nihil aliud loquitur, quam Dei Nomen; Propterea namque, magis ipsam odi & auersare, quod* DEI *Nomine, ad Numinis eius contumeliam, vtitur; quod se dicens, Christianam esse, diaboli opera facit, etenim & Dæmones* DEI *Nomen fatebantur, sed tamen erant Dæmones, & ita Christo dicebant: Nouimus te, quoniam es sanctus* DEI, *& tamen ipsos increpauit & eiecit: Sic tu omnes illos diaboli vernas, & mancipia detestare.* Moneo itaque vos, dilecti mei, discite hanc fugam, incantationes exercentium, &

1. 2. 3.

Hom. 21. ad Pop Ant.
2. Sententia S. Ioan. Chrysostomi de talibus vetulis.

morbos

morbos pellere conantium, à S.Bernardo, de quo Guilielmus Abbas: Bonæ vallis: *Cum Bernardus adhuc puerulus, graui capitis dolore vexatus, in lectum decidisset, & mulier quædam dolorem carminibus mitigatura, ad eum accessisset, ille acri indignatione commotus, incantatricem, clamoribus à se repulit, & abegit, & impetu quodam Spiritus, è lecto exiliens, eandem repulsurus, mox diuinitus, ab omni dolore se liberatum agnouit.* Vtinam omnes, hoc animo, maleficos à nobis repelleremus, quàm plurimæ, fine dubio, animæ, Dæmonis potestati eriperentur, & ab ipsius Orci faucibus, præseruarentur.

Sur. 10. Augusti. Guiliel. Abbas in eius vita.

3. Exemplum S. Bernardi.

Dicet alius: *Ego hactenus, quando vel pecora mea, & armenta ægrotabant, vel ego, aut mei domestici, hoc vel illo dolore affligebamur, vsus sum opera talis viri, vel fœminæ, de veneficio suspectæ, quod si nihil cum ea commercij amplius habere velim, timeo, ne me per Dæmoniacas ligaturas, & maleficia, atrociter lædat, & domum meam infestet.* Respondeo tibi verbis S. Augustini: *Si semel, aut secundo, nequitias, quas Diabolus immiserit, cum animo & tota fide contemseritis, ita ipsum postea, à vestra indignatione dignabitur repellere, vt nunquam possit vos sua calliditate decipere, Homines enim negligentes & faciles, languida desideria, & fidem desidem habentes, & ideo etiam si incipiant, non diu perseuerant, in operibus Dei, sed vbi se antedictis sacrilegijs abstinuerint, vel vnam nequitiam diaboli pertulerint, sensim pœnitent, se ad Deum conuersos esse, & machinamenta diaboli reliquisse, & velut canes ad vomitum reuertuntur:* Quin potius fiducia omnis nostra, vt S. Hieronymus monet, in Deo est collocanda: *Multæ,* inquit, *sunt præstigiæ, & innumerabiles laquei, quibus humanæ animæ capiuntur, sed nos dicamus in Domino confidentes, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Deus est qui nos iuuat, qui nos defendit. Obturemus ergo aures nostras, ne audiamus voces incantantium, & Syrenarum diaboli, carmina, negligamus.* Qui huic consilio dant locum, à diabolo neutiquam possunt lædi. Exemplo sit S. Ambrosius, de quo ista Paulinus: *Mortua Iustina, Imperatrice Arriana, quidam aruspex, Innocentius nomine, non opere, cum pro caussa maleficorum, à Iudice torqueretur, aliud quam interrogabatur, fateri cœpit. Clamabat enim,*

IV. Timor maioris nocumenti & fuga.

Resp. 1. Ex S. Augustino: dæmon firma fide contemnendus.

Serm. 241. de tempore.

2. Ex S. Hieronymo, dæmon fiducia firma in Deũ profligandus.

Epist. ad Fabiolam de 40. duabus mansionibus.

3. Dæmones cohibente Angelo non possunt nocere S. Ambr.

Paulin. Presb. in eius vita.

Tom. 1.

ab Angelo, maiora sibi tormenta adhiberi, eo, qui custodiret Ambrosium quoniam temporibus Iustinæ Imperatricis, Arianæ, ad excitanda odia populorum in Episcopum, cacumen tecti Ecclesiæ ascendens, medio noctis, Dæmoni sacrificauerit, Sed quantò instantius & solicitius opera diaboli exercebat, tanto magis amor populi, circa fidem Catholicam, & Domini Sacerdotem, conualescebat. Misisse etiam se Dæmones, qui illum necarent, fatebatur: Sed Dæmones renunciasse, se non solum ad ipsum appropinquare, minimè posse, verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat Episcopus, quia ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret, vt etiam longe positi vrerentur, atque ita cessasse artes suas, quibus aduersus Domini Sacerdotem, se aliquid posse arbitrabatur. Ecce quam ligata sit Dæmonis potestas, vt nemini plus, quam Cathenæ alligatus canis, nocere posit, ni quis propius accedat.

V. De maleficio priuationis vsus matrimonij.

Occurrent hic alij: *si ita res habet, cur Dominus Deus permittit, vt tot coniuges, maleficijs Diabolicis, vsu Matrimonij non solùm, priuentur, sed & omnino, non sine grandi cruciatu sensim exhausti, moriantur?* Respondetur: occulta sunt DEI iudicia, & consilia, & plane incomprehensibilia, Theologi tamen docent, aliquando permitti à Deo, ad castigandos, abusus grauissimos, qui in matrimonio admittuntur, præter Sacramenti institutionem: Aliquando etiam, ad probandos bonos coniuges, in patientia, vt crescat illorum meritum apud Deum: aliquando in pœnam, quod auxilium alijs in rebus, a diabolicis Magis quæsierint: In eo enim, in quo quis peccat, plerunque etiam à Deo punitur.

Permissionis diuinæ complures causæ, nobis occultæ.
1. Ob abusus.
2. Ad probationem bonorum.
3. Quandoq; in pœnam

VI. Quæstio. An maleficiũ maleficio curari possit?

Licet ne maleficiato in vsu matrimonij, per alium maleficum, alio maleficio, malum suum pellere? Resp. Nullomodo, maleficium per aliud maleficium tollere licet: *Non* enim teste Apostolo, *facienda sunt mala, vt eueniant bona*: Deinde millies præstat mori, quam per tam grande peccatum *Apostasiæ*, qua à Diabolo remedium petitur, sanari: Nam *qui amat animam suam*, plusquam Deum, *perdit eam*. Si tamen fieri posset, eum quî maleficium alicui intulit, posse illud sine peccato, & sine alio maleficio, remouendo videlicet, vel abolendo philtrum, destruere maleficium, id liceret. Sic refert Gregorius Presbyter,

In vita S. Theodori Archimandritæ.

byter, qui Theodorum Magum, ad pœnitentiam conuerſum, primum omnia peccata ſua ſincere confiteri admonuit, deinde ſi quos haberet libros Magicos, in medium proferre, quoſcunque homines, aut domos, aut animalia, maleficijs ſuis obſtrinxerat, diſſoluere, ea non amplius exercere, ſed pœnitentiam agere. A Maga igitur ad pœnitentiam ducta, id petere liceret. Quod ſi ſciatur Magum maleficio vſurum, vt maleficium pellat, minimè id licet: Sic cum crudelis & nefarius Bertulphus, dixiſſet coniugi ſuæ, B. Godoleuæ, qui ipſam peſsimè tractabat, ſuæ in eam ferociæ, cauſſam eſſe Dæmonem, & ex maleficio natum diſsidium, addidiſſetque noſſe ſe feminam, quæ iactitet, ſe poſſe illos, mutuo amore, & beneuolentia, adeo connectere, vt non queant coniuges, ſe ardentius amare, reſpondit ſancta mulier: *Chriſti ancilla ſum, illi ego omnia mea commendo: Si tamen abſque ſceleris alicuius admixtione id fieri poteſt, quod dicis, non refragor.* O ſingulare ſpeculum Patientiæ, & prouidentiæ coniugum, quos Deus in eiuſmodi tentationes maleficiorum, incidere permittit.

2. Theodoro Mago quid impoſuerit Gregorius presbyter.

Drogo Geſtellenſis in vita S. Godoleuæ 6. Iulij.

3. S. Godoleua non tolerat maleficium maleficio curari.

Væ autem illis & iterum væ, qui maleficijs talibus, quoad vſum matrimonij, affecti, currunt ad veneficas, à quibus iubentur, vt hoc vel illud, vrinam. v. g. *in nomine diaboli* in tale vel tale quid mittant, & ſub eadem diaboli obteſtatione, hoc vel illo modo, maleficium abolere contēdant: Præterquam enim, quod id nihil iuuet, vt experientia, infallibili hac ipſa hebdomade à coniugibꝰ maleficiatis inaudiui, tales vltro ſe diabolo addicunt, & in eos poteſtatem accipit, vt non dimittat, donec omnino ſagarum, & veneficarum numero, ſe ſe adiungant. Moneo vos tandem, ô Chriſtiani coniuges vt matrimonij copula pie ſobrieq; ad eum finem in quem ex inſtitutione Chriſti collimat, vſurpetis, ne in ſimilem, quod DEVS auertat tentationem incidatis. Sint procul à vobis illicitæ, & inordinatæ carnis illecebræ, & procul à vobis erunt, periculoſiſsimæ Cacodæmonis Aſmodæi Inſidiæ; quod malum à vobis Sacramenti huius fundator & inſtitutor, immo etiam per incarnationis myſterium ſanctificator, in perpetuum propulſare dignetur.

CONCIO IV.

DE DIVINATIONIBVS MAGICIS VITANDIS.

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ioan.16.



Diabolus ſimia. Icut ſimia, quæcunque videt, in homine, ea imitari
geſtit: Sic diabolus Deum: Semper enim ab initio
creationis ſuæ, ſtatim affectauit diuinitatem, cupi-
Iſaiæ 14. ens ab hominibus adorari, vt Deus: *Aſcendam ſuper altitudinem*
1. *nubium, ſimilis ero altiſsimo:* Vnde omnia illa, quæ Spiritus Dei
facit, ſuo quodam modo, in contrarium imitatur. Spiritui
ſancto, Chriſtus Dominus attribuit iudiciariam poteſtatem:
Ioan. 16. *Cum venerit*, inquit ille, *arguet mundum de peccato, de iuſtitia & de
Iudicio:* Sic diabolus homines inducit in peccata, in iuſtitiæ
contemptum, in Iudicij illius diuini obliuionem, vt eos in
altera vita, velut Iudex, malefactores, eo acrius punire valeat
2. & caſtigare. Attribuit ei Magiſterium fidelium ſuorum: *Cum*
Ioan.16. *autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sic
Ioan.8. diabolus mendax ab initio, ſub ſpecie veritatis, vtpote Spiri-
3.Reg. 22. tus mendax, in ore omnium falſorum Prophetarum, docet
per Magos & veneficos, omnem falſitatem. Spiritui ſancto at-
Ioan. 16. tribuit Chriſtus donum Prophetiæ: *Quæ ventura ſunt annuncia-*
3. *bit vobis:* Sic diabolus, per Magos & veneficos, eò tantum, vt
ab hominibus ei diuinus honor habeatur, futura prædicere
& vaticinari, præſumit. Vnde tot paſsim diuinatores, Magi
& venefici, inueniuntur, qui varijs modis, aut futura, aut lon-
gè diſtantia, ex pacto cum dæmone, aut expreſſe, aut occultè,
inito, prædicere ſatagunt, vt homines in dæmonis latriam, &
cultum, latenti, & vix conſpicuo errore, inducant. Vt ergo
cognoſcatis, dæmonis callidiſsimi hoſtis, fraudem, qua ſim-
plices homines, huiuſmodi impijs diuinationibus, creden-
tes, abducens à Deo, in cultum dæmonolatriæ, maledictæ,
immergit, oſtendam hac concione, vanitatem omnium diui-
nato-

natorum, Magorum & Veneficorum, qui ſe iactant futura prædicere, Dæmone, cui ſe pacto quopiam obligarunt, illis reuelante. Faxit Deus, vt omnes quotquot me audituri eſtis fideles, agnita Dæmonis fraude, periculoſiſsimas artes eius prudentiori cautela, poſt hac ſtudeatis, euitare ac penitus declinare.

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Futura prædicere, & hominibus reuelare, ſolius Dei eſt: *Annunciate quæ ventura ſunt*, inquit Propheta, *& ſciemus quia dij eſtis.* quaſi diceret: Ex futurorum reuelatione, ſolus Deus cognoſcitur. Hinc Deus in veteri Teſtamento, Populo Iſrahel futura prædicebat, tum quando Sacerdos, induens Ephod & rationale, in quo erant duodecim lapides, precioſi, conſulens Dominum de ambiguis & futuris, vbi Dominus, ſiue interna illuminatione, ſiue externa voce, inſtruebat Sacerdotem, quid reſpondere deberet, ſicuti factum eſt Dauid, cum petijſſet ab Abiathar, ſibi applicari Ephod, vt cognoſceret à Domino, num latrunculos Amalechites perſequi deberet qui Sizelech, incenderant; Et ab Eſdra, ſcriba quoque, qui populum Iſrahel è Babylonica ſeruitute eduxit; Hinc etiam Prophetis per ſe aut per Angelos, futura reuelabat, dicente Apoſtolo Paulo: *Multifariam multiſque modis, olim loquens Deus Patribus, in Prophetis, nouiſſime locutus eſt nobis in filio.* Atque adeo nemo vnquam, in veteri teſtamento, à bene credentibus, exiſtimatus fuit, futura prædicere, poſſe, niſi ſolus Deus, & cui ipſe, per Spiritum ſanctum ſuum, intrinſecus illuminantem, aut per Angelum extrinſecus informantem, reuelat. Quicunque alius vnquam præſumpſit futura prædicere, non à Deo, ſed à diabolo habet poteſtatem.

I. Futura ſolus Deus reuelat. Iſaiæ 41. Gen. 6. 17. 22. 1. Reg. 30. 2. Eſdre. 7. Hebr. 1.

Pergraue & maximum eſt peccatum, diuinationibus deditum eſſe, vnde tam ſeuerè Dominus prohibuit non ſolum diuinare, ſed & diuinationibus attendere: Niſi enim diuinare, & diuinationibus fidem adhibere, tam graue peccatum eſſet, non adeo ſeuere prohibuiſſet id Deus inquiens: *Non augurabimini, neque obſeruabitis ſomnia, nec declinabitis ad magos, neque*

II Grauitas peccati, diuinationum magicarum. 1. Prohibitio diuina. Leuit. 19. Leuit. 20.

que ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Et rursum: *Anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam, de medio populi mei;* Ecce interitum consulentium augures, & similes hominum deceptores: Quid de ipsis auguribus, & diuinatoribus? *Vir siue mulier, in quibus Pythonis siue diuinationis est Spiritus, morte moriatur, lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos.* Et addit rursum de consulentibus tales: *Non inuenietur in te, qui Pythones, aut diuinos consulat, aut quærat à mortuis veritatem, omnia enim abominatur Dominus,* Nisi diuinationibus addictum esse, magnum & abominabile foret peccatum, nunquam præcepisset Deus, in Deuteronomio: *Si surrexerit in medio tui, Propheta,* scilicet falsus, *aut qui somnium se dicat vidisse, & prædixerit signum & portentum, & euenerit quod locutus est, non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus, vester.* Et quod est amplius, consulentibus tales præcipit: *Non inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui Pythones consulat aut diuinos: Omnia enim hæc abominatur Dominus Deus tuus, & per huiusmodi scelera, delebit eos Dominus Deus tuus, in introitu tuo.* Quinimmo addit: *Gentes istæ quarum poßidebitis terram, augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo, aliter institutus es.*

Ibidem. Ibidem. Deut. 13. Deut. 18. Ibidem.

Mihi credite: nisi diuinatio tam grande scelus esset, non dixisset Propheta Isaias, *Dominus aufferet ab Israhel, prophetam, falsum, & hariolum.* Non dixisset: *Interrogabunt simulachra sua, & diuinos suos, & Pythones & hariolos, Et tradam eos in manu Dæmoniorum crudelium, & vir fortis dominabitur eorum.* Non dixisset: *Dominus irrita faciens, signa diuinorum, & hariolos in furorem vertens.* Nisi diuinatio tam abominabile reatum esset, non dixisset Propheta Hieremias: *Nolite audire Prophetas vestros, & diuinos somniatores, & maleficos, qui prophetant vobis mendacium, vt longe vos faciant de terra vestra, vt eijciant vos, & pereatis.* Non præmonuisset: *Non vos seducant Prophetæ, vestri, qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri, & ne attendatis ad somnia, vestra, quæ vos somniatis, quia ipsi prophetant falso, in Nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus,* Non mina-

2. Prophetarum detestationes. Isaiæ 3. Isa. 19. Isa. 44. Hierem. 27. Hierem. 29. Hierem. 50.

minatus esset: *Gladius ad diuinos eius, qui stulti erunt.* Nisi diuinatores iram Dei, grauissimè concitarent, non minaretur eis Dominus, per Prophetam Ezechielem: *Vident vana, & diuinant mendacium dicentes: ait Dominus: Cum Dominus non miserit eos, & perseuerauerunt, confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis? & diuinationem mendacem locuti estis? Et ideo, ecce ego ad vos, dicit Dominus. Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium.* Non minaretur Dominus, per Michæam: *Auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.* Ezech. 13. Mich. 5.

Nisi cursus iste ad diaboli Prophetas, Deum grauissimè offenderet, Rex Saul consulens Pythonissam in Endor, quæ carminibus suis euocauit Samuelem defunctum, qui ei ventura prædixit, non tantopere deliquisset, vt Regno cum vita priuari mereretur. Nec vsque adeo peccasset Ochozias, mittens nuncios ad Beelzebub, Deum Accaron: nec illis Elias exprobrasset: *Nunquid non est Deus in Israhel, vt eatis ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron?* Non præcepisset Paulus Dæmoni, vt exiret de puella, Pythonissa prædicente, ventura, vnde cognati eius & ipsorum familiæ se sustentabant. Ad quid ergo *Diaboli complices*, hariolos consulitis? Vana sunt, quæ dicunt, quæ iubent, quæ faciunt: *Diuinatio erroris & auguria, mendacia & somnia malefacientium, vanitas est*, inquit sapiens. Et reuera ita est, ipsa experientia attestante: Futura namque prædicere, non diaboli, & Prophetarum eius, sed opus est Spiritus sancti: *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis.*

3. Recursus ad diuinatores Deum grauissimè offendit. 1. Reg. 28. 4. Reg. 1. Act. 16. Eccl. 34.

Consulamus age, sanctos Patres, quid ipsi de diabolicis hisce vaticinijs sentiant? Quid scribant? S. Gregorius, & vna cum ipso, S. Thomas docent, *futurorum contingentium cognitio, soli Deo reseruata est.* quid caussæ? Quia ad perfectam cognitionem rei futuræ, necesse est rem cognoscere, tanquam præsentem: Soli autem Deo, vt præterita & præsentia, sic etiam futura ante oculos semper versantur: Quia æternitas caret initio, caret fine, & in ea, cuncta simul cognoscuntur. Solus autem Deus æternus est, ideo solus potest futura cognoscere, & ea ho-

III. SS Patrũ de diuinationibus doctrina. In principio Ezechielis. S. Thom. de verit. q. 12.

ea hominibus reuelare, nullo modo diabolus: Ergo vana est & friuola iactatio, omnium hariolorum, & Diaboli seruorum. *Soli veri Prophetæ*, inquit S. Hieronymus, *Dei spiritu locuti sunt, nec alij Prophetarum nomen merentur, quam qui Spiritu sancto collustrati, futura prædicunt, & nunquam fallunt.* Et hi quidem sic à Deo illuminantur, teste S. Gregorio, vt certò sciant, quæ prædicunt, à Deo esse, & euidenter cognoscant, esse euentura. *Nescio*, inquit, *quo intimo sapore, discernant, se, nec humanis somnijs, nec diaboli fraude illudi, sed certo certius sciant, hoc sibi lumen, Dei dono concessum.* Habet porrò, vt Deus, ita diabolus, suos Prophetas, vaticinatores, & augures, quibuscum, simia veluti, diuinitatem aucupatur. *Hic hostis*, vt S. Leo ait: *Nouit quem hoc, diuinationum, errore, seducat, & caussas quærit nocendi, vbi quemque viderit, studiosius occupari.* Cauete verò, ô Christiani, cauete, ne vos ab huiusmodi diuinatoribus decipi & illudi sinatis. *Vides ne, quantum mali importet auguratio*, inquit Basilius. *Qui huic incumbit, studiumque adhibet, Dei prouidentia & sollicitudine destituitur. Plerique autem Christianorum, susque deque habent, talibus commentis, aures accommodare, & illinc aucupari famam, nec pudet isti ominosæ superstitioni, ac signis attentos esse.*

In cap. 10. Danielis.

Lib 4 Dialog. c. 48.

Serm. de circumcis.

IV. Quid Diabolus per Diuinationes intendat.

Vultis scire, quid Dæmon, per huiusmodi anguria quærat? quid intendat? Homines in sui seruitium allicere: *Hisce enim prauus ille*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *prauus, inquam, ille, in leuiorum hominum animos, simul irrepit, venerationem Deo debitam, furtim ad se transferens.* sed audi S. Cyprianum: quanti sint facienda eiusmodi auguria & diuinationes Magorum: *Omnium Auguriorum & aruspiciorum, ratio est illa, quæ fallit & decipit, & præstigijs cæcantibus veritatem, stultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus insinceri & vagi, qui postea quam terrenis vitijs, immersi sunt, & à vigore cœlesti, terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. hi afflatu suo, vatum suorum pectora inspirant; oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt: Nam & falluntur, & fallunt, vitam turbant, homines inquietant, irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, vt ad cultum sui cogant. nec aliud illis*

1. Dæmon suffuratur honorem suum Deo.

Orat. 5. in S. Baptisma.

Variæ deceptiones Dæmonum.

studium est, quam à Deo homines aduocare, & ad superstitionem sui, ab intellectu veræ Religionis auertere, cum ipsi sint pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum, fecerint erroris participes,

Dicent haud dubie, & obijcient illi, qui eiusmodi Diaboli Ministros consulunt: *Comperimus tamen, quod multa nobis vera prædixerint, quæ re ipsa sic euenerunt: quomodo hoc potest esse à diabolo?* Sed audite hanc obiectionem refellentem S. Augustinum: *Forte dices*, inquit, *quid faciemus, eo quod auguria ipsa, & choragi, vel diuini, frequenter nobis vera annunciant? De hac re, scriptura nos contestatur, & monet, dicens: Etiamsi qua vera vobis dixerint, nolite credere illis. Tentat enim vos Dominus Deus vester, vtrum timeatis eum, annon? Verum est, fratres charissimi, quia permittit hoc Deus Diabolo, ad probandum Christianum, vt cum interdum per illa sacrilegia, aliqua remedia in illa infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere, facilius propterea Diabolo credant. Sed qui totam Religionem Christianam desiderat custodire, oportet vt hæc omnia tota animi virtute contemnat.* Quid restat igitur? *Cuncta hæc*, inquit S. Isidorus, *à Christiano vitanda sunt, & omni penitus execratione, repudianda, atque damnanda, nam in his omnibus, ars Dæmonum est, ex quadam pestifera Societate hominum & malorum Angelorum exorta.*

2. Obiectio soluta.

Serm. 241. de Temp.

Lib. 8. Etymol. c. 9.

Hinc à Concilijs, eiusmodi superstitiones, seuerissimè prohibentur: Synodus enim Ancyrana, decreuit apud Gratianum: *Qui diuinationes expetunt, vel in domos suas, huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid, arte magica, aut expiandi caussa, sub Regula quinquennij iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.* Et Carthaginensis: *Augurijs & incantationibus seruientem, similiter Iudaicis superstitionibus, vel ferijs inhærentem, à conuentu Ecclesiæ separandum, præcipimus.* Et synodus quoque Aurelianensis decreuit: *Si quis siue Clericus siue laicus, auguria crediderit, esse obseruanda, cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.*

2. Pœnæ diuinatorum & eos consulentium.

Cap. si quis 16. q. 5.

Cap. Augurijs ibidem.

Cap. si quis ibid.

Hæc leges Ecclesiasticæ statuunt, in eiusmodi augures. Multo seuerius in eos agunt leges ciuiles. Imperator *Constantinus*, mandat Maximo, Præfecto Prætorio, eiusmodi augures, vt flammis exurat, & qui eos consulunt, in exilium pellat. Imperator *Constantius*, mandat Tauro Præfecto Prætorio, vt

4. Leges ciuiles.

L. Nullus cod. de Malef.

L. Etsi cod. de Malef.

tametsi aliqui ex aulicis suis, cuiuscunque, etiam summæ dignitatis, illi sint, augurijs & diuinationibus dediti comprehendantur eos statim dignitate sua spoliet; & acerbissimis tòrmentis, subiectos, & Equuleo tortos, ad fatendam veritatem cogat, eaque peruestigata, noxios flammis, enecet. Taceo alias innumeras Imperij Romani constitutiones, quibus eiusmodi homines impij & diabolici, & illorum quoque vaticinijs vtentes, ferro flammaque puniri iubentur.

V. Contra omnia DEI præcepta militat.

Considerate, quæso, hoc ipsum peccatum augurij & diuinationis, mecumque paulo penitius, inspicite, & inuenietis, illud omnia Domini Dei præcepta violare. Violant diuinato-
1. res *præceptum primum*: Quia non honorant Deum, sed diabolum, & ab eo consilium, incantationibus, & auxilium petunt;
2. violant *secundum*: Quia assumunt Nomen Domini in vanum, illudque inuocationibus Dæmonum miscent: violant *tertium*:
3. Quia in præcipuis festiuitatibus, diuinationes suas & coniura-
4. tiones Diaboli, potissimum exercent. Violant *quartum*, quia inhonorant non solum Deum Patrem cœlestem, cui honorem suum sacrilege adimunt, sed & Matrem suam Ecclesiam, cuius præcepta proterue transgrediuntur. Violant *quintum*:
5. Quia per eiusmodi diuinationes, sæpenumero discordiæ seminantur, vnde homicidia prouenire solent. Violant *sextum*:
6. Quia compertum est, eos viros & fæminas, & innocuam Iuuentutem, pellicere ad nefanda persæpè peccata carnalia, &
7. sacrilegia auditu horrenda. Violant *septimum*: Quia ideo vaticinantur, vt ex illorum bonis, qui eos consulunt, ditescant, immo verò maiori nocumento, quam latrones vitam hominibus eripiunt, dum animas eorum interficiunt. Violant
8. *octauum*: Quia sunt pleni mendacijs, multos innocentes falso inculpant, & de varijs accusant. Violant *nonum* & *decimum*:
9. 10. Quia maleficijs suis coniuges in vsu Matrimonij sui persæpe impediunt, inter eos inimicitias, Philtris mediantibus, spargunt, & vitam aliquando, vtrique tollunt. Experientia tam clara est, vt negari non possit.

VI. Quæ sciat Diabolus, &

Vt porrò hanc Diaboli fraudem, oculis quasi dispiciatis, quam

quam exercet per diuinatores, edisseram vobis, quæ prædicere posſit Diabolus & præſcire, & quæ non. Et primo *nequit*, certò *prædicere ea, quæ ſunt omnino libere futura*, vt ſunt, quæ dependent abſolutè à voluntate Dei, eiuſmodi ſunt, ſuper naturalia Myſteria, ſicut incarnatio filij DEI, quam ignorauit: Mutationes item & gubernationes Regnorum, & Rerumpublicarum. Quia *corda Regum & Principum, ſunt in manu* DEI, qui ſolus illa commutat, & regit, vt lubet. Ignorat deinde ea, quæ dependent ex Arbitrij humani libertate, vt, quid cras ſim facturus, vel cogitaturus: ignorat quæ ſunt omnino & propriè contingentia, quamdiu illa non habent cauſſam certam, & determinatam.

per Magos ſcire poſſit.
1.
Quæ nequeat certo prædicere.
Apoc. 22.
Prou. 21.
2.

Ex illis porrò quæ Dæmon non nouit, poteſt multa probabiliter ex coniecturis prædicere, vt S. Auguſtinus docet, & S. Ioannes Damaſcenus: Tum quia diuturnam habet experientiam, complexionis & inclinationis. Vnde contingit vt ſæpe ad amuſsim prædicat, quid & quando homines ſint facturi, vel, quod Deus hunc vel illum populum, ſit puniturus, quod talis exercitus, peſte, fame, ſiti, ſit affligendus, vel internecione delendus: Quod talis Princeps principatu ſuo, ſit deijciendus: Nam & hæc & ſimilia, mala, ex cauſsis naturalibus, vel ex malitia coniuratorum, & ex ſocordia non præcauentium, eiuſmodi mala poteſt colligere. Sic apud Nicetam Choniatem; Fanaticus quidam Baſilacius, Iſaacio Comneno Imperatori excæcationem, & de ſolio deiectionem prædixit, quæ mox conſecuta ſunt. Sciebat enim, Alexium Fratrem Iſaacij, hæc moliri, quin immo conſilia iſta, cum coniuratis ſuis communicaſſe, videbat etiam Iſaacium, inſidias fratris non timere. Poteſt etiam Diabolus prædicere certò, quæcunque dependent à cauſsis neceſſarijs, & ab alijs cauſsis naturalibus, non poſſunt impediri, vt ſunt motus cœlorum, Ecclypſes, coniunctiones aſtrorum: Quæ verò non neceſſario, ſed vt plurimum tantum eneniunt, eo quod poſſunt ab alijs cauſsis naturalibus impediri, vt imbres & pluuiæ tempeſtates, &c. Illa tautum probabiliter prædicit. Certò quoque po-

2. Quæ certo non nouit poteſt ex cõiecturis prædicere.
Lib. de Diuinat. Dæmonũ c. 5. & 6.
Lib. 2. orthod. fidei. c. 4.
Baſilacius Iſaacio Imperatori excæcationem prædicit.
Lib. 3. Annal.
2.
3.
4.

test prædicere, quæ nouit, se permittente Deo, facturum. Sicut v. g. permittente Deo, pestilentiæ est auctor, potest eam prædicere, & certum diem, quando sit cessaturus, designare.

5\. Sic, vt Ioannes Villamontius refert, Turca quidam Famagustanus in Cypro Insula, congregata populi multitudine, prædixit, se intra horam moriturum, & luem contagiosam, quæ ex immissione Diaboli grassabatur, illico desituram: Vtrunque enim, Diabolus ei patefecerat.

Turca prædicit se intra horam moriturum. Lib. 2 peregrinat. c. 7.

6\. Potest Dæmon prædicere per se & suos, quæ intellexit per reuelationem, siue contineantur in sacris literis, siue aliter à Deo fuerint manifestata. Hoc pacto, multa olim maligni Spiritus, de Christi ortu & miraculis prædixere, & Mercurio Trismegisto, vaticinati sunt, omnem AEgyptiorum superstitionem abolendam. Sic Delphicus Apollo prædixit, se cessurum Hebræo puero dum ait.

S. Aug. lib. 8. de ciuit. c. 13. Lactant. in Instit.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.

7\. Potest quæcunque præsentia, & actu exteriori prodita cognoscere, & prædicere: vt furta, res perditas, thesauros olim defossos, metalla subterranea, quæ hominum cognitionem fugiunt, Dæmonibus nota sunt.

8\. Vnde huiusmodi possunt per diuinationes manifestare. Potest denique scire, pro ea, qua pollet, celeritate, ea quæ in remotissimis locis fiunt, vt diu ante prędicta, ab ignaris putentur: Sic Apollonius Tyaneus cum Ephesi esset, exclamauit, vt præsens ipsi facto, Domitianum Imperatorem Romæ occidi. Sic de Trithemio ferunt, quod cum Viennæ esset, in mensa Imperatoris Maximiliani, sciuerit, tamen Herbipoli, turrim Monasterij sui ruere, ad S. Iacobum Scotorum; quamuis ego tantum virum, ab omni Magiæ superstitione libentissime excusarim.

Philostrat. in vita Apollonij.

3. An hominũ cogitationes in animo manentes cognoscat?

Sed quæstio est, an hominis cogitationes in animo manentes, cognoscat? Resp. si homo eas vel motu, alicuius membri, aut verbo aliquo vel signo, non prodat, minime cognoscere: Quia hoc solius est DEI: Vnde S. Ambrosius, S. Hieronymus, & alij, probant, Christi Diuinitatem, ex eo, quia secretas cordium cognitiones, inspiciebat & manifestabat.

In c. 5. Lucæ. 1. In c. 9. Matth.

Quod

Quod si vero homo vel minimo signo pandat, quæ cogitat, maiori solertia, quam peritissimi medici, potest animi affectiones deprehendere. Potest etiam adeo vehementer, immissis, phantasmatibus, hominem turbare, vt aliud non possit cogitare, quam quod suggestum fuerit a Dæmone. Noui ego Magum quendam, qui dicebat. *cogita quod voles, & cogitationem tuam tibi diuinabo.* Et poterat esse. Quia Dæmon illico, de re aliqua nota, importunissimam cogitationem immittebat, iussu Magi, quam facile poterat diuinare. Sic quando iubebat: *Aspice hanc arborem, & nota tibi folium vnum, & quod notaueris, diuinabo.* Tunc iussu Magi, Dæmon immittebat cogitationem eius folij, quod Magus volebat. Idem de folijs chartaceis, & similibus nænijs ac deliramentis.

2. Magus notus.

Notate porrò, insignes duas Diaboli fraudes: Quando est ignarus rei futuræ, tum si coram prudẽtioribus, & doctioribus agat, adeo obscure & perplexe respondet, vt quid velit, sciri non possit: Hinc quondam responsum dedit:

VII. Duplex fraus diaboli.

1. Si sit ignarus rei futuræ ambigue respondet.

Aio te Æacida, Romanos vincere posse.

quod pro vtraque parte intelligi poterat. Causa est: vt si pro voto consulentis res cadat, dicere possit, id se voluisse: sin secus, prætendere possit, stuporem interrogantis, qui responsum non intellexerit. Altera fraus est, sæpe mendacia, pro veris profert, vt hominibus noceat & damnum inferat. Exemplum memorat Martinus Del Rio, de quodam Rustico in Misnia, qui de foro domum retulerat vesicam porcinam, nummis plenam, eamque posuerat in scamno: cumque alio abijsset, sus domestica, vesicam cum pecunia deuorauit, redit rusticus, vesicam ab vxore petit, negat illa, se vidisse. Vadit ergo ad vetulam Magam, in propinquo habitantem, & petit furem sibi indicari. Iubet illa virum in limine subsistere, nec à linea, quam creta notarat, latum abire culmum. Mox ingressa cubiculum, Dæmonem sciscitatur, de fure, arcam introspiciens, his verbis: *Quidam N. pecuniam suam in vesica porcina, amisit, tali die, quem ais furem?* Respondit diabolus, *Sus domestica comedit: Tu tamen dicito, vxorem eius abstulisse, vt cum Sacerdote,*

2. Mendacia pro vero obtrudit.

Lib 4. disquis. magic. c. 2. q. 6.

Diabolus insignis mendax deprehensus.

amasio suo, eam abliguriat. Rusticus interim, nil veritus anile interdictum, lento ac tacito pede, eam secutus, fuerat, vsque ad ostium cubiculi, & cuncta quæ dæmon dixerat, inaudierat. Claudente illa arcam, retrocessit ad lineam suam. Cui vetula, quod iusserat Dæmon, respondit. Reuersus domum Rusticus, rem ex ordine recenset, res deuenit ad Magistratum: Porcus exenteratur, & pecunia in intestinis inuenitur. Vetula comprehenditur, & comburitur. Ecce quomodo diabolus soleat etiam innocentibus crimen afferre.

3. Diuinatio ex cribro vulgo das Sieb lauffen lassen.

Sic sæpenumero diabolus *in diuinatione Cribri,* quæ vt olim apud Ethnicos, teste Theocrito, & Luciano, ita & nunc in vsu est. Accipiunt cribrum, & infigunt forfici tonsorio, cuius manubrium, vno digito tenent: inuocant Diabolum, & postea eorum nomina recitant, quos de furto, vel malo aliquo; suspectos habent, & ad cuius nominationem, cribrum mouetur, & tremit, eum diuinant, furtum fecisse. Ecce duas hic fraudes: Annon vetula per se cribrum occultè impellere potest? præsertim cum nominatur aliquis, ei infensus? Annon idem Diabolus mendacij pater, ad vsum huius diabolicæ diuinationis, inuocatus? Experientia sanè constat, innocentissimos quosque, persæpe hoc medio, à diabolo diffamatos, furtis demum apud alios inuentis: Sic etiam vetula illa superioribus annis gladio cæsa, *Cristallo suo*, homines misere decipiebat, innumerabiliter præsepè vera pro falsis prodens. Quid itaque stulti homines, creditis diabolo & eius ministris?

In ea fraus duplex.
1.
2.

VIII. Exempla diabolicæ illusionis.
Parte 4. Annalium.
Basilius Imperator à Mago delusus pro filio videt vmbram.

Vana sunt omnia, quæ diuinatores isti, vel dicunt, vel vobis ostendunt. Exemplum capite: Santabarenum quendam, Pseudo Monachum Magum, de quo Michaël Glycas refert, quod Basilio Imperatori, non solum multa falsa, pro veris prædixerit, quæ longe aliter euenerunt, sed & cum promisisset ei, se Constantinum filium eius, dudum vita functum, sic ostendere velle, ac si adhuc viueret. Effecitque arte diabolica, vt Constantinus, Patri per syluam equitanti, in visione imaginaria, Eques obuiam fieret, quem cum Pater osculari & amplecti vellet, visio in auras euanuit. Vel enim arte diabolica

lica homines fascinant, vt putent, se videre, quod non vident: Vel, si Spiritus est, qui se ostendit, est semper diabolus, qui induit speciem & habitum eius, quem ostendere volunt. Potuit quidem Satabarenus iste, Patrem imperatorem Basilium decipere, At Leonem Philosophum cognominatum, Basilij iuniorem filium, non potuit: Nam eum pro venefico, semper & habuit, & cognita fraude, tandem flammis exussit. Sic decepit, Martino DelRio referente, quendam Principem, qui à tali diuinatore, annulum magno aureorum numero, emerat, promittente venditore, semper dum gestaret annulum, in aleæ & chartarum lusu, fore lucraturum. Et primo quidem, semel atque iterum res bene cedit, at demum, cum multoties infeliciter, cum magna pecuniæ iactura lusisset, se delusum videns, annulum proiecit in cloacam, & Magum præmio promerito affecit. Quin & ipsos aliquando magos, diabolus miserrime deludit: Refert iterum Delrius, Anno Domini 1530. fuisse quendam eiusmodi diuinatorem, in Chrystallo multa vaticinari solitum, vidisse semel in Chrystallo thesauros absconditos, in terra defossos. Quos cum adhibito familiari vno spectatore, ante ciuitatem, in loco effosso, quærunt, & iam ad arcam peruenisset, in eaque cubantem atrum canem conspexisset, quem cum abigere vellet, ille os speluncæ concussit, & miserum ruina obruit. Sic de quodam alio refert, qui cum pecuniam reposuisset, in quodam loco, & loci oblitus, cum eam illico reperire non potuisset, adijt diuinatorem, petens furtum sibi indicari. Iussit ille vt accepto malleo, cum certis diaboli coniurationibus, & inuocationibus, incudem percuteret, sic eum furi oculum excussurum, paruit ille: facit quod suaserat magus: Et ecce illico diabolus ipsimet oculum dextrum eruit, qui magum consuluerat. Sic mercedem retulit, eo quod diaboli ministrum consuluisset.

2. Santabarenus Magus igni exuritur.

2. Disquisit. Mag. lib. 4. cap. 2.

3. Annulus lucratorius decipit ludentem.

Ibidem Delrius.

4. Thesaurorum magica inuestigatio.

Ibidem.

5. Diabolus consulenti se oculũ perdit.

Moneo vos impensissime & hortor, per Dominum IESVM, dilectissimi auditores mei, fugite omnes eiusmodi diabolicas diuinationes, per quas non animæ solum, sed & corporis quandoque detrimenta innumera, incurritis. Si enim eiusmodi

modi diuinatoribus & magijs fidem adhibeatis, magis & veneficis, viam aperitis, id iuste permittente Deo, vt vobis veneficijs suis, innumera mala, vel in corporibus proprijs, vel etiam in pecoribus, consciscere & intentare posſint. Fugite quidquid est eiusmodi superstitionis. Atque vtinam in omni Magistratu Christiano, contra eiusmodi diabolicum opus, vigeat zelus S. P. Bernardini in cuius vita refertur, Aretij prope Fanum Idoli, fontem fuisse, gentilitatis olim tempore, dijs consecratum, apud quem magi quidam varia vaticinia, edere solebant, etiam tempore S. Bernardini: Nam ibi dæmones homagio deuinctis, frequentius arcana quædam reuelabant. S. Vir igitur totum populum, pro concione armabat & monebat, se sequi, ad abolendum dæmonum cultum. Arreptis itaque, in manus, armis, cum populo egressus, cum ad fanum peruenisset, illud demoliri cœpit, & lapidibus fontem omnino obstruxit, ac penitus obturauit. Hoc *fanum suum & fontem omnis mali, diuinationes & magiam*, diabolus vbique passim, erigit, conniuente Magistratu, nec puniente: Vtinam Dominus Deus, tandem aliquando excitet omnem Magistratum, Christianum, vt abominabile malum istud, ferro & igne eradicet, *Diaboli* occultam *latriam* tollat, & veri DEI, ac Domini nostri IESV CHRISTI, cultum conseruet & propaget: Qui est benedictus in sæcula. Amen.

In vita S. Bernardini Senensis c.40.
Zelus S. Bernardini in abolendis superstitiosis diuinationibus.

CONCIO V.

DE SVPERSTITIOSIS ET VANIS OBSERVATIONIBVS, EARVM INVENTIONE, NOXIS AC DETRIMENTIS.

HABITA IN FESTO SS. APOSTOLORVM Philippi & Iacobi & S. VValburgis.

Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosores vos esse video. Act. 17.



CVm sanctissimus Apostolus Paulus, Athenis aliquantisper, sed non admodum copioso cum fructu, prædicasset, eo quod tota ciuitas Idololatriæ & varijs

rijs superstitionibus, addita esset, tandem ab Epicureis quibusdam Philosophis, & Stoicis comprehensus, ad Areopagitarum Iudicum tribunal perductus, ab eis audiret: *Volumus* Actor. 17.
scire, quæ est hæc noua, quæ à te dicitur doctrina; noua enim quædam infers, auribus nostris: Subiungit S. Lucas: *Stans autem Paulus, in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video*, quod Syriaca lingua sonat: *Nimios in cultu dæmonum*, Græcè, *δεισιδαιμονεστέρους æquo superstitiosiores vos video*: Cur ô sanctissime Apostole, adeo seuerè obiurgas doctissimos Athenienses? rationem audite. *Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inueni & Aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo: Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*: Ego iam vltra viginti & aliquot annos, vobis prædicaui verbum DEI; quo fructu, nouit Dominus DEVS, cuius in hoc officio vices egi. Stans itaque in medio vestri, in hac cathedra vos alloquor, verbis Apostoli Pauli: *Viri Bambergenses, per omnia quasi superstitiosiores vos video* hoc deprehendo in vobis non solum, hodierno, quem S. VValburgis diem appellatis, innumeras superstitiones exerceri, sed & toto alias anno similia fieri & obseruari, quæ homines à Dei cultu & spe in eius misericordiam, abducunt, atque ad dæmonum cultum, ac tandem ad æternam damnationem abducunt. *Præteriens*, enim, aiebat Apostolus Atheniensibus, *& videns simulachra vestra*, id est, superstitiones varias, carmina vetularum, contra morbos, incantamenta & ligaturas, diabolicas, per characteres & verba ignota, quæ sunt vt plurimum dæmonum nomina, contra ictus gladiorum & glandium plumbearum, & sclopettorum, & omnium armorum, (quæ res adeo iam communis, hic euadit, vt pueri in scholis & plateis exerceant ac se mutuo doceant) *inueni & Aram* in omnium eorum cordibus, qui similibus superstitionibus sunt addicti, aram inquam, cordis eorum, in qua scriptum est: *Ignoto Deo:* id est diabolo, quem hisce superstitionibus colitis, sacram. *Quod ergo ignorantes colitis*, non potui omittere, quin hoc annunciarem vobis, & præmonerem, ne ita misere à diabolo decepti, in nassam eius pelliciamini, & à Deo abducti, atque à diabolo

Calẽdis Maij plurimæ superstitiones in Germania solent exerceri.

Cor hominis superstitiosi Ara, in qua diabolo litatur.

capti, paulatim ad deteriora, & ad ipſam ſagarum & venefi-
carum magiam, & homagium, diaboli, ſeducamini, & tan-
dem in æterna gehennæ incendia, præcipitati, pereatis. Prote-
Actor.20. ſtor itaque cum ſancto Apoſtolo Paulo: *Non enim ſubterfugi, quo*
Philip. 1. *minus annunciarem, omne conſilium Dei vobis: Teſtis enim mihi eſt Deus,*
quomodo cupiam vos omnes in viſceribus IESV CHRISTI. Compatien-
tem igitur tot animabus, tam miſere pereuntibus, adegit me
Spiritus ſanctus, vt eiuſmodi ſuperſtitionum diabolicarum,
æterna & irreparabilia damna, vobis aperiam: Primò igitur
nonnullas eiuſmodi ſuperſtitiones, in hac ciuitate commu-
niores, quas ego notaui, & quæ ad meas manus peruenerunt,
vobis prælegam. Et poſtea, quid non periculi in eis lateat,
reſerabimus. Det Deus, vt omni diabolica ſuperſtitione re-
mota, Dominus ac Deus noſter, recto & ſincero corde cola-
tur. Amen.

Hic varios ſuperſtitionum modos ac ritus longa ſerie enumeraui.

I. Quis inuétor ſuperſtitionum? diabolus.

Audiuiſtis varia ſuperſtitionum eiuſmodi genera, nunc ad
rem progrediamur: Dicite mihi, obſecro, quid ſentiatis:
Quem nam putatis omnium iſtarum ineptiarum Authorem,
Fundatorem, & Inuentorem eſſe? Tam certum eſt, atq; diem
eſſe, hac ipſa hora, neminem alium omnium eiuſmodi varia-
rum obſeruationum, & ſuperſtitionum *authorem* eſſe, niſi *dia-*
bolum: Vt colligunt nonnulli, è ſcripturæ verbis: *Sed & Seth*
natus eſt filius, quem vocauit Enos: Iſte, deſerta Idololatria, cœpit inuo-
care nomen Domini, quaſi dicerent: DEI veri, cultum, varijs ſu-
perſtitionibus obſcuratum denuò inſtaurauit & plantauit.
Sed & tempore Patriarcharum, Abraham, Iſaac, & Iacob, vi-
gebat Idololatria: Nam Laban exprobrauit Iacob, cum Ra-
chel Idola Patris Laban marito inſcio furata eſſet: *Cur*, in-
quiens, *furatus es Deos meos?* Multò apertius in lege Moſaica,
quando filij Iſrahel, vitulum aureum, à dæmone inducti, ad-
orarunt, & quando Salomon ſapientiſsimus Idola adorauit,
cum principio mundi ſtatim in Idololatriam vniuerſum ge-
nus humanum pellexit, & totius humanæ creaturæ dominiũ,
ſibi

1. Superſtitiones ante diluuium à diabolo ſeminatæ. Geneſ 4. Geneſ. 31.

2. Superſtitiones tempore Patriarcharũ.

ſibi Tyrannica poteſtate ſubiugauit. Sed cum hoc eius Imperium Dei filius deſtruxiſſet, *Ad hoc enim*, inquit Apoſtolus, *apparuit filius Dei, vt opera Diaboli deſtrueret,* vnde paucis, ante paſſionem ſuam, diebus dixit: *Nunc mundus iudicatus eſt, & Princeps huius mundi, eijcietur foras:* Quo etiam ſcopo ac fine, Apoſtolicæ prædicationis informatio, per orbem vniuerſum innotuit, quando *in omnem terram exiuit ſonus eorum,* vt veri Dei cultu & cognitione propagata, Idololatria paſsim exterminabatur, *& omnis lingua* confitebatur, *quia Dominus* IESVS CHRISTVS, *eſt in gloria Dei Patris*; remanſit nihilominus, in tenebrarum Principe, qui per Idololatriam, veluti Deus colebatur, vetus illa ambitio diuinitatis, quam ei exprobrabat Propheta Eſaias: *Quomodo cecidiſti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei, exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper omnem altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo:* Pro illa igitur, aperta & clara Idololatria, penè extincta, tectam quandam & occultam ſpecie pietatis & vtilitatis, Idololatriam inuexit, artium ſuperſtitioſarum cupiditatem.

1. Ioan. 3.
Pſalm. 18.
Philip. 2.
3. Perpetua diuinitatis ambitio in tenebrarum Principe.
Iſaiæ 14.

Hanc porrò deteſtabilem curioſitatem, inuenit cacodæmon & propagauit; primo, vt ſic poſſeſsionem animarum, qua vi crucis deiectus fuerat, clanculum, dolo malo, recuperaret, ſicut *fortis armatus*, qui *cuſtodit atrium ſuum*, deinde vt homines, hoc ipſo ſuperſtitionis peccato, primum & maximum præceptum decalogi, & votum Religionis, quo ſe Deo, in Baptiſmo, obſtrinxerunt, violare aſſueſcerent: Præterea vt ſpem, quam homines in Deo collocare debent, amittant, & eam in rebus vanis reponant ideoque à Deo abijciantur, qui *odit vanitates ſuperuacue obſeruantes.* Et inſuper, vt ſic in lethale peccatum pertractos, *Leo rugiens* deuoret & hominem decipiat, *Draco infernalis*, quem formauit ad illudendum homini dicente Dauide: *Draco quem formaſti ad illudendum ei.* Hinc denique patet, eos qui huiuſmodi ſuperſtitioſas obſeruationes, amant & frequentant, non Chriſti, ſed diaboli diſcipulos eſſe, & eius Magiſterium amare, in eius ludo edoctos eſſe, & ab Eccleſiæ

II. Cauſſæ Inuentionis ſuperſtitionũ.
1.
Luc. 11.
2.
3.
Pſalm. 30.
4.
1 Petri 2.
Pſalm. 103.
5.

III. Superstitio vana excludit spem omnem in Deum.

Catholicæ doctrina, alienos censeri. Sed quæret aliquis; *Nunquid inueniuntur, qui fiduciam suam in Deo ponant, & nihilominus tamen, in rebus eiusmodi, velut in remediis, à Deo suppeditatis, auxilium expectent?* Resp. Id omnino fieri non posse, nam media ista, non sunt à Deo, sed à diabolo: Cum ergo *nemo poßit duobus Dominis seruire, alterum enim odio habebit, & alterum diliget*, exinde quæ pertinent ad cultum Diaboli, ad cultum Dei nullomodo possunt dirigi & ordinari. Hinc Elias dicebat superstitiosis Israhelitis: *Vsque quo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum: Si autem Baal, sequimini illum.* Et S. Paulus: *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Ergo impoßibile est, vt quis eiusmodi remedijs vtatur, & non deficiat à Deo, ad diabolum. Deinde Christus ait: *Ego sum via* quæ ducit, *veritas* quæ promittit, *vita* ad quam peruenitur: vnde vanitas & mendacium, quod à Deo abducit & in æternæ damnationis ruinam præcipitat, Deo non potest placere, neque cum eius cultu, & seruitio consistere. Dæmon est *Pater omnis mendacij, & vanitatis*, quæ in his superstitionibus continetur. hinc ait Dauid: *Beatus vir, cuius est Nomen Domini, spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Quæro enim abs te, annon maxima vanitas, vt certa quædam verba à vetula quadam demurmurata, adhibitis certis quibusdam, & superstitiosis ritibus, pellant dolores capitis, febres, puncturas, Phtysin, aliosque morbos? Annon maxima insania, credere, res tam vanas, & inutiles, habere tot supra naturæ vires, effectus? Dices: *in herbis, verbis & lapidibus est magna virtus*; ergo verba vetularum, poterunt etiam morbos curare. Verborum virtus naturalis est significatiua, vnde si ex verbo Dei deriuaretur virtus naturalis, in ligna & lapides, esset virtus tantum limitata, sicut & herbæ virtutem duntaxat habent naturalem, non supernaturalem, vt volunt, superstitiosi ganeones: Quæcunque igitur verba incantatrices illæ deblaterant, sunt *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Cur vanitas? ostendo apertè. Vanitas est, quotiescunque homo, dicit, vel facit aliquid, boni consequendi vel mali euitandi caussa, quod vim nullam, neque naturalem, neque superna-

1. Media ista à diabolo. Matth. 7.

3. Reg. 18.
2. Cor. 6.

Matth. 7.
2. Christus veritas, diabolus mendax. Ioan. 14.

Psalm. 30.

3. Vanitas rerum superstitiosarum.
4. Q. An virtus aliqua in verbis vetularum?

Ecclesiast. 1.
5. Quid sit vanitas.

tura-

turalem, obtinet, ad effectum, quem intendit. Vt: si illi, qui dentibus dolent, lunam nouam aut plenam, certis rithmis salutent, si febricitantes tam mares quam fæminæ, indusia inuertant, & tribus noctibus in illis dormiant, aut nudi ante solis ortum præterlabentis fluuij aspergine se tingant; si contra spasmum, cathena patibulari vtantur; si capite dolentes, candelam, quibusdam ineptis verbis, ante solis ortum, certò die conscriptam, contra dolores adhibeant, vanitas erit, quia nec salutatio Lunæ, nec indusij mutatio, nec aquæ aspersio nec cathenæ patibulariæ contactus, nec chartula vim vllam habet, ad pellendos dolores, febres, aut alios quosuis morbos. Secus si capiti adhibeatur, aqua rosacea, si ad euacuandos humores febriles, Rhabarbarum in catapotio sumatur, non erit vanitas, sed licitum remedium: Sic verba muliercularum, morbos incantantium, nullam plane vim, Physicam & naturalem, habent, ad pellendos morbos, more agentis Physici, neque ex instituto Dei, vim supernaturalem, vt formæ Sacramentorum, neque ex vsu Ecclesiæ, vt exorcismus Salis & Aquæ, & Benedictiones & Hagiasmi aliarum creaturarum. Si quis itaque huiusmodi verba, vel ritus ad pellendos morbos, & dolores, adhibeat, reipsa, est superstitiosus, & colit diabolum, atque ab ipso, non à Deo, qui ad superstitiones non concurrit, sperat effectum, & spem suam à Deo auertens, ad diabolum conuertit.

Miraris hoc? Apertius probo: Effectus iste non est Naturalis, quia media adhibita, non habent vim naturalem, ad eum producendum; Nec est miraculosus, & à Deo, quia nullum ei Testimonium perhibet, sacra scriptura, neque Ecclesia DEI; procedit itaque ex occulta, spiritualis creaturæ, operatione: Non Angeli Dei boni; quia hi oderunt vanitatem, & mendacium, ergo Cacodæmonis, qui nil aliud quærit quam vt homines, in eiusmodi superstitiones, inducat; Ergo superstitiosi Deum deserunt, à dæmone auxilium expetunt, & potestati eius se se subijciunt, ac turpiter dedunt.

6. Apertior vanitatis probatio, Inuincibili Argumento.

1.

2.

Videte hic, Patibularij Cathenatores, ihr Galgen Kettler/ qui

7. Detestatio Annulorum patibulariorũ

qui annulos, ex patibulorum cathenis, die veneris sancto ante solis ortum fabricatos, in digitis gestatis: quo tendat superstitio vestra? O *Vanitas vanitatum*, eiusmodi cathenas, contra morbos adhibere, vel enim haberent hanc vim à Deo, aut ex Ecclesiæ instituto, vel ex manu carnificis, vel contactu colli fu-
1. ris suspensi, vel denique ab ipso patibulo: Non *primum*; quia
2. nil tale, constat ex scriptura. Non *secundum*; quia Ecclesia dam-
3. nat: Non *tertium*; quia sic omne ferrum, quod tangeret, ean-
4. dem vim haberet: Non *quartum*; quia nec vllus medicus scri-
5. psit, nec vlla est ratio naturalis: Non *quintũ*; quia nulla humana ratio id dictat. Ergo ex occulto pacto cum diabolo. Abijcite, obsecro, abijcite, si quæ habetis, eiusmodi ferramenta, si animarum vestrarum salutem, sartam tectamque vultis, si diaboli iugum, cui per annulos eiusmodi subiecti estis, excutere desideratis.

V. Q. An superstitio tam graue peccatum.

Mirabitur fortasse alius, & dicet: *Itanè verò? An tam graue peccatum sit, huiusmodi superstitionibus vti? pro spasmo & aliis morbis, cathenas patibularias adhibere? certa quædam carmina, vetularum, pro pellendis ægritudinibus, vsurpare? Amuleta incantatoria,* vel *peregrinis, aut scriptis, aut insculptis nominibus, insignita, gestare, contra ictus gladiorum, aut sclopettorum, periapta quædam adhibere?* Ast ego Respondeo, grauissimum haud dubiè peccatum esse, immò supra modum detestabile crimen, eiusmodi superstitionibus vti. Quid ita? Pugnat enim è Diametro, contra primum Decalogi præceptũ: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me*: Est enim hoc præceptum *primum & maximum mandatum*, ratione obiecti, quod est ipse *Deus, super omnia diligendus & colendus,* cultu latriæ, qui est actus Religionis, ac Theosebiæ, quæ virtus, cum Deo gratissima sit necesse est, vt vitium ei contrarium, longè sit grauissimum & super omnia peccata, detestabile: Est enim eiusmodi superstitionum exercitium, saltem implicita à Deo Apostasia, & defectio, ad hostem eius iuratissimum, diabolum: hinc Deus Zelotes honoris sui diuini, minatur, se vlturum, eiusmodi Idololatriam, qua diabolus pro Deo agnoscitur, & saltem occultè colitur, *vsque in tertiam & quartam generationem,*

1. Resp. Grauissimum esse quia pugnat cum primo Decalogi præcepto. Exodi 20.

2. Superstitionis exercitiũ implicita à Deo Apostasia. Exodi 20.

tionem. Addo quod grauius: Quicunque superstitionibus hisce vtitur, fædus init cum dæmone, qui Deo extremè aduersatur, dicente Propheta: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper:* hoc bellum serpenti ab initio Deus indidit: *Ponam inimicitias, inter te & mulierem, & semen tuum, ac semen illius.* Vbi omne cum dæmone commertium, nobis prohibetur, dicente Apostolo: *Nolo socios vos fieri dæmoniorum*; quanta obsecro hæc iniuria Dei, diabolo, cui in baptismo renunciasti, te contra Deum, confæderare, atq; per superstitiosa, & ab ipso introducta remedia, salutem sperare? *Vasallus perfidus*, qui conspirat contra Dominum suum, cum hoste, nonne feudum amittit? *Transfugus miles*, nonne suspendium meretur? *Apostata Monachus*, Religionis desertor nonnè excommunicatur? Nonnè amittit ordinis priuilegia, & votum tàm actiuum quàm pasiuum ad quascũque dignitates? Cogita ergò, quam tu pœnam, ob hanc à Deo, ad diabolum defectionem, promerearis?

3. Fædus cum dæmone.
Psalm. 37.
Genes. 3.
1. Cor. 10.
Similia.
1.
2.
3.
4.

Quinimmò non tantum displicet Deo, talia, siue implicita, siue explicita pacta, cum dæmone, inire, sed & extremam superstitiosis ipsis, perniciem creant. Quis enim ignorat, inexplebile odium dæmonis, in homines, iam ab initio creationis humanæ? Certè, tàm illud est flagrans, tàm acerbum, vt si posset, omnes planè homines, vnico momento interimeret, ne beatitudinem, qua ipse superbia sua, excidit potiantur. Collige odij magnitndinem, ex vehementia, qua eos exagitarunt maligni hostes in quos à Deo, aliquam saltem permisionem acceperant: Sic *Iob* omnib. bonis spoliatum, Elephantiaca lepra, dæmones percusserunt: Sic *septem Saræ viris*, prima nuptiarum nocte, colla fregerunt; sic *Filiam mulieris Cananeæ*, extremis cruciatibus, diuexarunt: *Sic alios obsessos*, mirandum in modum torserunt, in aquam; in ignem, præcipitarunt, summis cruciatibus, vt Euangelistæ referunt, excarnificarunt. Immò nec sanctissimis viris, *S. Antonio*, & *S. Guilielmo*, & alijs non pepercerunt, eosque ad mortem vsque sæpius vulnerarunt. Quid plura? tanta est odij eius pertinacia, vt S. Iob dicat: *Cor eius indurabitur, quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*, id est, tam

4. Pernicies extrema ex superstitionibus.
5. Odium dæmonis in homines.
Iob. 1.
Tob. 8.
Matth. 15.
S Athanas. in vita S. Anton.
Iob. 41.

tàm durum eſt, atque incus, in quo faber mallearius, ingentia ferri pondera, procudit.

6. Dehortatio à ſuperſtitionibus.

Quàm igitur ſtultè agitis, ò ſuperſtitioſi, omnes, ô Patibularij Cathenatores, ô morborum incantatores, ô vetitarum omnium artium cultores? Non auditis Chriſtum vos obiurgantem? *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri*, id eſt, eiuſmodi ſuperſtitioſa, *vultis facere: Et ille homicida erat ab initio*, cur fiditis ei? *Et in veritate non ſtetit, & veritas in eo non eſt, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius*, ſcilicet mendacij. Cur fiditis ei? Annon cernitis, quod in fraudem vos inducat? Non videtis, eum homicidam extitiſſe ab initio, & hunc perpetuum eſſe conatum, vt animas veſtras occidat? Nonne *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret?* Nonne ſcitis eum mendacem eſſe, & veritatem in eo non eſſe, & dum corporalia beneficia, per incantationes, id eſt, morborum curationem, vulnerationis immunitatem pollicetur, animas interim veſtras, per occultam Idololatriam, occidere, & præcipitare in gehennam? *Egrediar*, inquit, *& ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum*: Nonne intelligitis, quò ſe magis beneuolum fingit, tantò maius eum, in te malum, moliri? *Filij hominum, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Ioan. 8.

1. Petr. 2.

3. Reg. 22.

Pſalm. 4.

7. Stultitia ſuperſtitioſorum.

O quam malè vobis conſulitis, qui ſalutem veſtram, tàm temporariam, quam æternam verſutiſsimo Sycophantæ, ac veteratori creditis? O ſtultæ aniculæ, nunquid ſub eſca, latentem laqueum extimeſcitis? ô ſtolidi piſces, nunquid hamum, propoſito ſub epulo occultatum, reformidatis? Corporis mala ſuperſtitioſis eiuſmodi artibus, propulſare ſatagitis, & grauiora interim, immò & æterna, animarum nocumenta, incurritis? Abſterreat vos, terribilis hiſtoria, quam recenſet S. Gregorius Magnus hiſce verbis: *Matrona*, inquit, *quædam nobilis, in vicinis partibus Tuſciæ, ob carnis vitium, à dæmone fuit correpta; cumque antiquus ille hoſtis, eam vexatione continua vehementer attereret, propinqui eam carnaliter amantes, & amando proſequentes, ad obtinendum ſalutis remedium, maleficis tradiderunt, vt eius animam funditus extinguerent:*

1. Similia. 2.

Lib. 1. Dialog. cap. 10.

8. Obſeſſa ab vno demone ſuperſtitionibus vtens, à 6666. dæmonibus obſidetur.

rent: cuius carni magicis artibus, ad tempus, prodesse conarentur. Ducta est igitur ad fluuium, atque in aquam mersa, ibique diutius incantationibus agere malefici moliebantur, vt is, qui eam inuaserat, diabolus exiret. Sed miro omnipotentis DEI *iudicio, dum arte peruersa, vnus ab ea repellitur, in eam subitò, Legio intrauit. Cœpit ex hoc illa, tot motibus agitari, tot vocibus clamoribusque perstrepere, quot spiritibus tenebatur. Tunc inito consilio, parentes eius, suæ, perfidiæ culpam fatentes hanc ad venerabilem virum Fortunatum, Tudertinæ ciuitatis Episcopum. deduxerunt, eique reliquerunt. Qua ille suscepta, multis se diebus, ac noctibus, in orationem dedit, tantoque annisu precibus incubuit, quanto & in vno corpore, contra se assistere legionis aciem, inuenit. Quam post non multos dies, ita sanam atque incolumem reddidit, ac si in ea ius proprium, diabolus nunquam habuisset.* Cauete, obsecro, ô vanitatum superstitiosarum sectatores, ne quid simile vobis contingat, vt dum minus corporis malũ, vanissimis eiusmodi gesticulationibus euitare contenditis, in mille diabolorum insidias, deueniatis.

Certi denique estote, quotquot eiusmodi superstitionum Magistras vetulas, & vanarum obseruationum disseminatrices, deprehenditis, eas, aut, *reipsa, & formaliter*, vt loquuntur Philosophi, magas & veneficas esse, aut saltem in dæmonis nouitiatu & probatione, constitutas esse, vt mox, præstito homagio, quasi professione, in numerum verissimorum dæmonolatrarum atque Sagarum accenseantur. Fugite, obsecro, fugite venenum, illud antiqui serpentis, velis remisque diaboli laqueos euitate, in omni necessitate à Deo, salubre consilium & opem exquirite, qui se petentibus, nouit semper bona data elargiri, benedictus in sæcula. Amen.



CONCIO VI.

SVPERSTITIOSAS, CVRIOSORVM HOMINVM, OBSERVATIONES, NVLLA PEnitus tergiuersatione excusari posse, coram Tribunali Diuino.

Multi autem ex illis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Actor. 19.



VM S. Apostolus Paulus Ephesi Euangelium prædicaret, inter alia prodigia, quæ ibidem diuinitus cõtigerunt, referente S Luca: *Tentauerunt quidam de circumeuntibus Iudæis, exorcistis, inuocare super eos, qui habebant Spiritus, malos, nomen Domini* IESV, *dicentes: Adiuro vos per* IESVM, *quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi, Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant: Respondens autem spiritus nequam, dixit illis:* IESVM *noui, & Paulum scio, sed vos qui estis? Et insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium, pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent, de domo illa, hoc autem notum factum est, omnibus Iudæis atque gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor super omnes, illos, & magnificabatur Nomen Domini* IESV, *multique credentium, veniebant, confitentes & annunciantes, actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus; Et computatis precijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum, quinquaginta millium, ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.* Hæc S.Lucas. Pensitate historiam, & eius circumstantias aliquantisper excutite, & paulo accuratius considerate: Annon inter eos, qui ad Apostolum, formidabili illo, filiorum Sceuæ, spectaculo, exterriti confluebant, vt peccata sua confiterentur, erant, rerum curiosarum, sectatores, & superstitionum diabolicarum obseruatores? Expressè id asserit S.Lucas. Sufficiebat ne illis, quas exercuerant superstitiones nudas pandere, & annunciare? Minimè gentiũ: Iubebat Apostolus, vt libros etiã Magicos, & omnia superstitionum vtensilia, licet permagni precij, quinquaginta millium

ſium vtpote denariorum, æſtimarentur, proderent, & luculento, coram omnibus, igne excitato, demolirentur. Cui Apoſtolico conſilio, omnes & ſinguli, ex amuſsim paruerunt: Nemo inter eos erat, qui diabolicas illas vanitates, defenderet, nemo, qui vel vnico verbo, excuſaret, nemo non, cane & angue peius, eas deteſtabatur. Optarem ego idem à vobis fieri, qui ſimili piaculi genere, vos hactenus diabolo, tam impie obſtrinxiſtis: In hunc igitur collimans ſcopum, vt æternæ ſaluti veſtræ, tanto promptius conſulam, *Deceptiones* inprimis, maligni hoſtis, reſerabo, deindeque, iuuante Deo, *Excuſationes* quaſcunque prætendi ſolitas, in nihilum redigam, & caſſabo.

Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros & combuſſerunt coram omnibus, quot nam inueniuntur in hac ciuitate, qui eiuſmodi ſuperſtitioſas artes conſcriptas habent, aut ſuperſtitioſa è collo ſymbola & amuleta geſtant, aut ſimilia Characteriſtica ſigna vſurpant; ſed quotus quiſque eſt, qui diabolicam illam ſupellectilem, Apoſtolo Paulo, aut eius vices gerenti, offerat, vt diſperdatur? Numera mille, vix decem inuenientur: Scio enim quid aliqui prætexant: *Res illæ, quas tu ſuperſtitioſas vocas, nihil in ſe mali continent; Incantationes morborum, habent ſancta verba, quibus oratio ſimul Dominica, & Aue Maria, & ſymbolum Apoſtolicum toties vel toties adiungitur: Artes noſtræ ſemper ſanctæ crucis ſignum præferunt, etiamſi peregrina quandoq; dæmonum nomina & Characteres contineant. Quid tum? Nos nihil cum diabolo negotij habemus.* Hic iterum duplicem dæmonis fraudem, aperio & refero: Primò enim ſacra verba, orationes, ſignum ſanctæ crucis, res benedictas, & alia eiuſmodi adhibet, vt in fraudem, ſimpliciores eò facilius inducat; vbi ſub mellita & ſaccharea offa, venenum propinat: Sicut enim parentes ſub dulci & lactea offa, amara ſemina contra vermes inteſtinorum paruulis offerunt; ſic diabolus ſub ſacris rebus, orationibus, ſigno crucis, venenum Idololatriæ, incautis ingerit & obtrudit. Deinde homines allicit, vt in aſſequendo bono aliquo, vel euitando malo, ſpem ſuam à Deo, adiutore ſuo, auertant, & in ſuperſtitioſis

I. An ſymbola & Amuleta ſuperſtitioſa nil mali contineant?

1 Vtuntur oratione Dominica, Aue Maria &c. Sed ſubeſt duplex fraus Dæmonis.

1.

2.

 tioſis

tiosis hisce, & diabolicis medijs, collocent & reponant: O vanam, ô fallacem spem, quæ ad perniciem; non ad salutem, non ad Saluatorem, sed immanissimum animarum tortorem, & carnificem, adigit & propellit: Apage dæmonis auxilium:
Psalm. 123. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram: Qui*
Psalm. 124. *confidit in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum.* Si e-
Hierem. 17. nim maledictus homo, ex ore diuino, si, inquam, *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedet, cor eius:* Quantò magis à Deo maledicetur, qui sperat in ipso diabolo, truculentissimo, humani generis infestatore? Nõ auditis quid de hac impia spe vestra, sacræ scripturæ dicãt?
Iob. 3. *Spes hypocritæ, peribit,* inquit S. Iob: Et quid mirum? *Oculi impio-*
Iob. 11. *rum deficient, & effugium peribit ab eis:* dum putant, se quæuis mala, per artes eiusmodi euitaturos, *& spes illorum abominatio animæ:*
Sapient. 6. Nam per huiusmodi superstitiosa media, eam, ipso diabolo consignant, & orco deglutiendam intrudunt: Audite, obsecro, Salomonem de spe vestra, quam in diabolo, & medijs ab ipso inuentis, reponitis: Quid ille? *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur; & tanquam spuma gracilis, quæ à procella disper-*
Sapient. 16. *gitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est.* Et rursum: *Ingrati spes,* quia à Deo, sum̃o benefactore deficiens, in diabolo spem suam, velut anchoram iacit, *tanquam hybernalis glacies, tabescet, & more inutilis aquæ diffluet;* quod sanè ipsa experientia teste, mil-
Isaiæ 59. lies contingit illis, de quibus Propheta: *Confidunt in nihili & loquuntur vanitates.* Quid plura dicam de eiusmodi superstitiosis medijs, quibus vel mala à vobis auertere, vel bona, iuuante diabolo, acquirere studetis? suam vobis, vnico verbo, senten-
Coloss. 2. tiam edisserat, S. Paulus, de remedijs hisce: *Omnia sunt in interitum, ipso vsu, secundum doctrinas & præcepta hominum, rationem quidem habentia, sapientiæ, attamen in superstitione,* qua diabolus occultè, vt Deus, honoratur.

II. Patres reprobant superstitiones. Hom. 21. ad pop. Antioch.

Mirum dictu, quam risibilia sint non rarò media illa, superstitiosa, per quæ fiducia vestra, in diabolo erigitur & firmatur: Vnde S. Ioannes Chrysostomus vana eiusmodi omninò detestatur, vt superstitionis plena: *Sæpe,* inquit, *domum quis suam egressus,*

egressus, hominem vidit monoculum, vel claudicantem, & ominatus est aliquid mali. Si Virgini occurreris, sterilis dies erit: si verò meretrici, dextra plena, & multa mercatione fertilis. Si auris dextra tibi spontaneè tinniat amicum, si sinistra, inimicum, tui memoriam recolere; quæ omnia vana sunt, & superstitiosa, & à diaboli impietate hominibus persuasa. Hæc ex ore sanctissimi Doctoris. De hoc etiam aurium tinnitu Virgilius. 1. Aurium tinnitus. In catalectis.

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris?
Nescio, quem dicis, nunc meminisse mei.

His adiunge, vt S. Augustinus loquitur, millia inanissimarum obseruationum: *Si membrum aliquod salierit; si iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis, aut puer aliquis medius interuenerit; atque illud quod lapidem calcant, tanquam direptorem amicitiæ, minus molestum est, quam innocentem puerum, colapho percutiunt, si pariter ambulantibus, interuenerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur à canibus: Nam plerunque tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem, qui medius intercurrerit, ferire audeant, non impunè: namque à vano remedio, citò ille, percussorem suum, ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen suum calcare, cum ante domum suam transit, redire ad lectum si quis dum se calceat, sternutauerit; redire domum, si procedens offenderit, cum vestis à soricibus roditur, plus timere, suspicionem futuri mali, quam præsens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum Catonis, qui cum esset consultus à quodam, qui sibi erosas esse caligas, diceret à soricibus, respondit: non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.* Hæc vanarum & superstitiosarum obseruationum genera, enumerat, & taxat S. Augustinus. 2. Aliæ complures obseruationes. Lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Sed quid, de morborum incantationibus, & ligaturis diabolicis, contra varia mala? Hæc nihil aliud sunt, quam verè superstitiosa magia, qua dæmon præ vero Deo, homines iuuante, & è morbis eripiente immo & ab ictibus armorum, ac telorum præseruante, colitur, & quodammodo adoratur: audi rursum S. Augustinum: *Ad hoc genus magiæ, pertinent, omnes ligaturæ, atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat; siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas Characteres vocant, siue in quibusdam rebus, suspendendis, atque ligandis, vel etiam Luna &* III. Incantationum anilium vanitas. Lib. 2. de Doctrin. Christiana c. 20.

astris, salutandis, tum ad morbos pellendos, tum ad quasdam significationes, occultas, aut etiam manifestas. Postea obseruatu illud dignißimum non quidquid intus sumptum, naturaliter iuuat, id etiam appensum iuuare; Et ideò plus cautionis adhibendum, in his appensis, quoniam in ijs plus periculi continetur. Et hoc postremum alibi clarius explicat: *Aliud est dicere, tritam istam herbam, si biberis, venter non dolebit: & aliud est dicere; istam herbam collo si suspenderis, venter non dolebit: Ibi enim probatur contemperatio salubris, hic superstitiosa significatio, damnatur, idque præsertim, vbi præcantationes, inuocationes, vanæ temporum rerumque obseruationes, incognita nomina & Characteres, vulgo ignoti, accedant.* Ecce sic omnem superstitionis vanitatem, reprobat S. Augustinus.

Lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 26.

IV. Superstitio gradus & dispositio proxima ad Magiam.

1. Simile à Studiosis Doctoratum assequi cupientibus.

Quis dubitet eiusmodi superstitiosa media, quibus dæmonum opera, aut malum propulsari, aut bonum aliquod conciliari & acquiri creditis, esse dispositiones proximas, ad ipsum magiæ & veneficij gradum, quo se homo, præstito homagio, diabolo penitus consignat? Sicut enim, si quis Doctor fieri debeat, primum discit. *A. B. C.* deinde colligit Syllabas, & legit; postea discit coniugare, & declinare; sequuntur præcepta Grammaticæ, quibuscum latinè componere, condiscit, ac demum per omnes artes liberales transit, vsque ad Magisterium & Doctoratum: Sic etiam Diabolus homines, quos ad supremum Idololatriæ diabolicæ gradum seducere, & in desperatissimum humanæ salutis discrimen; præcipitare molitur,
1. *primum* superstitionibus, imbui sinit, *deinde* ad media il-
2. licita, vsurpanda, in quauis occurrente necessitate, inducit,
3. *tertio* sequuntur artes, siue implicitum, siue explicitum, cum
4. dæmone pactum, habentes: *Vltimo* tandem, in diaboli casses omnino incidit, cum corpore & anima, se illi consignando.

2. Simile aliud.

Atque ita euenit miseris, quod pueris furacibus, qui à minimo incipiunt, & paulatim ad maiora progrediuntur, donec furtis assueti, in patibulo suspendantur.

3. Superstitio Nouitiatus Diaboli.

Quin etiam sicut in Monasterijs sunt anni Probationis antequam aliquis ad professionem admittatur: Sic diabolus probat suos in superstitiosis hisce remedijs, vt eius diabolico iugo, paulatim assuescant,

cant, & ad grauiora mala perpetranda, cicurentur. Sicut habitus incipit à primo actu sæpius Iterato: Sic etiam Magia superstitiosis operibus sæpius repetitis, facilè apprehenditur & in anima plantatur. Sicut lignum viride, vt ab igne absumatur, primum humore spoliatur, deinde exiccatur, ac demum incenditur: Sic agit diabolus, homines ad Magiam seducendo. Nam primo exuit illis omnem Dei timorem; talia prohibentem: Deinde orationis ac pietatis exercitijs omißis, cœlestis gratiæ humorem exiccat: Ac tum demum Magiæ studio eos inflammat. 4. Habitus. 5. Lignũ viride

Sed aiunt vetulæ, Deum dixisse: *Adiuua te ipsum, & ego te quoque iuuabo*: Mensch hilff dir / Ich will dir auch helffen: Quid inde? Ergo per ista media sanitas quærenda? Respon. primò: Hæc verba, nec in nouo, nec in veteri Testamento contineri: Dauid enim ait: *Dominus adiutor meus, & Redemptor meus: Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo*. Per Oseam item Prophetam asserit Dominus: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum*: quomodo verum erit, quod vos vetulæ dicitis: *Homo iuua te ipsum?* quid? Nunquid Apostolus ait: *Non sumus sufficientes, cogitare aliquid, tanquam ex nobis?* quomodo sufficientes vt nos ipsos iuuemus? Sed esto, sit ita: Dixerit Deus: *Homo iuua te ipsum*: Dixisset vtiq;, per ordinaria media, per medicinas, & ea, quæ Deus ad subsidium hominis creauit, & ordinauit, non per diabolicam Magiam: *Altißimus enim creauit medicinam, & homo sapiens, non despiciet eam*. Licita sunt remedia naturalia, quæ naturalem habent effectum, illicita quæcunq; præternaturalem prętendunt effectum, vires medij naturalis excedentem. V. Obiectiones vetularũ soluuntur. Obiectio 1. à Dei mandato Resp. Verbũ illud nullibi extat. Psalm. 18. Psalm. 26. Oseæ 13. 2. Corint. 3. Eccles. 38.

Nos, inquiet aliquis, (*hisce fidem habens*) *comperimus, huiusmodi amuleta & periapta, quæ tu dicis superstitiosa, sæpißimè, opem præsentißimam attulisse*; *Ergo male facis, ea reijciendo*. Resp. Vel diabolus iuuat ex pacto: siue implicito, siue explicito, & expresso, quod aiunt: vel si Deus prohibeat, diabolo, casu fiunt, aut ex aliquo extrinsecus accidenti, siue immenso gaudio, siue horribili pa- 2 Obiectio sæpe iuuant. Resp. Vel per diabolum, vel casu iuuant, vel ex gaudio vel timore.

Mater laborans quartana febri longo tempore viſo filio præ gaudio curatur.
Miles itidem febricitans.

bili pauore: De gaudio conſtat: Mater quam probè noui quartana laborans, ferè per biennium, viſo filio, è longinquo redeunte, poſt multos annos, illico curata eſt. De timore: Probat exemplum Heinrici IV. Galliæ Regis, qui cuidam Nobili, in caſtris Ducis Mercurij, ægroto relicto, capillos, quos Barbitonſor Ducis abſciderat, nec dum perfectè tonſo ad collum appendit, præ metu ſanus ad Ducem peruenit, & putans Regem ſibi præſtantiſsimum remedium appendiſſe aperto faſciculo nigros capillos Ducis inuenit. Ecce caſu fortuito ſanatam febrim, quæ periapto ſanata, credebatur.

VI. Fuga peculiarium quarundam ſuperſtitionū.
1. Cognitio Amaſij in Vigilia S. Andreæ.

Vitate, obſecro, per Dei miſericordiam, ſuperſtitionem illam, deteſtabilem, quam fæminæ vt plurimum in Vigilia S. Andreæ, vſurpare conſueuerunt. Noui quandam, quæ vano eiuſmodi ritu, effectum dare flagitabat, vt ei amaſius ſuus, illa nocte appareret, à dæmonibus è lecto extractam, & verberibus egregiè mulctatam, ac fortaſsis omninò abſportandam, niſi accurriſſent boni & pij homines, & eam liberaſſent.

2. Vulneraria Amuleta.

Ante omnia vos moneo, præſumptuoſos, qui amuletis diabolicis confidentes, gladiorum, telorum, ſclopettorum ictibus, vos exponitis; ipſa præſumptio, inprimis, grauiſsimū eſt peccatum: hac enim de cauſa, præſumptionem, ſuadenti diabolo, qui Chriſtum duxerat, in pinnaculum templi, dicens:

Matth. 4.
Pſalm. 90.

Si filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum; reſpondit Dn̄s Iesvs: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quæ maior præſumptio, quam hoc medio immunitatis vulnerariæ impudentiſsima tentatione, diuinam potentiam, temerè laceſſere? Monui ſemel quendam hîc Bambergæ, virum robuſtum & ſanum, qui dicebat, ſe cor ſerpentis comediſſe; ideoque nec vllum venenum, nec peſtem ei nocere poſſe, ne ita temerè, ſine omni ratione, peſtiferos accederet, & cum illis conuerſaretur: Sed ecce, temeritatis pœnam, poſtridie peſte correptus, veſperi moritur; alius amuleto vulneratorio armatus, ſaxo deſuper cadente, conteritur, quid huic profuit amuletum?

Deut. 6.
3. Præſumptio extrema in vulnerarijs Amuletis.
1. Præſumptionis periculum in exēplo duplici.
2.

Vt autem clarius appareat, quam vana sit omnis superstitio, exemplum appono, de quodam, iuuene, qui per prophanissimam quandam chartæ inscriptionem, obseratas clausuras aperire solebat. Rei series à scriptore sic refertur. *Erat quidam Sacerdos, in ciuitate Coloniensi, vir honestæ vitæ, & famæ celebris, & in his, quæ Christiani dogmatis erant, non mediocriter institutus. Is adolescentem quendam nepotem habuit, Laicum, & sine literis, quem tenerrimè diligebat: Verum, quia semper prona est ad perfidiam, stolida & literarum ignara rusticitas, prædictus iuuenis incantationibus nimis credulus, à quodam sodali suo, non facili prece, schedulam quandam extorsit, quæ vi inscriptionis nefariæ, dissilientibus obicibus, atque repagulis dissolutis, sine clauium iuuamento, seras quascunque aperire posse, atque dissoluere credebatur, cuius rei ne iuuenis friuolam, haberet fiduciam, statim cum schedulam recepisset, seris eam, cum firma fide applicuit, atque durius obseratas, quotiens libuit, reserauit. De qua re, cum vehementer secum ipse stuperet, & efficacem, diuinamque verborum illorum potentiam moraretur, Domino suo, Sacerdoti, rem vt erat, narrauit, & eo præsente, quascunque voluit, applicata charta dissoluit. Adhuc ne, inquiens, incantationes nihil posse, fateberis, & impotentes arbitraberis? horum verborum schedulam Sacerdoti ostentat, maiestatem celebrans & extollens cui, nec repagula ferrata, nec malleis firmata, metalla, hactenus valuere resistere. Quod vt Sacerdos vidit, nullam vim, vel firmissimam seram, schedulæ illius, virtutem posse infringere, non tàm vi verborum, quam famuli sui perfidia, rem geri recognouit. Quapropter petita schedula, atque displicata, legit, & ita in ea patrijs verbis scriptum inuenit: Ioannes* (hoc enim erat nomen eius) *est malus nequam* nihil plus, nihil minus, nihil aliter. *Vnde licet vehementer se in risum concitari animaduerteret, horrore tamen perfidiæ, virilem maturitatem in vultu retinuit, & ad iuuenem ait: Ista ne sunt sanctissima verba illa, de quorum gloriaris potentia? Sunt, inquit iuuenis; & ille: Quid si in hac charta hæc verba scripta essent, [Ioannes est malus nequam] Num ea arbitrareris serarum validam clausuram posse diuellere, & ad sui obedientiam, ferrum arctare? Ad quæ verba facie in rugas contracta indignabundus, ait:* Nequaquam, *Tum ille: In veritate, inquit, mihi crede, nihil aliud quam dixi, in hac infelici membrana, scriptum reperio. Tu ergo videris, quibus viribus, quaue potentia, serarum feceris obices dis-*

3. Perfida cuiusdam Iuuenis credulitas cooperante Diabolo, aperit claustra & Seras. Spec. exempl. Tom. 2. dist. 10.

ces dißilire. Pone igitur fili perfidiam, & execrandam artem, his doctus abhorre, ne erroris tui, in breuißimo tempore, supplicia pendas. Adhæc iuuenis de verborum viribus incepit vacillare, hæsitabundus tamen, & ambigua spe, iterum membranam seris applicuit, experiri volens, vtrum ne vel adhuc, sicut hactenus fecerant, repagulorum nodos, vellent dißipare. Sed quia fidei, immò perfidiæ, temeraria vi, verba, caruerant, obicum iuncturis, in sua statione manentibus, nil seræ, ad temerariam verborum virtutem mouebantur. Quod vbi iuuenis vidit, maledictam schedulam, cum indignatione dilacerans, ignibus cremandas partes iniecit. Ecce superstitionis vanitatem. Doleo autem quam maximè inueniri homines hic Bambergæ, qui dicere ausint, moniti de pacto diaboli in hiscè superstitionibus contento. *Quid tum? Dummodo liberer à morbo, etiamsi diabolus me liberet, non curo.* O execrandum scelus, Deo deserto, diaboli auxilium expetere. Annon hoc est diabolum pro Deo colere? Mihi credite, facti aliquando pœnitebit, cum deueneritis in plenariam diaboli potestatem.

Obsecro vos, cauete inposterum à superstitionibus istis, mulierculárum incantationes ante omnia, amuleta superstitiosa, & artes prohibitas abijcite, exemplo illorum, de quibus Lucas: *Multi ex ijs, qui fuerant curiosa sectati, attulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, confitentes & annunciantes actus suos: Et computatis librorum precijs, inuenerunt pecuniam, denariorum quinquaginta millium.* Similiter & vos artes vestras, & inprimis *annulos*, è cathena patibulari, sacrilega impietate, die Veneris sancto, procudi & efformari solitos, vt eo potissimum singulari astu diaboli, homines à Dominicæ passionis cultu, & veneratione distineantur, *Martis* item, *Veneris*, & aliorum mille Cacodæmonum *Sigilla*, & amuleta afferte, comburite, diffringite, in nihilum redigite, si vobis cordi est, varias dæmonum insidias, & laqueos effugere, saluti vestræ securitatem à Deo procurare, veniam & gratiam in ista, in altera æternam gloriam, impetrare.

AMEN.

CONCIO VII.

DE VARIIS SVPERSTITIONVM DIABOLICARVM MODIS, AC Regulis eas dignoſcendi.

Filij hominnm vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Pſalm. 4.

TANTA eſt diaboli malitia, tantum in homines odium, vt quæcunque Deus aut creauit, in hominis bonum ab initio, aut per filium ſuum inſtituit, in noua lege, & ſanguine ſuo conſtabiliuit, vt ſunt ſanctiſsima Sacramenta, ſuperſtitionibus ſuis, & Idolomania Diabolica, omnia prophanare, & quodammodo pedibus proculcare, & conterere conetur. Hinc homagio ſibi deuinctos, adminiſtros, non ſolum incitat, vt diris & abominandis modis, omnia plane ſanctiſsima Sacramenta, nec corporis & ſanguinis Chriſti myſterio parcentes, prophanent, & ad nefanda atque abominabilia ſcelera patranda, eodem abutantur: Verum etiam, in rerum naturalium vſu, horrendiſsimas quaſque ſuperſtitiones, inducant, vt homines à Deo abſtractos, ad ſui cultum alliciant. Miſeret me, vt verum fatear, tot animarum, adeo fœde ac turpiter, tot ſuperſtitionibus deceptarum. Vt ergo eas, quantum in me eſt, è faucibus Draconis infernalis eripiam: *Primò*, Regulas, quaſdam generales præſcribam, è quibus quæcunque ſuperſtitioſa media, facillimè dignoſci poſsint. *Deinde* præcipua ſuperſtitionum genera, breuiter attingam & reprobabo. Friuolas præterea, eiuſmodi ſuperſtitionibus obtendi ſolitas, excuſationes reijciam & ſequenti ſermone diſſoluam: Ac *denique* ſuperſtitioſorum pœnas, tam è Iure Eccleſiaſtico, quã ciuili reſerabo. Filij hominum vſque quo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?

Superſtitio in primis eſt peccatum, quod committitur, cum vel Deus ipſe, vano aliquo cultu colitur, vel eius nominis gloria, & virtus atque efficacia, alteri creaturæ adſcribitur, I Regulæ ad ſuperſtitiones cognoſcendas.

vis, autem eiusmodi superstitiones ritè cognoscere? Regulas hasce habeto. *Primo* si rei alicui efficacia attribuitur, quam nec à natura sua, neque ex benedictione præuia, neque ex institutione DEI, accepit, est superstitio. *Secundo:* si ægroto herbæ, cum certis verbis & rithmis quibus verba quædam, alioquin sacra, & simul vetularum demurmurationes, adhibentur, ita vt firmiter credat, sese adiutum iri, est superstitio. *Tertiò,* quando rebus naturalibus, vel fictitijs, imaginibus, icunculis, è cera, aliaue materia, virtus attribuitur, liberam hominis voluntatem, cogendi vel impellendi, vel occulta quæpiam reuelandi, vel etiam futura prædicendi, est superstitio. *Quartò,* cum res sacræ, vel verba sacra, ad res omnino viles & contemptibiles, adhibentur, est detestabilis superstitio, per quam Nomen Domini, vehementissime blasphematur. *Quintò,* si quis ad paranda, pro quibuslibet morbis, remedia, verbi gratia, ad fodiendas aliquas radices, scribendos aliquos characteres, & benedictiones, certa tempora, festiuitates, horas, ante vel post occasum solis, obseruari iubeat, certus esto, eum nil nisi meras superstitiones exercere. Hasce Regulas, si obseruaueris, de quolibet superstitionis genere, facillimè iudicabis.

1. 2. 3. 4. 5.

II. Septem genera superstitionũ. 1. Cultus Dei putatiuus per res ineptas.

Venio nunc ad *superstitionum genera,* in particulari: Et primo ea occurrunt, quibus insani quidam homines, sibi persuadent, se Deum colere, rebus quibusdam, communi Ecclesiæ, & Christianitatis vsui, directè repugnantibus. Talis superstitio est, cum vetulæ aliquæ, sub Eleuatione corporis & sanguinis Domini, in sacrificio Missæ, manus similiter eleuant, & cum Sacerdos, manus cum hostia & calice demittit, ad altare, faciem & oculos fricant, persuasum habentes, præsentissimum esse remedium, contra Erysipelatem, contra morbos alios innumeros. Talis *superstitio,* quod nulla puerpera se præsentet, in templo post puerperium die Veneris, aut die, quo anno præcedenti, fuerat festum Sanctorum Innocentium, credentes, eos dies esse infortunatos. Talis *superstitio,* quod puerperæ non paucæ, post alteram, vel vt summum,

1. 2. 3.

mum, post tertiam hebdomadem, vt eò liberius in domibus discurrere possint, aduocato Sacerdote, domi benedictionem accipiant, cum ex Ecclesiæ instituto, illis puerperis, tantummodò debeat impertiri, quæ se præsentant, cum suo partu, Beatissimæ Virginis exemplo, in templo; secus de ægrotis, quæ non possunt exire. Talis *Superstitio*, quod puerperæ, cum 4.
post partum, Sacerdotis benedictionem acceperunt, vix Templum ingressæ, illicò domum properant, vbi vix ad minutulum temporis punctum, infantem in ara Deiparæ Virginis, Luc. 2.
reposuerint, insaluberrimum esse existimantes, vt paulò diutius in templo demorentur, cum potius, more maiorum, sacrificio Missæ interesse, & in eo, pro impetrata Matrimonij benedictione, Deo gratias agere, & infantem diuinæ protectioni commendare, diuinoque seruitio offerre deberent, quæ parentum oblatio, in Lege naturæ, tantæ virtutis & efficaciæ credebatur, vt etiam originale peccatum paruulorum, deleret.

Oblatio paruulorum in lege veteri à parentibus facta quàm efficax.

Talis diabolica *superstitio*, quod quidam coniuges, mortuo al- 5.
tero, triginta diebus, domi se contineant, & nec in templo sacrum audiant, nisi dum exequiæ celebrantur, nec verbo DEI audiendo, vacent, vt luctum suum contestentur: Sed fraus est diaboli, vt non solùm Ecclesiæ præcepta violentur, sed & defuncti, pro quibus lugent, consuetis viuentium suffragijs, destituantur: Talis *superstitio*, herbas, annulos, corallia, & similia, 6.
sub mappis altarium, vbi Sacerdotes frequentius celebrant, abscondere, eo fine, vt virtutem alicuius effectus non naturalis, exinde accipiant, cum Missæ sacrificium, nullam, eiusmodi rerum, benedictionem, contineat, nec eo fine sit institutum.

Nec ratio deficit, cur hæc & similia, superstitionis genera, damnemus: Nam res hæ omnes, repugnant honori DEI; ac denique vsui Ecclesiæ aduersantur: nocent porrò similia credenti, abducunt homines à Deo, & rebus diuinis, & sensim inducunt, ad diabolicas alias superstitiones, per quas homo progreditur, in veram dæmonolatriam: *Filij hominum, vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Ratio cur hæc omnia meritò damnentur.

Secundum genus superstitionum, in operibus, quæ certo quo-

II. Genus: Opera, certa

hora, die, anni tempore nocte facienda, nihil alioquin valitura.
1. In nocte Natiuitatis ligare arbores,

quodam anni tempore, fieri solent, inuenitur. Huius generis *superstitio*, maxima est in *nocte natiuitatis*, cum pulsatur ad matutinum, ligare arbores, stramineis vinculis, vt anno sequenti non sterilescant: dum sonat duodecima, haurire aquam, quæ postea seruiat ad plurimos morbos, nam hoc medio, abstrahuntur homines, à cultu diuino, qui tum temporis in honore Natiuitatis Dominicæ, celebrari solet. *Superstitio* est *eadem no-*
1. *cte*, in vitro vini, si crescat aut decrescat, augurari, an vinum
2. copiosum, sit prouenturum, nec ne: Niuibus apprehensis,
3. probare, quis eo anno sit moriturus nec ne? *Eadem nocte*, ad
4. splendorem Lunæ probare, cuius hominis vmbra, capite ca-
5. 6. reat, eum anno sequenti moriturum. In *nocte* vltima *carnis pri-*
uij, fercula in mensa relinquere, pro animabus defunctorum,
7. quod originem suam, ab ipsa gentilitate deriuat. In *die para-*
sceues, exclusum ouum, imagini Crucifixi in templo collocatæ, ouum offerre, quod postea vim habeat, omnes pellendi febres:
8. In *Sabbato sancto*, dum pulsatur finis Quadragesimæ, post benedictionem fontis, lauare faciem in fluuio, contra maculas so-
9. lares; Sub eodē pulsu Verrere cubicula, ne illo anno tanta co-
10. pia crescāt pulices. *Calendis Maij*, omnes viros ac fæminas de veneficio diffamare, qui aliquid ex domo alia cupiūt, aut emere,
11. aut mutuare. In *Festo S. Ioannis Baptistæ*, certas herbas, ante solis ortum, cum certis cæremonijs effodere, & contra omnia mor-
12. borū genera adhibere vel Consolidæ floribus, in igne festiuo ambustis, oculos fluidos ac lippientes curare. Ex vnica *die con-*
13. *uersationis sancti Pauli*, totius anni tempestates, & ex *S. Vrbani*, pro-
14. uentum vini, ex *die S. Medardi*, quadraginta dierum pluuias, augurari: Toto anno, dolia vini, & acetabula, ne vacua repe-
15. riantur, implere die, Veneris, melius esse, quam si alio tempore impleantur. Vnico verbo, omnia illa sunt superstitiosa,
16. quæ ad certum terminum & horam, siue ante, siue post solis
17. occasum, fieri iubentur. Rursum, ne prægnans fæmina teneat infantem, ad Baptismum, ne infans cito mori cogatur. Ne menstruum patiens femina, transeat sepulchrum puerperæ, quin sterilescat. Hæc & omnia similia, sunt superstitiones exe-

crandæ,

crandæ, homines à ſpe in Deum auocantes, ſeducentes, atque ad Diabolum inducentes. *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Tertium genus ſuperſtitionum, in ieiunijs, orationibus & ſimilibus operibus, pro occultis artibus, aurum conficiendi, & occulta quædam intelligendi, theſauros inueniendi, clancularia aliorum conſilia perueſtigandi & ſimilia cognoſcendi, aut etiam pro gratia, morbos pellendi, ſuſceptis: hæc enim omnia, curioſa, vana, & ſuperſtitioſa eſſe, dignoſcuntur. Tales enim Deus abominatur in veteri lege, & à populo Iſrahel, cupit eradicatos. Vnde cum Fratres Roſeæ Crucis, quos vocant, nil niſi ſimiles artes profiteantur, facile eſt æſtimare, eos ex eorum numero eſſe, quos Dauid inclamat: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

III. Genus Ieiunia, orationes & ſimilia pro occultis artibus.

Exod. 22. Leuit. 19. 4. Reg. 28.

Quartum genus ſuperſtitionum è ſomnijs, auium & volucrum, aliorumque animalium, clamoribus aut volatibus futura augurari, vt gentiles in more habebant; ex aleæ item & ſortis iactu, venturam fortunam, aut infortunium colligere, fortunatos aut infortunatos dies diſtinguere, & in his neque Matrimonium contrahere, nec nouam domum erigere; nec inhabitare velle: Hæc omnia ſeueriſsimè prohibita ſunt, in veteri Lege: *Non augurabimini,* inquit, *neque declinabitis ad magos, neque obſeruabitis ſomnia, neque ab hariolis aliquid ſciſcitemini, ne polluamini ab eis.* Et rurſum: *Anima quæ declinauerit ad magos & hariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei.* Hinc Galatas arguit Apoſtolus Paulus: *Dies obſeruatis & tempora, & menſes annoſque; timeo, ne forſan ſine cauſſa, laborauerim in vobis.* quod Apoſtoli dictum S. Auguſtinus intelligit de omnibus illis, qui ſtatis diebus, nihil volunt incipere & auſpicari, quidquid id eſt, humanorum negotiorum; *cum tamen omnes a Deo creati ſint dies, æquali conditione, vt homo in eis, aliquid boni operetur. Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Similiter ſomniorum obſeruatores, abominatur Deus: *Non inueniatur in te, qui hariolos ſciſcitetur, aut obſeruet ſomnia, at-*

IV. E ſomnijs aut auium volatu aliquid augurari.

1.

2.

3.

Auguria à Deo prohibita.

Leuit. 19.

Leuit. 20.

Galat. 4.

In Enchirid. cap. 29.

Somniorum obſeruatio illicita.

Deut. 18.

Hierem. 27. *nia, atque auguria: omnia enim hæc abominatur Dominus.* Et rursum ex ore Prophetæ: *Nolite audire Prophetas vestros, & diuinos somniatores, & maleficos, qui prophetant vobis mendacium.* Quid plura? *Diuinatio erroris & auguria, mendacia & somnia, malefacientium, vanitas est.* Ergo *Filij hominum, vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Eccl. 27.

V. Omnes morborum Exorcismi quibus vetulæ vtuntur.

Quintum genus eiusmodi superstitionum, complectitur, omnes morborum exorcismos, quibus vetulæ veneficæ vtuntur, contra capitis, dentiumque dolores, contra Asthmata & pectoris angustias, contra vulnera & Luxationes membrorum,
1. contra spasmum, & contracturas, & ariditatem, ac tor-
2. porem membrorum: Complectitur exorcismos pecorum, in-
3. cantationes vermis, in equorum fibris; continet sagittario-
4. rum & sclopettariorum artem, vt quæcunque iaculari inten-
5. dunt, absque vllo errore, feliciter attingant. Exorcismos item
6. serpentum, & aliorum animalium venenatorum, ne possint
7. nocere. Continet artem pecorariorum, vt pecora illos promptè, & sine tergiuersatione sequantur. Continet artes Amasiorum, vt ab alijs amentur, vel vt iudices in iudicio, etiam in caussis apertè iniustis, fauere cogantur: Continet chartacea aut membrana, vel etiam ferrea, vel cuprea, vel Orichalcea amuleta, contra omnes vulnerationes, & ictus, plumbearum ac ferrearum glandium, è collo suspendenda, aut vulneri, obducta cicatrice, inserenda, aut manducanda, etiamsi verba quædam sacra, vna cum incognitis & diabolicis nominibus, &
8. characteribus, adhibeantur. Ad idem superstitionis genus pertinet Dormite in vestibus Sacerdotalibus, & casulis, contra hos vel illos morbos; Lectisternio subijcere, imaginem
9. Crucifixi, Beatissimæ Virginis, alterius sancti, & super ea dormire, contra hæc vel illa mala: Non enim est detestabilis solummodo superstitio, alium in vsum, quam ab Ecclesia Dei, intenditur, res istas conuertere, verum etiam ingens blasphemia, in Christum & sanctos eius. Quid? anne omnia iam allegata, sint adeo superstitiosa? Immo verò: Idque prbo ex duabus rationibus: *Prima* esto; quia qui talibus vtuntur, multa in

Duplici ratione probatur superstitio in rebus hisce contenta.

Ratio prima. 1.

ta inserunt verba, nemini intelligibilia; deinde certum crucium numerum, certas præterea cæremonias, in ligaturis, certosque characteres, aut saltem herbas, certas orationes Dominicas, & Aue Maria, nec plura numero, nec pauciora. Huc 8.
adde herbas vsurpandas, certo die, hora, ante vel post solis occasum, per Virginem aut aliam personam, effodiendas, manu dextra vel sinistra arripiendas, tacendo, & in salutatò, contra solis ortum, certo cum numero orationum, secandas, per modum crucis, aut circuli: Characteres item, & verba in charta Virginea, aut in tali, vel tali metallo, tali die vel hora, die Veneris dum pulsatur memoria pasſionis exarata: quæ omnia, nil nisi diabolicas superstitiones important. *Secunda* ratio. Quod prædicta omnia remedia, debeant applicari, ea fiducia, & fide, ac si certò certius iuuent, & quod aduersi nihil posſit, homini accidere illis adhibitis & vsurpatis, tametsi nullam planè habeant virtutem & efficaciam, naturalem, ad effectum qui intenditur: Hæc enim est grauisſima violatio, primi præcepti, & auersio spei, fidei & charitatis à Deo, & perfugium ad diabolum, vt per hæc remedia, tanquam Deus honoretur: *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

2. Ratio, primi præcepti Decalogi, enormis Violatio.

Sextum genus continet, morborum alia remedia, superstitiosa; vt sunt, emendicata pecunia, talem vel tantam oblationem facere, in aliquo loco pio; ex emendicato, aut alias inuento pane, ægroto, offam coquere, ouum elixere, & in nomine ægroti, formicarum aceruo infodere, vt sicut comeditur ouum, sic & morbus absumatur; fila recenter è colo ducta, & nec dum lixiuio & cineribus macerata, ęgroto è collo suspēdere: Araneam nouem diebus ægroto in collo suspendere, in putamine iuglandis; vt inde colligatur an sit moriturus nec ne: cum nonnulli credant, si illa moriatur, ægrotum similiter moriturum; certas herbas vrina ægroti perfundere, & in fumo suspendere, vel in fluentem amnem proijcere, vel auersa facie effundere; contra oculorum vlcera, & pustulas, tria hordei grana, in furnum ardentem inijcere, & auffugere, ne crepitus

VI. Alia morborum remedia nulla naturali ratione fulcita.
1. 2. 3. 4. 5. 6.

pitus

pitus audiatur, nam alioqui eum mori debere, qui audit; vri-
7. na ægroti, hordeaceum vel auenarium pultem coquere, & ca-
8. nibus, aut anſeribus, aut piſcibus proijcere: Ne ægrotus tran-
9. ſeat fluuium, aut cœmiterium, aut Eccleſiam ingrediatur. V-
10. rinæ ægroti guttas cæræ includere, & in templo offerre: Vel
11. cingulo ægroti, menſurando corpus eius, morbum colligere, vel viridi, quod aiunt, filo, quaſi forfice inuoluto, vel plum-
12. bo liquefacto, & in frigidam aquam, infuſo, vel auenæ granis, cum certis demurmurationibus in aquam iniectis, punctura-
13. rum numerum, in malo, quem vocant, morbo, explorare: Huc pertinent, quorundam occultæ artes, quas dicunt, ſe nemini aperire, poſſe, quod ipſum arguit diaboli pactum, vt maiori curioſitate, ad ſimilia condiſcenda, homines inducantur: Potiones, & alia media, quæ captiuis quæſtione examinandis, à lictoribus, contra taciturnitatem adhibentur. Hæc enim omnia ſimul & ſigillatim, vnico verbo, occultum, cum dæmone pactum, includunt, & homines à Deo auertunt: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

VII. Superſtitioſa Media Metalla aut theſauros inueniendi.

1. Virga Inuentoria.

Septimum genus continet ſuperſtitioſa media, ſiue terræ metalla, ſiue theſauros in terra abſconditos, ſiue gemmas & alia inueniendi, ſiue artes diteſcendi, & proſperitatem omnem in omni negotio aſſequendi: Vt ſi Virgula bifurcata, certo anni menſe, die, hora, ſub tali vel tali ſigno, cœleſti, in glandis acu-
1. mine, cum expreſſis quibuſdam, Angelorum incognitis nominibus, cæſa, & vtraque manu geſtata, adhibeatur vbi ſe hoc vel illo modo inclinat, tale vel tale metallum, theſauros & gemmas abſconditas eſſe, diuinare. Huc pertinet, quod nonnulli in ciſtulis ligneis, ad modum ſandapilæ efformatis, Mandra-

2. Virunculus Mandragoreus.

2. goram ſeruant virunculum, ex radice Mandragotæ, artificioſè efformatum, cum longo capillitio (dummodò Madragora creuerit ſub patibulo, in loco, vbi fur iam ſuſpenſus, fracta veſica, vrinam ſparſerit, & certis ritibus, & verbis ſuperſtitioſis, effodiatur) quotidie in honore dæmonis ſalutant, & pannis ſericis molliter inuoluunt, & amabiliter tractant, vt ab eo diui-

diuitias, & omnem, in omnibus rebus ac negotijs, felicitatem nanciſcantur, quæ vera & plane diabolica eſt Idololatria; & ferro flammiſque exſcindenda. *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

VIII. Vera morborum remedia.
1. Confeſſio generalis
2. Comunio.
3. Vita pia.
4. Remedia ſacra.
5. Spé in Deo collocare.

Si quæris: *Quæ nam igitur media, ad pellendos morbos, & ad genuinam conſeruationem, ſanitatis, & incolumitatis adhibenda?* Ediſſeram paucis: *Primum* & optimum contra morbos, præſertim à diabolo, per magos illatos, ſinceram & integram, totius vitæ confeſsionem generalem inſtituere; *Secundum*, ſacram ſæpius ſynaxin accedere; *Tertium*, piè & immaculatè viuere, orare, Eleemoſynas pauperibus elargiri, ieiunare: tales enim protegit Angelus bonus, & fugit Angelus malus; *Quartum*; adhibere crucem, Agnos Dei, Reliquias, aquam, ſalem, alias creaturas, ab Eccleſia benedici ſolitas, nec tamen in his rebus, ſed in Deo, ſpem omnem reponendo: Nam hiſce Deus, per Eccleſiæ benedictionem, virtutem infudit tum rugientis Leonis, ſæuitiem à nobis auertendi: Tum ſuperbum illum ſpiritum, qui diuinitatem ſibi ab initio arrogauit, confundendi, ne odium ſuum omne, in homines effundere poſsit.

6. Ad Magos & Incantatores non confugiendum.

Iob. 1.

Nemo tamen ſibi perſuadeat, res haſce benedictas, ſi quis adhibeat, dæmonem infallibiliter ei non poſſe nocere: Nam ea non poſſunt obſiſtere poteſtati diuinæ, quæ peccantes, vel per ſe, vel per Angelos bonos, vel etiam malos caſtigare poteſt. Quod ſi morbus ſit præternaturalis, & à veneficis immiſſus, non ad magos & Ariolos, non ad Iudæos & veneficos, confugiat, ſed ſpem omnem ſuam in Deo collocet, & confeſſarijs atque Parochis ſuis, tanquam ſpiritualibus Patribus, malum aperiat, ab illis diuina licitaqua media, exquirat, credens, iuſto Dei iudicio, hæc mala in ſe eſſe permiſſa, ſine cuius nutu, nec omnis diaboli exercitus, vel vnicum pilum, ei auferre poſſet. Sciebat S. Iob plagas omnes, quas incurrerat, mediante diabolo, ſibi immiſſas, Deo tamen permittente, proinde nec contra diabolum, multò minus contra Deum excandeſcebat: *Dominus*, inquiens, *dedit: Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

2. Ligatura Diabolica Inuenta cōburatur.

Notandum nihilominus, si ligatura diabolica, siuè in domo, cubiculo, lecto, aut veste inueniatur, vt Sacerdotibus comburenda & annihilanda offeratur. Pari modo sciendum; si in capillis aut alio membro, medicorum consilio, sepositis veneficijs ligatura siue Instrumentum maleficiale reperiatur, vna cum capillis, vel sectura loci licitè aufferri posse. Potius verò, quam aliquis Christianus, diabolica, ad pellendum maleficium, media adhibeat, optandum foret, millies mori: Melius est enim animam seruare, in vitam æternam, quam corporis sanitatem conseruando, *animam* simul & corpus *perdere in gehennam. Filij hominum vsque quo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper, qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, qui percutit & sanat,* cuius Nomen sit in sæcula benedictum. Amen.

3. Millies moriendum potius quam veneficium vsurpandum.

CONCIO. VIII.

EXCVSATIONES VTENTIVM SVperstitionibus, & eorum pœnæ.

Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem? & quæritis mendacium? Psalm. 4.

Aiebat Cleanthes Philosophus, teste Stobæo, *Nihil esse tam peruersum, ac detestabile, quod non aliqua bonitatis specie conuestitum, incautis rerum æstimatoribus, pro vero bono, possit obtrudi.* Id sanè, si in vlla re, alia locum habet, in diabolicis superstitionibus cernitur, ac reperitur, quarum vsus à dæmonolatriæ cultoribus, sub fallacissima, bonitatis, specie, inerti vulgo venditatur. Accedamus itaq; præsenti sermone ad futilissimos fucos, in quibus vanissimi superstitiosi perfugium quærunt, *declinantes corda sua in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

1. Excusatio: Dæmon non ostendit homini Media

Est eorum excusatio inprimis: *Non est possibile, dæmonem herbas homini ostendere, aut media præbere ad sanitatem & incolumitatem, procurandam, cum tantopere homines oderit; ergo non à dæmone, sed ab huma-*

humana industria sunt hæc media conquisita. Ast ego tibi asseuero, illa à dæmonibus excogitata; Nec est mirum: Nam primò nouit omnium herbarum, & rerum naturalium, etiam occultissimas virtures, melius, quam omnes totius mundi Doctores & herbarum amatores; Esto quod sit noster iuratus hostis, dolosus tamen est, & non veretur homini in vita temporali, in corporis valetudine conseruanda, prodesse, vt postea animam, simul cum corpore perdat in gehennam. Quid? num eius astutiam ignoratis? Annon se quandoque transfigurat *in Angelum Lucis*, vt homines decipiat? Annon S. Hilarioni in deserto, veluti Apothecarius & Myropôla, varijs pixidibus, variarum tentationum onustus apparuit? annon etiam Christum in deserto tentans, frandes suas, sacrarum scripturarum allegationibus cooperuit? Annon velut Leo, pedum vestigia, cauda delet, ne à venatoribus deprehendatur? Certus esto, si vel semel hominem eò perduxit, vt vel vnicum, è superstitionibus numeratis, medium, acceptet, quotidie magis ac magis ei insidiatur, vt ad vlteriora maleficia, eum instiget: Cumque iam eum satis irretitum putat, Angeli larua deposita, apparet, qualis est, & misero captiuo, apertè minatur, ni se illi cum corpore & anima tradat, velle se illi collum frangere, quo medio, quam plurimi, in veneficarum numerum ac ordinem peruenere. Quid dubitas? Exempla sunt in promptu; vnicum è multis: Maleficus quidam, priusquam in diaboli caueam incideret, superstitiosis quibusdam vti credebat, in nomine diaboli effossis herbis, occultos terræ thesauros peruestigabat; dum est in opere, apparet malignus hostis, terribili aspectu, & collifragium, ei minatur, ni seipsi dedat, & cum corpore animaque, iure perpetuo consignet. Addit minis, varias pollicitationes, diuitiarum ac voluptatum, si obsequatur: paret ille; decennio, in diaboli seruitute exacto, capitur à Magistratu, fatetur se superstitionibus non semel iteratis, in diaboli laqueos incidisse; ad rogum itaque damnatus, seriò pœnitens, vitam finit. Quicunque igitur, superstitionibus hiscè, hactenus irretiti fuistis, resipiscite, peccata confitemini, super-

quibus iuuetur.

1. A Dæmone esse excogitata.

2. Dæmon prodest corpori vt noceat animæ.

2. Corinth. 11.

In vita S. Hilarionis.

Simile.

3. Dæmon apparet S. Hilarioni vt Apothecarius & Myropola.

4. Captos superstitionib⁹ minis cogit ad Magiam.

 stitio-

ſtitioſas artes deponite, diaboli iugum, ſincera confeſsione, frangite, priuſquam vos omninò, ad veneficorum barathrum, & abnegationem Dei, ac totius cœleſtis curiæ, inducat atque propellat: *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

II. Excuſatio: Multos ſanât.

Sed audiamus, quid vlterius prætendant, qui certis quibuſdam amuletis, quæ tamen ſuperſtitioſa nuncupant, non rarò, quam plurimos, reuera curant: *Non ergo poßibile videtur, vt id contra Dei voluntatem, & ordinem fiat:* At reſpondeo dæmones inprimis noſſe omnium herbarum vires, & ſibi deuinctos, facillimè in remedijs aliquorum morborum, inſtruere poſſe, vt homines eo procliuius attrahant, ad execrabiles illas ſuperſtitiones. Deinde diabolus, quandoque ex Dei permiſsione, hominem in corpore torquet, ob ſua peccata: Si ergo media adhibeantur, quæ ipſe per ſeruos magos ſuos & veneficas præſcribit, ceſſat à vexatione: vt morbus, veluti per miraculum euaneſcat, & virtus ſanatiua, ſuperſtitioſis illis medijs adſcribatur. Exemplo ſit vir quidam honoratus, in hac ciuitate, qui certis anni temporibus, ingenti laterum dolore agitabatur: Et vocata vetula incantatrice, certaque mercede perſoluta, ſuperſtitioſis eius remedijs, atque carminibus, ſine mora liberabatur. Retecta tandem à Confeſſario, diaboli fraude, ſacriſque remedijs, ac ſanctorum Reliquijs, à doloribus illis, perpetuo immunis vixit. Quid plura? Deus ſeueriſsimè prohibet, ne talia media, à diabolicis illis miniſtris, præſcripta, adhibeantur: Sicut ergo ſeruus, qui contra Domini mandatum, apud iuratum eius hoſtem, opem, conſilium, auxiliumque quærit, ſummam Domino iniuriam conſciſcit; ſic perfidus eſt Chriſtianus, qui à diabolo, & eius miniſtris, à diabolo inquam, cui cum pompis eius omnibus, in Baptiſmo renunciauit, efflagitat & expectat: *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

1. Diabolus nouit herbarum vires.

2. Quandoq; ceſſat ob illatione mali.

Exemplum Verum ac ſpirans.

3. Media ſuperſtitioſa prohibet Deus. Deuter. 13. Simile.

III. Excuſatio In carminibus Incantatorijs admiſcetur Crux.

Obtendunt vlterius: *In carminibus morborum adiuratorijs, alijſque eiuſmodi amuletis, imprimitur crux, nominatur* Nomen IESVS, MARIA, *multa verba ſacra & orationes, iubetur etiam ægrotus, quando-*

que te-

que ieiunare & orare; *Ergò non omninò, vt diabolica, sunt reprobanda*: Aſt ego reſpondeo: Nemo ſapiens hoc miretur: abuſus eſt dæmon ſcripturis, vt Chriſtum ad ſe adorandum induceret, quid ni & rebus & nominibus ac verbis ſacris, vt te in ſui cultum pelliceat? quantò igitur plura in hiſce ſuperſtitioſis incantationibus, verba ſacra, & res ſacræ adhibentur, tantò magis Deus exhonoratur, contemnitur, & blaſphematur Nomen eius ſacroſanctum, vt diabolo, per eius contemptum, ſeruiatur: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Nomen Ieſu & Mariæ, Orationes, &c.
1. Dæmon etiam abuſus eſt ſcripturis, tanquam Larua.
2. Res ſacras Incantationibus adhibere, ſumma blaſphemia.

Vltimo pallio, ſe tegunt noſtri ſuperſtitionum ſcholarchæ: Qui talia quondam exercuerunt, *probi & honeſti homines vt plurimum extiterunt; haud igitur immeritò eorundem veſtigijs inſiſtimus?* Reſpondeo ego: ſi talis vnquam fuit, aut ſuperbia, aut auaritia, aut carnis immunditia excæcatus, ad ſuperſtitioſas eiuſmodi artes inductus, atque à diabolo deceptus fuit: Nec omnis eſt bonus, qui pro bono habetur, idque videre præcipuè eſt in ſagis, quæ putabantur aliquando in externa conuerſatione pijſſimæ, interim peſſimæ interius extiterunt: Ac tametſi talis omnibus virtutibus præditus eſſet, & in ſuperſtitioſis hiſce rebus peccaſſet, pro bono habendus haud eſſet; *Qui enim peccat in vno, factus eſt omnium reus*, inquit Apoſtolus. *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

IV. Excuſatio: Homines boni talibus remediis ſunt vſi.
1. Non omnis bonus qui talis apparet.
2. Si dubites de ſuperſtitione recurrendum ad animarum paſtores.

Sed quid ſi dubitas, an res aliqua vel remedium ſit ſuperſtitioſum? Interroga Paſtorem & confeſſarium tuum, qui de rei veritate quid ſentiendum tibi facilè pandet. Vis pœnas eiuſmodi diabolicorum hominum? *Maleficos*, ait Deus, *non patieris viuere*. Et rurſum, *Morte moriantur: lapidibus obruet eos omnis populus: ſanguis eorum ſit ſuper illos*. Sed quid de illis, qui apud tales auxilium requirunt? *Anima quæ declinauerit ad magos & hariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei*. Quid Iura Eccleſiaſtica? *Sunt excommunicati, donec à ſuperſtitioſis hiſce medijs deſiſtant: ſunt infames, illi etiam qui conſilium & opem apud illos quærunt* Sed quid ſi clericus eiuſmodi artes exerceat? *Omni gradu ac dignitate ſua excidit & ſeueriſſimis pœnis ſubiacere iubetur*. Quid

V. Pœnæ, ſuperſtitiones exercentium.
1. E ſcripturis. Exod. 22.
2 E Iure Canonico.
Cap. pro dilatione de conſ, diſt. 8.
2. q. q. c Qui ſi quis,

§. E iure ciuili. Quid *Iura Ciuilia?* Capitis reos, & flammis exurendos, pronunciant: qui cum eis agunt, exilio, & bonorum confiscatione, mulctari iubentur. Sic Imperator Tiberius & Imperator Claudius, cum talibus conuersantes, ex vrbe Roma, in exilium egerunt, & solum vertere coëgerunt: Et S. Paulus Ephesi libros eiusmodi Magicos, in publico foro, comburi fecit. Vnico verbo, pro perfidis & damnatis habentur, etiam à sancto Augustino, donec serio ad Deum conuertantur: Et væ Magistratui, scienti tales superstitiosos, & non punienti; sanguis pereuntium animarum, de manu eorum requiretur. *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Dion. in Tiber. Tom 1. Annal Actor. 19.

Cap. Non obseruetis. q. 5.

VI. Superstitiones captura diaboli.

Annon videtis vos, per eiusmodi superstitiones, quas paruas, & nullius momenti esse ducitis, paulatim à diabolo capi, & illaqueari, vt vos tandem in extrema veneficia, per Magos præcipitet? Ah nolite talium incantatorum, mellitis verbis seduci: *Latet anguis in herba:* Saga quædam volens honestam Matronam, vicinam suam, etiam seducere, vaccam eius afflixit, vt malè haberet, & summo mane ei occurrens, rogabat, cur sic tristis esset? ista causam aperuit; & illa, herbas quasdam, in stramine, ad crucis formam, sub vaccæ pedibus dispositas, reponere iussit, & sic sanata fuit. Post octiduum, aliam iterum vaccam afflixit, & similiter occurrit, quasi compatiens, ac timens, pecorariam in eius stabulo luem, superstitiosas quasdam aquæ, cum herbis effusiones, super vaccam, præscribit; atque ita sanata fuit. Paulò post, tertiò, vaccam vnam, eidem omninò interficit, & rursum manè occurrens, suasit, vt diebus Veneris, non permitteret vaccas strigillari; suasit item, verba quædam proferre, ad pabuli propositionem, & multas alias ineptias, nimis credulam edocuit vicinam. Quid plura? eò deueniunt, vt saga promittat, se eam plurimas insignes artes docturam: Et honestam Matronam inducit, vt in omnibus ei fidem habeat. Venitur tandem ad delitias & cõdicitur, vt vna cum superstitionis Magistra, ad choreas nocturnas pergat. Facit & hoc; sed cum diabolus ab ea homagium exigeret, & abnega-

1. Historia huius loci.

Modus Sagarum, vt innocuas feminas seducant.

Recusat abnegationem Dei & homagium diaboli.

negationem extorquere, modis omnibus conaretur, Matrona, *Nomen & opem* I E S V inclimat; Et ecce omnis diabolicus illicò chorus, in momento disparuit. Venit igitur ad confessarium, peccatum aperit, & non exiguo cum labore, tandem à Diabolica infestatione, liberatur. Videte ad quid eiusmodi superstitiunes disponant? Scitote igitur, etiamsi oretis, ieiunetis, Eleemosynas detis, confiteamini, communicetis, quandiu tamen eiusmodi superstitiosa instrumenta, in domibus retinetis, vos in potestate diaboli esse; *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

Vt ergò diabolicum istud superstitionis iugum, cacodæmonis astu, à ceruicibus vestris, tanta laqueorũ multitudine, vobis iniectum, & annexum, eò vigilantiori conatu, & industria, excutiatis, duas isthic historias, quarum ego auritus, & oculatus, immò & ad præcauendam omnimodam diaboli capturam, consultor, & opitulator adhibebar, hic appono: Earum *prima est:* Vir quidam, alioquin rerum politicarum apprimè gnarus & prudens, in hoc autem facto culpabiliter imprudens, ab impio Magicarum artium disseminatore, condocefactus erat, vt hominis demortui Cranium cæteris grandius, è loco, vbi defunctorũ ossa in cœmiterio recondi solent, clanculum subduceret, illudque certis characteribus, tàm in superficie concaua, quam conuexa, variè insignitum, ad occultas quasdam, & amatorias insuper artes, vsurparet. Paret impio & sacrilego Magistro; tollit caput; domum defert; excoquit certis quibusdam, & superstitiosis cæremonijs; atramento partim, & viridi, miniatoque colore partim, diabolica signa, & nomina, depingit, & in vtramuis aurem, quasi re benè gesta, dormiturus, cubitum concedit. Res mira, vix lumina clauserat, tum ecce ab horribili spectro, excitatur, & minis additis iubetur, vt surgat, & caput, vnde acceperat, ibi reponat; at ille ingenti pauore correptus, è lecto proreptare non audebat, algido sudore, toto corpore perfusus, infestatione tota nocte continuante, & vsque ad solis ortum perdurante. Nec tamen illucescente die, caput reportat: Nam vetitarum

2. Cranium hominis demortui ex ossorio tollens ad execrãdas superstitiones horrendè castigatur.

artium Doctor, vana terriculamenta, per somnium, sic eum exagitasse, dictitabat. Sequenti nocte, a spectro redeunte, durius adhuc increpatur, & verberum etiam, sæuissimæque mulctationis, minæ adduntur, ni morem gerat, imperanti. Persuadet nihilominus sacrilegæ Dæmonolatriæ propagator, nihil subesse periculi; pergat, & vanas illusiones ad constantiam eius explorandam, intentatas, viriliter contemnat. Morem igitur, & hac vice gerit, sed maximo suo cum detrimento: Nam tertia subsequenti nocte, vix quieti se se dederat; cum ecce, à redeunte spectro, corripitur, è lecto extrahitur, pauimento alliditur, horrendè pulsatur; immò & cogitur vt acceptum Cranium, intempesta iam nocte, in locum, vnde surripuerat sine omni cunctatione reportet, & ni vitam infami mortis supplicio, exponere cupiat, ne simile quid posthac, vlterius attentet, monetur. Bonus iste, malusue genius extiterit, nolo isthic curiosius peruestigare. De malo illud ratum certumque statuo, nunquam eum, homines, à diabolicis superstitionibus, retrahere & auocare, sed potius ad eas, viam sternere ac procurare.

3. Alia mihi certò explorata historia. Sigillum Martis.

Altera sic habet historia: Nefarij quidam, & malè feriati Magiæ addicti milites, superstitiosum quoddam Martis sigillum, vulgò appellatum, varijs incognitis characteribus, & nominibus, in quatuor crucis, in medio exsculptæ, angulis, adimpletum, excogitauerant, quo chartulas orbiculares imprimebant, quarum vnam, si quis deuorasset, viginti quatuor horis, à gladiorum, omniumque telorum ac sclopettorum ictibus, immunis esset, addito tamen expresso cum dæmone, pacto, vt si intra condictas horas, alio mortis genere, è medio tolleretur, cum anima & corpore, diabolicæ potestati, perpetuò addictus, maneret. Nec ars ista, primario eius inuentore, cooperante, caruit effectu; adeo quidem, vt & imbelles pueri, strictos enses incurrerent, & vario telorum genere inter se digladiarentur, nec tamen læderentur. Quidam igitur habilis artis, & ex parte aliqua sculpturæ gnarus, cum die Veneris sancto, manè ante solis ortum, sigillum eiusmodi efformare,

molitus

molitus esset, & characteres non paucos cum diabolicis nominibus expreſsiſſet, ſubitaneo pauore correptus, inaudijt magno fragore, locum vbi ſedebat, concuti, & quaſi terræmotu agitari; dum obſtupeſcit, rigentibus capillis, voce faucibus adhæreſcente, Vir quidam, ſenili, vt ſibi videbatur, ſpecie, ſtans ante faciem eius, minaci vultu & manibus, eum ab incepto opere abſterrebat. Et ille minimè reluctandum ratus, intimè dolens, ab opere deſtitit, atque ad veneranda Dominicæ Paſsionis myſteria, pro concione explicata, ad Eccleſiam, confugit, firmiter ſtatuens, nefarium illud opus, poſtridie confiteri: Subſequenti nocte, eadem ſenilis ſpecies, per quietem, menti eius offertur, vt ſurſum oculos eleuet, iubens: quod cum feciſſet, vidit immaniſsimum Draconem, per aëra volitare, peſtiferamque ſaniem, paſsim ſpargere, qua, quicunque tangebantur, illicò mortui concidebant. At ſenex ille, ne virulento Draconis tabo contaminaretur, eum retrahebat, & pallio ſuo protegebat. Diſparuit viſio, & ille, tutelaris Angeli præſidio, ex ipſiſmet Orci, & Infernalis Draconis faucibus ſe ſe ereptum agnouit, mihique Diabolicũ ſigillum detulit, authorque fuit, vt concionibus aliquot, quaſcunque Dæmoniacas ſuperſtitiones, deteſtarer & omnibus ac ſingulis, author eſſem, ne tàm temerè per huiuſmodi vanitates, Sathanicæ ſeruituti, ſe ſe addicerent, ac manciparent.

S. Angelus Cuſtos Impedit Superſtitioſi Sigilli fabricaturã.

Iterata S. Angeli Cuſtodis apparitio & admiranda Viſio.

Obſecro vos igitur, per viſcera IESV CHRISTI, quicunque vnius, alteriuſue ſpeciei ſuperſtitionibus, hucuſque alligati, Diabolum, occulto ſaltem pacto, pro Deo veſtro coluiſtis, ac ſuſpexiſtis, nuncium ei tempeſtiuè remittite, ſeruitutem eius abijcite, vincula eius frangite, ſuperſtitionum inſtrumenta deſtruite, aut mihi & confeſſarijs veſtris, confringenda tradite, hoſtis iuratiſsimi inſidias, cauete, fraudes eius declinate, & dum tempus & occaſio ſuppetunt, eiuſmodi peccata, ſincera confeſsione protinus eluite & expiate, ſalutemq; veſtram, in tuto collocate, & in Creatoris ac Redemptoris ſeruitio, vſque ad finem vitæ conſtanter perſeuerate. Amen.

CONCIO IX.

FVGA OCTO PECCATORVM, QVIBVS DIABOLO IANVA APERITVR, AD MAGIAM ET VENEFICIVM INTRODVCENDA, VEL SALtem ad nocumenta varia, hominibus, & eorum possessionibus, inferenda.

Remedium I. contra Diaboli artes & Machinamenta.

Induite vos armaturam DEI, vt poßitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

PVgnaturi cum acerrimo quopiam hoste, in id potissimum solertissimè incumbunt, vt ea remoueantur obstacula, & impedimenta, quæ victoriæ consecutionem impediunt, hostibus autem plurimum pariunt emolumenti, vt aduersæ parti, trophæum eripiant; sic Dauid cum superbo Goliath duellum initurus, Regia, Saulis, arma, Galeam, loricam, & gladium, quibus eum Rex armauerat, abiecit, ne sibi obstarent, quò minus hosti superior euaderet: *non enim habebat consuetudinem, vt posset armatus incedere*, inquit Scriptura: Sic nos contra malignos hostes, & eorum exercitum deinceps dimicaturi, ea primum obstacula & remoras amouebimus, quæ homines vt plurimum eneruant, ne hosti valeant resistere, quin potius, in caussa sunt, vt victi prostratique, Tyrannidi eius subiugentur. Et hæc sunt octo peccatorum genera, quæ vel homines, ad Magiam & veneficia condiscenda, quàm plurimum, impellunt, vel saltem vt eis, siue in corporis siue in fortunæ bonis, nocere valeant, viam sternunt. Eorum itaque fugam, cooperante diuina gratia, hac concione, persuadere moliemur: *Induite vos*, ô Auditores, *armaturam DEI, vt poßitis stare, aduersus insidias Diaboli.*

1. Reg. 17.

Remedium I. contra Diaboli Machinamenta

Diabolus Piscator.

Imaginemini vobis, Diabolum esse *Piscatorem*, qui, vt hamo dæmoniacæ suæ Idololatriæ, homines, alliciat, & seducat, varias tentationum escas, præfigat. Apparuit quondam S. Hilarioni, in deserto, instar Pharmocopæi, pixidibus, & capsu-

capſulis, variorum medicamentorum, circumdatus quas aiebat, *varias eſſe tentationes, quarum ſi vna cuipiam non arrideret, alias atque alias applicare donec tandem in vna capiat:* Quod cùm faciat pro more ſuo, in omni peccatorum genere, locum tamen præcipuè habet, in ſeducendis hominibus ad Magiam, vbi mille fraudes excogitat, vt incautos in eſcam pelliciat, & in perditionem præcipites agat. *Primum* ergo præſeruatiuum, contra ſeductionem diabolicam, ad Magiam, eſt fuga octo grauiſſimorum peccatorum, quibus, tanquam piſces, eſca, hamo præfixa, homines facillimè, ad malefica diaboli commercia inducuntur.

Quænam *prima* eſt *eſca*, viam ſternens, vt quis à diabolo illaqueatus, in fraudem pelliciatur? *Otium:* Nam vt vulgo dici ſolet, eſt *puluinar diaboli:* Nec fruſtra ſapiens: *Multam malitiam docuit otioſitas;* quin etiam malitiam omnis malitiæ maximam, & perniciosiſsimam protulit otium: Exemplo ſint filij Iſrahel, qui otio marceſcentes, cum nihil præ manibus haberēt, quod agerent, ex otio in Idololatriam, omnium ſuperſtitionum Magicarum matrem, ſunt prolapſi: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Verba ſunt S. Baſilij: *Otium maleficij eſſe principium, nemo ignorat.* Et Caſsianus affirmat: *Hac apud Ægyptum ſancita eſt ſententia, ab antiquis Patribus, laborantem à dæmone vno tentari, otioſum verò, innumeris ſpiritibus malignis pulſari.* Conſulit proinde S. Hieronymus: *Aliquid operis facito, vt te diabolus ſemper inueniat occupatum. Sicut enim aqua ſtans, quæ nunquam mouetur, vermibus ſcatere incipit, & facilè corrumpitur: Sic etiam anima otioſa, gignit malas & peruerſas cogitationes, quas arripiens diabolus, illicò hominem, ad tentandum ac ſeducendum, aggreditur.* Rem ita ſe habere, tùm experientia conſtat, tùm etiam exemplo cuiuſdam perſonæ, præteritis annis ſupplicio affectæ, quæ expreſsiſsimè faſſa eſt, ſe otio & inertiæ deditam, primum in animo malas cogitationes, de veneficijs & Magia concepiſſe, deindeque Sathanam illicò corporali ſpecie illi apparuiſſe, & in ſagarum numerum ipſam adoptaſſe: Fugite *otium Puluinar diaboli*, qui ab hac ſathanæ tentatione, vultis eſſe immunes: *Induite vos ar-*

I. Otium prima Diaboli eſca.

Eccl. 33.

Exodi 32.

Hom. 7. in Hexam.

Lib. 10. cap. 23.

Epiſt. 4. ad Ruſticum Monachū.

Hiſtoria Veritas Comprobatur.

maturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.

Quænam *secunda esca*, viam sternens, vt quis à diabolo, & eius asseclis, per Magiam ad perditionis hamum, seducatur? Est *desperabunda* quædam *Tristitia & Melancholia*, ex qua nimius quidam animi mæror, ob temporalia damna conceptus, oritur, de quo Salomon: *In mærore animi, deijcitur spiritus*, qui etiam, *spiritus tristis exiccat ossa*, *internas* animi facultates debilitat & exhaurit: & quod peius: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri, nocet cordi*; quæ verba excipiens S. Basilius: *Quemadmodum*, inquit, *vermes maximè in lignis tenerioribus nascuntur, & ea protinus destruunt: Sic mæror nimius, vt plurimum in homines molliores cadit, cui si locus detur, spiritui desperationis, cordis ianua aperitur*, Multa sunt, quæ de nocumentis huius Tristitiæ scribit S. Ioannes Chrysostomus: *Tristitia desperationis Mater, animarum crudele tormentum est, dolor inexplicabilis, & iudicium omni iudicio & vindicta deterius: Nam & vermi similis est, venenato, non solum carnem, sed & animam ipsam perimens; & tinea non solum ad ossa, sed ad corda pertingens; & perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, sed vires animæ consumens, Tempestas denique & turbo rationem euertens*. Nec immeritò *Nassam diaboli*, tristitiam talem vocat Cassianus: Nam sicut Nassa volucres; sic desperabunda illa tristitia, homines illaqueantur: Sic cepit Theophilum, Adanæ Archidiaconum, nimium dolentem, se ab officio œconomiæ Ecclesiasticæ, per Episcopum deiectum; hinc eò desperationis deuenit, vt instigante Mago, Iudæo, se proprio sanguinis chirographo, dæmoni obligarit: Sic ego familiariter noueram quendam, ex ijs, qui ante paucos annos Cronachij percelebri Bambergensis ditionis oppido, supplicio sunt affecti, cuius Nomen & habitationis locum, posterorum famæ cōsulens, lubens volensque subticeo, qui tota vita honestißimè vixerat, & lignariam mercaturam candidißimè exercuerat; hic tandem passus lignorū graue detrimentum, quæ inundatio superueniens, dissolutis ratibus disperserat & partim omninò perdiderat, plusquam satis doluit, vt fermè desperaret. Quibus cogitationibus occupatus, lignatum in syluam se confert, cui se diabolus visibili forma,

II Tristitia nimia & desperatio.
Prou. 15.
Prou. 17.
Prou 25.
Oratione de mærore.
2. Sicut Vermis lignum, Ita tristitia perdit animam.
Epist. 7. ad Olympiam.
Similia.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
Lib. 9. Instit. cap. 2.
3. Exemplum Theophili Eutichion Patriarcha in eius vita.
Sim. Metaphr.
Petr. Dam. Serm. 1. de Natiu. Deip. Virg.
4. Aliud Exemplum.

forma, præsentem exhibet, pecuniam & meliorem fortunam pollicetur, & hominem eò perpellit, vt se illi homagio deuinciat. Nolite nimium contristari, si temporalium rerum quandoque iacturam subeatis, ne simili, tentationis diabolicæ periculo, vos exponatis. *Induite vos potius armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

Quænam *tertia, Esca* hominum mentes disponens, ad Magiæ crimen incurrendum? *Nimia curiositas,* sciendi ea, quæ Dæmon per Magos efficere solet. Vt quomodo per aëra ferantur, subuehente hirco; qualia conuiuia agant; quomodo cellas vinarias, ad commessendum, ingrediantur; quomodo tempestates ciêre possint; quomodo frugibus, iumentis, hominibus, valeant nocere. Curiosa eiusmodi desideria sunt, primum initium, omnis Magiæ, vnde S. Apostolus Paulus, cum multos, qui Magiæ & veneficijs fuerant addicti, conuertisset ad Christum, iussit eos omnes eiusmodi vetitarum artium libros, afferre, ad comburendum, referente S. Luca: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Huic desiderio eiusmodi curiosa sciendi, S. Augustinus expressissimè tribuit Magicarum artium, condiscendarum, occasionem: Et scio ego, & noui puerum quendam, qui cum legisset historiam *Doctoris Fausti*, famosi illius Magi, quem diabolus per tot terrarum spacia, hinc inde transportauit, desiderio vehementi accensus est, simili modo, varias terras, peragrandi: Venit ergo Diabolus visibili specie, obtulit ei, artis huius peritiam, dummodo Chirographo sanguinis sui, se illi addiceret: deduxit ergo eum Noribergam, breui temporis interuallo & Bambergam reduxit: Chirographum illud, sanguine conscriptum, puero tandem resipiscente, magna vi, multis ieiunijs, & Exorcismis atque orationibus, alijsque, ab Ecclesia præscriptis medijs, est extortum. Quinetiam experientia constat, innumeras Iuuenculas, hac sola curiositate, à vetulis Sagis seduci: Fuge curiositatem istam, si vis ab hoc abominabili malo præseruari. Audio verò, multos esse Patresfamilias, qui non solum D. Fausti, sed & alios Necromanticos

II. Curiositas nimia cognoscendi præstigias Diaboli.

Actor. 19.

Lib. 10. de Ciuit. c. 9.

2. Ex lectione historiæ Doctoris Fausti puer à Diabolo seducitur.

3. Multæ Iuuenculæ hac curiositate etiamnum seducuntur.

cos libros, in domibus asseruant, in quibus Magicæ artes continentur: Quid facitis, ô insani & vecordes homines, annon scitis, vos esse in periculo æternæ damnationis, quam diu libros illos retinetis, & non, vt ab Apostolo Paulo conuersi, ad Confessarios vestros affertis? Quis Latronem in domo sua diu morari sinat: Ecce hic *Animarum Latro*, in domibus vestris latitat, & vos quiescitis? *Induite armaturam DEI, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

Esca. IV. Superbia. Iob. 38.

Quænam *quarta esca*, hominem ad Magiam attrahens atque disponens? *Superbia*. quid ita? Diabolus enim, vt S. Iob ait, *est Rex super omnes filios Superbiæ*; quod si, vt sapiens ait, *initium omnis peccati superbia*, quantò magis initium, omnis Idolomaniæ, per quam *superbiæ Pater Diabolus*, ab hominibus, vt Deus, & loco Dei, quærit adorari! *Superbia Peccato, nihil Diabolo coniunctius, nihil vicinius*, inquit S. Augustinus; addit S. Ioannes Chrysostomus: *Vbi superbia, ibi Diabolica cloaca, & nidus omnis Diabolicæ spurcitiei*: Reuocate vobis in mentem, Exemplum Regis Nabuchodonosor potentissimi: Cur Diabolus, in eum potestatem accepit, vt eum inuaderet, & septem annis in bestiam transmutaret, vt tanquam bestia ab hominibus eijceretur? *Ob superbiam*, qua se Deum quendam terrestrem esse iactitabat: Sic qui se supra alios extollunt, alios superciliosè contemnunt, facilè incidunt, in huiusmodi Diaboli laqueum, vt à Sagis seducantur. Vis immunis esse? *Quantò magnus es, humilia te, in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo.* Raptus aliquando S. Antonius in Spiritu, vidit totum mundum, plenum laqueis Diaboli, quibus homines capere, & irretire molitur, & interrogauit: *Domine, quis effugiet omnes?* & responsum tulit, *humilis corde.* quasi diceret: sola humilitas est, per quam omnia Diaboli molimina, dissipantur. Vnde Diabolus, vt hanc superbiam, nidum suum fomentet, etiam inter veneficas & sagas, habet suas Reginas, & Principissas, eas inquam, extollit, quæ Deum, & præcipuè SS. Eucharistiam, omnium dirissimis cōtumelijs, afficiunt, diuinaque omnia prophanare, & hominibus pariter & bestijs nocere, moliuntur Quid plura? quotidiana

Eccl. 10.

Lib. 3. de Trinit. cap. 23.

Hom 39. ad Pop. Antioch.

2. Exemplum Nabuchodonosor. Dan. 2.

Eccl. 3.

3. Visio S. Antonij.

In vitis Patrum.

tidiana earum sunt exempla, quæ superbia sua, ad hoc malum sunt seductæ. Exemplum Puellæ, decem & octo annorum, quæ cognatæ suæ, seducere eam volenti, diu restitit, tandem per superbiam suam cecidit, supplicioq; affecta, piè obijt. *Induite vos* igitur, ô auditores mei dilecti, *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

4. Puella ob superbiam deuenit in Magiam.

Quænam *quinta esca* in diaboli hamo, homines ad Magiam trahens, vt tantò facilius seducantur? *Auaritia.* Nam vt Apostolus ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*: Vnde legimus in Actis Apostolicis, in summo precio habitam, à Magis, puellam, Pythonem habentem, quæ quæstum magnum præstabat, Dominis suis diuinando: sic multi non curant diaboli seruitutem, dūmodò pecuniam ab eo habere possint. Quam autem hæc pecuniarum appetentia, sit res periculosa, vt ego non dicam, S. Ambrosius satis clarè explicat: *Grande malum est auaritia; immò malorum omnium est origo, sicut ait Apostolus, Radix autem omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide*; quod videmus in sagis & veneficis: Vides ergo, quia qui pecuniam appetit, fidem perdit, qui aurum illicitè exigit, gratiam prodigit: Auaritia enim cæca est, errorē Religionis inducit, quod apparet in veneficis: quæ porrò maior stultitia quàm fidere diabolo, diuitias pollicenti, non autem subministranti? Sicut enim diabolus Christum tentans, ostendebat ei *omnia Regna mundi*, promittens: *hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraueris me*; ita promittit Magis, quos per se, vel alios seducit, se diuitias abunde suppeditaturum, sed fallit & mentitur, nequam cum re ipsa comperiant, se nihil amplius, quàm antea habere. Quin & aliquando pecuniam illis dans diabolus, vel iterum suffuratur, vel pro pecunia apparente, dat lutum, vel simile quid, vt ipsi malefici fatentur. Est sanè hæc *auaritia*, & nimius amor habendi, *Rete diaboli*, quo innumerabiles homines capit, quod reipsa comperimus in sagis, quæ præteritis annis, hîc sunt combustæ; quarum complures nominare possem, nisi

Esca.
V. Auaritia.
1. Turpitudo.
1. Tim. 6.
Actor. 16.
Serm. 59.
1. Tim. 6.
2. Origo omnium malorum.
Matth. 4.
3. Rete diaboli.

parcendum, foret earum cognatis, qui adhuc super sunt. Vis ab hac diaboli peste imunis esse? Contentus esto ijs, quæ Deus tibi est elargitus: *Habentes victum & amictum, his contenti simus*; Vultis porrò omninò desperare? Quære *primum regnum Dei, & iustitiam eius, & cætera omnia adijcientur tibi*: hoc est, induere *armaturam Dei*, vt possis *stare aduersus insidias diaboli*.

Matth. 7.

VI. Esca Luxuria. 1. Eius detrimenta. Eccles. 19. 3. Reg. 11. Tob. 6.

Quæ nam *Sexta esca*, diaboli hamo præfixa, qua mortales eheu *nimium* fragiles, ad condiscendam Magicam dæmonolatriam, facillimè inescantur? *Luxuria*; ait enim sapiens Ecclesiasticus: *Vinum & mulieres, apostatare faciunt sapientes*: Ecce tibi ob luxuriam, *Salomon* Idololatra est effectus. Ob luxuriam, Asmodæus, *septem Saræ sponsis*, prima nuptiarum nocte, colla fregit. Ob luxuriam septem dæmonia obsederunt publicam *Peccatricem Magdalenam*, quæ Christus ab ea eiecit. Ob luxuriam Paulus *incestuosum Corinthium*, sathanæ tradidit; Audi S Isidorum: *Principaliter his duobus vitijs, diabolus humano generi, dominatur, id est, superbia mentis, luxuria carnis*: *Vnde & Dominus, in Iob, loquitur de diabolo, dicens: Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus, Per calamum enim inanis superbia: per loca humentia, carnis demonstratur luxuria*: Sic etiam Christus affirmat, spiritum immundum in locis inaquosis, & siccis, id est, in puris & castis hominibus, requiem non inuenire: Vnde apud nos adhuc non est compertum, Virginem aliquam verè integram, castam & humilem sagam fuisse; at verò carnis præcipuè libido, si quid aliud, aditum patefacit diabolo, vt se insinuet, & dæmonolatriam suam, hominibus ingerat. Quod si, vt S. Prosper Aquitanicus memorat, Monialis quædam, tantum curiosius, in thermis lauans, nudam Veneris intuens imaginem, concepto libidinis pruritu, illicò à dæmone correpta miserrimeque vexata fuit; quantò facilius illi, à diabolo ad Magiam, & dæmonolatriam, seducentur, qui se totos libidinibus tradunt? Memineritis puellæ illius Forchemicæ, quæ cæca nata erat, in hunc mundum, & marem non viderat, in vita sua; hæc igitur, cum nocte quadam, turpes libidinis imaginationes, diabolo suggerente, in animo sibimet efformasset, exinde concupiscẽtia, in-

Lib. 2. de summo bono. c. 39 Iob. 40.

Luc. 11.

2. Virgines verè castæ & humiles, nõ sunt compertæ, in Sagarum numero.

3. Libidinosè intuens Veneris imaginem fæmina corripitur à diabolo. In Prædictionibus dimidij temporis.

4. Cæca à Natiuitate, concepta libidinis flãma ab

tia inflammata, phantasmatibus fabricatis, assensum præbuisset, diabolus in forma, & specie iuuenis, quem suæ impresserat menti, ei se adiunxit, & ad carnale peccatum, ipsam seduxit, ac tandem eò pertraxit, vt se totam ei nuncuparet: At illa, cum à diabolo vehementissimè vexaretur; consilij caussa, rem totam, ipsamet cognatis detexit; Re tandem à Magistratu cóperta, comprehensa, & gladio atque igne plexa, extremum supplicium, libenter patienterque pertulit, vt in altera vita, veniam & gratiam, apud Deum, inueniret, Rogo vos & moneo, per amorem salutis vestræ, vitate Fornicationem, Adulteria, & Excessus in Matrimonio, omnem denique vetitam carnis illecebram; hic enim est fomes primarius, omnis Magiæ, & Dæmoniacæ Idololatriæ: *Induite* igitur *vos armaturam* DEI, *vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

incubo dæmone corrumpitur.

Quæ nam *Septima esca*, qua plurimi homines, ad Magiam inescantur? Est *praua consuetudo, dæmonem aduocandi,* vel se illi leuissimè, ad quodlibet verbum, deuouendi, talis enim ille est, cui ait Regius Psaltes: *Dilexit maledictionem, & veniet ei;* quasi diceret: aduocauit diabolum, ad hoc vel illud, præstandum; nec facilè emanebit: O summam stultitiam, ita temere diabolum, vel sibi, vel alijs imprecandi, annon auditis, ex ore sapiẽtis; *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam;* quæ hæc impia consuetudo, deuouendi se hosti illi, de quo S. Iob: *Non est potestas super terram, quæ comparatur illi, qui factus est, vt neminem timeret;* & Ecclesiastes; *qui spiritus est ad vindictam creatus, & in tempore consummationis, effundet furorem & vindictam?* O Christianæ animæ, nolite cum hostibus illis, tantam familiaritatem inire, qui, vt Cassianus describit: *Sunt atroces Angeli, quorum brachia sunt, vt capita Draconum, quorum oculi, igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes, vt Elephantis prominent, & stimulant ad tormentum, vt caudæ scorpionum, quorum aspectus, tremorem inducit, atque dolorem, & mortem ipsam: quorum crudelitas ad perniciem humanam, semper, omni momento est intenta.* O stupendam insaniam hominum; Quando Mus aut Sorex se ipsos tradidere catto? quando ouis se sponte obtulit Lupo? Quando ceruus aut aper, se vltrò ingeßit

VII. Consuetudo praua Dæmonem aduocandi.
1. Diaboli promptitudo vt noceat hominibus.
Psalm. 108.
Eccl. 21.
Iob 41.
Eccl. 39.
2 Hypotiposis Dæmoniacæ Crudelitatis.
In confess. Theol. 3.
3. Similia à mure, Oue Ceruo apro &c.

gessit canibus? Et tu tam facile te diabolo consignas? Vltrò eius compedes induis, vt te, velut auiculam, filo alligatam, quocunque velit, attrahat, & in grauissimum illud Magiæ, malum præcipitem agat? O ab omni sæculo, inauditam temeritatem: Annon meministis Exempli, à S. Gregorio recensiti? Vbi Stephanus Presbyter, ex itinere rediens, & seruum vocãs, vt ocreas ei extraheret; cum is non statim compareret, illico ira excandescens; *Veni,* inquit, *Diabole, & extrahe mihi ocreas.* Nec mora: Ecce diabolus inuisibiliter adest, extrahit in momento. Sentit ille hostis præsentiam, cruce frontem signat, *apage,* inquiens, *Diabole, nil tibi mecum:* abijt quidem diabolus, sed ocreas in minutissimas partes dilaniauit, quæ quasi igne infernali ambustæ, comparuerunt. Sic Surius refert, quendam in S. Engelbertum Martyrem maledicum sibi etiam diabolum imprecatum, qui illicò à diabolo correptus, postero die vitam miserrimè finiuit. Sic muliercula quædam, cum se dæmoni addixisset, à dæmone in aëre sublata, nusquam amplius comparuit. Memini ego in hac quoque ciuitate, fuisse mulierem, quæ se ex nimia temeritate, si hoc vel illud faceret, diabolo manciparet: Diabolus igitur, accepta, per hanc execrationẽ, potestate, diu noctuque visibili forma, eam vexauit, atque vt consentiret ei, in carnalem commixtionem, & talia vel talia, quæ nominare non audeo, patraret; nec potuit hæc infestatio, Maritum etiam latere, qui consilio à spirituali Medico accepto, non nisi sum̃a difficultate, voto tandem Beatissimæ Virgini VVeyerensi nuncupato, & persoluto, vxorem potuit liberare. Rogo itaque vos & obtestor charissimi mei, *nolite* imprecationibus istis, *locum dare diabolo,* vt inde occasionem sumat, vos in extremam, omnis malitiæ foueam, id est Magiam. præcipitandi. Ego planè mihi persuadeo, ex hac sola imprecandi consuetudine, sagas in hac ciuitate, adeo multiplicari: *Induite* igitur *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

4. Historia de aduocante Dæmonem. Lib. 3 Dialog. cap. 10.

5 Aliæ cõplures historiæ In vita S. Engelberti Archiep. Colon. & Mart. in Nouemb. Tom. 6. Cæsar. lib. 11. Mirac. sui temp Exẽpl. Ciuitatis Bãbergensis.

Ephes. 4.

VIII. Superstitio.

1. Fuga superstitionum.

Quænam *octaua esca,* ad Magiam maximè inducens? *Vsus superstitionum, & rerum superstitiosarum:* *Non declinetis ad Magos, neque ab*

que ab ariolis aliquid sciscitemini, ne polluamini per eos, inquit Dominus Deus: Et Apostolus monet: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum:* Socij autem fiunt dæmoniorum, quicunque superstitiosis Chartulis, annulis patibularijs, carminibus contra morbos, characteribus varijs, signis & amuletis, peregrina dæmonum nomina, continentibus, vtuntur. *In talibus enim superstitiosis & à diabolo introductis mediis,* inquit S. Ioannes Chrysostomus, *salutem quærere, non est saluari, sed perire. Maxima enim est salus, per Deum & non per diabolum esse seruatum.* Sed proh dolor, tanta est in hac ciuitate superstitionum multitudo, in puerorum morbis, in ægritudinibus, in malis alijs dispellendis, vt si integrum velim librum contexere, nec minimam tamen partem, valeam recēsere: *Horum omnium ratio, est illa, quæ fallit,* aio cum S. Martyre Cypriano, *immò & turpiter decipit, & præstigiis cæcantibus, veritatem, stultum & prodigum vulgus, inducit. Spiritus nempe insinceri & vagi, qui postea quam terrenis vitiis immersi sunt, & à vigore cœlesti, terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati, errorem prauitatis infundere.* Et quod S. Hieronymus conqueritur: *Innumeræ sunt superstitiones & præstigiæ innumerabiles diaboli laquei, quibus simpliciorum animi, à diabolo capiuntur.* Sentio ego & sæpius dico, superstitiones eiusmodi, esse diaboli Rudimenta, & veluti Grāmaticam, ac primam dispositionem ad Magiam: Nec immeritò: omnis enim superstitio, si non expressum habeat cum dæmone pactum, vt in eius nomine fiat, implicitum saltem, cum hoste, fædus iniuit. Eius proinde director non est Deus, qui talia vetat, sed diabolus: Et sicut discipulus est sub disciplina & potestate Præceptoris, ita tales superstitiosi, sub potestate & disciplina diaboli, viuunt: Exemplo sint duo coniuges hic Bambergæ: qui cum à saga quadam vetula, ad pellendum quendam morbum, superstitiosum didicissent, remediū, eò vsi, illicò interdiu noctuque senserunt dæmones, vtrinque ad nefanda, quæ non dico, sollicitantes. Expetito tandem cōsilio, à medico spirituali, vix diuturno, beneque longo labore, à dæmonis infestatione, potuerunt liberari.

Leuit. 19.
1. Cor. 10.
Hom. 21. ad pop. Antioch.
Lib. de Idolorū Vanitate.
Epist. ad Fabiolam de 42. mansionibus. Mans. 37.
2. Superstitiones Diaboli Rudimenta.
3. Formidabile exemplū.

Cauete igitur & hanc Diaboli decipulam, si non vultis à Diabolo

4. Exemplum S. Bernardi.

Guilielm. Abbas in vita Surius 20. Augusti.

Diabolo, maiori malo illaqueari. Vtinam vobis idem sit in hac parte animus, qui S. Bernardo adhuc puero, graui dolore capitis vexato; ad quem, cum forte cognatorum instinctu, incantatrix femina accesisset, eam clamoribus à se fugauit, & à morbo sine mora, immunis euasit. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

Velis remisq; , Diaboli diuerticula, *otium fugite*, Nimiam, cor excedentem *tristitiam* declinate; Diabolicarum *præstigiarum* nimium subtilem *indagationem*, omittite; *Superbiam*, *Auaritiam*, *Luxuriam*, cane peius & angue, odio habete; infestate, propulsate, nunquam vos *diris* deuouete, ac Diabolo, temerè adeò consignate, omnem, quarumcunq; *superstitionum vsum* exterminate, & salus vestra, contra, Diabolicarum tentationum procellas, ac tempestates nauigabit in portu. Amen.

CONCIO X.

DE DIVINA PERMISSIONE, VT HOMINES AVT A DAEMONIBVS ARRIPIANTVR, ET CASTIGENTVR, AVT MALEficiorum illatione puniantur?

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare, aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.



QVi scit imminere sibi iuratum hostem omnes obseruantem occasiones, quibus nocere, aut quæ bonum eius concernunt, infestare ac disturbare, posit, omnia hinc inde momenta, & rerum euenta disquirit, quomodo aduersario valeat obsistere, & eius molimina excutere ac dissipare. Quam acerbo; totum genus humanum odio prosequatur diabolus, vt ego non dicam, S. Petrus aperte satis insinuat, cum ait: *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Nec frustra nos admonet S. Apostolus Paulus, tanti hostis potentiam, & nocendi vim explicans: *Induite vos*

1. Petri 5.

Induite vos

duite vos armaturam DEI, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio, aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Propterea *accipite armaturam* DEI, *vt possitis consistere in die malo,* quando vobis hic hostis, detrimentum inferre conatur, *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis, omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Non solum sagittas tentationum, eius repellendo, si vos, aut per se, aut per suos, præambulones, Magos & veneficos inducere, & ad dæmonolatriam suam pellicere, verum etiam, quando vobis aut per seipsum, aut veneficorum opera, per incantationes, & diabolicas ligaturas, & maleficialia instrumenta, læsionem aliquam, vel nocumentum machinatur. Quæ omnia vt à nobis tanto felicius executioni mandentur, Tres hac concione, ad rem nostram præcipuè facientes, quæstiones, perspicuo, minimeque subtili Theologicoque, sed morali penitus, compendiosoque discursu, expediemus: *Prima* erit; Cur Deus, tantam in homines, dæmoni potestatem permittat? *Altera,* Cur innocentulos etiam infantulos, ab eisdem sinat, adeò multipliciter infestari? *Tertia,* vtrum Magistratui Magiam & veneficia, castiganti, etiam valeant nocere? Det Deus, vt omnes truculentissimi hostis fraudes, veraciter agnoscamus, & violentiam à ceruicibus nostris, tanto solertiori vigilantia, protinus auertamus. *Induite vos armaturam* DEI, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Ephes. 6.

Vocatur inprimis in quæstionem, cur DEVS permittat, dæmonem toties, aut per se homines inuadere, aut Maleficorum opera, & instrumentis, malè affici, & excruciari? Quatuor potissimum inuenio, causas: *Prima*, est gloria DEI: *Altera* hominum vtilitas, *Tertia* fidei nostræ confirmatio; *Quarta* peccatorum castigatio, in hac vita: Vnde non est mirandum, si, vt apud venerabilem Bedam aiebat S. Cutbertus, *talibus vexationibus non solum subijciuntur mali, sed occulto Dei iudicio, aliquoties etiam boni, & innocentes, vt à Deo probentur, tanquam aurum in igne.* Quomodo ex hac Dei permissione, augetur gloria Dei? Quia per eam,

I. Quæstio. Cur Deus dæmoni tantam in homines potestatem permittat.

Ven. Beda in eius vita. Sapient. 3.

I. Gloria Dei.

eam, gloriosa quædam eius attributa, nobis manifestantur.

1. Suauitas in gubernando.

Et primò quidem *suauitas in gubernando*: Nam cum homini pariter ac dæmoni liberum arbitrium dederit, violentum plus satis videretur, quod diabolus ex naturæ suæ Angelicæ viribus, effectum dare præualet semper impedire. Ideo sinit, vt id aliquando, quod vult & optat, perficiat & attingat. Elucet exinde singularis *clementia in genus humanum*; Nam si, quantum vellet, & posset dæmon, nocere permitteretur, nemo prorsus illæsus euaderet, immò & homines omnes occideret, ideo Deus, multò frequentius, nocendi potestatem, ei denegat. Et quòd hanc eius mirabilem benignitatem non parum auget, & illustrat, nec illos ad pœnitentiam recipere dedignatur, qui se pactis & conuentis, data Syngrapha, dæmoni manciparunt. Eminet insuper ex hac Dei promissione, admirabilis *Sapientia Dei*: Nam cum diabolum, DEVS, vti sinat, naturalibus suis viribus, efficit tamen, vt Pater iste & *Rex super omnes filios superbiæ*: ab imbecillis persæpè homulis, qui, quæ Dei sunt sapiunt, superetur, & Ecclesiæ Exorcismis cogatur, vt ad sordidissima, abiectissimaq; ferenda, patiendaq; se deijciat, qui *solium suum* super *Aquilonem* voluit *collocare, & similis altissimo reputari*. Emergit exinde *Potentia* DEI, cui omnia cedere coguntur; Qui quando aliquando permittit dæmoni maiora, vt aquam in sanguinem vertere, ranas producere, non tamen sinit minora patrare, vt culices gignere, quo ipso demonstratur, dæmonem, prorsus Deo esse subiectum; nec quicquam, sine eius licentia, *cui, vt lictor aut carnifex*, teste sancto Augustino, *subseruit*, posse effectum dare. *Iustitia* denique *diuina*, hinc manifestatur; quia hominum delicta, etiam in hac vita, punit, & ideo potissimum castigat, vt illi ad pœnitentiam conuertantur, & resipiscant. *Induite vos* igitur, ô dilecti, *armaturam* DEI, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli*.

2. Clementia in homines.

3. Sapientia DEI.

Iob. 38.

Isaiæ 14.

4. Potentia DEI.

In commentar. Psalm. 77.

5. Iustitia Dei.

II. Vtilitas hominum.

Quomodo ex hac Dei permissione, vt dæmon vel per se, vel per administros suos, & eorum maleficialia, instrumenta, quibus ipse vtitur, hominibus noceat, in bonis, in sanitate corporis, in vita, *Vtilitas hominum* elicitur, & mediante bonitate:

tate diuina, manifestatur? Nam primò eorum, quibus diabolus per maleficia sua nocere intendit, Patientia exercetur, & constantia roboratur, vt constat exemplo S. Iob, quem Deus tàm varijs modis, à diabolo exagitari permisit; sed nihilominus, quantò maiorem in eum diabolus Tyrannidem exercuit, tantò luculentior, eius virtus apparuit. Præterea, si tale quid alicui DEVS contingere permittat, illicò palàm fit, vtrum Deum, nec ne diligat: *Qui enim* DEVM *non diligunt, illicò ad vetitas artes prouolant, vt S. Augustinus scribit, qui autem Deum sincere & candidè amant, omnia patienter ferunt, & se Diuinæ voluntati, præsidioq; committunt.* Qua de re, filios Israel Moyses admonuit, cum dixit: *Tentat vos Dominus* DEVS *vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum annon, in toto corde, & in tota anima vestra.* Præterea, hac ipsa diaboli vexatione, *vera humilitas*, acquiritur; sic enim olim, teste Seuero Sulpitio, Eremita quidam, Vir sanctus, à diabolo, permittente Deo, fuit obsessus, vt disceret humilitatem veram, quæ sola apud Deum exaltat. Quid quod hęc ipsa permissio, facilè sternat, ad varias virtutes, viam? sic reipsa contigit Beato Iuliano, qui cum fraude diaboli, vtrumque parentem occidisset, vt scribit Marulus, hac diaboli malignitate, velut occasione, ad meliorem vitam est vsus, tandemque in virum, admirandæ sanctitatis euasit. Ergo nihil aliud superest, quam vt induatis *armaturam* DEI, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

1. Patientia exercetur. Iob. 1. & 2.

2. Amor Dei probatur.

Tract. 7. in Ioan.

Deut. 13.

3. Humilitas acquiritur. Dial. 1. c. 14.

4. Viam ad virtutes sternit.

Lib. 2. cap. 12. Lib 4. cap. 10. Fulgos. lib. 6. cap. 9.

Illud porrò minimè contemnendum, quod hac ipsa DEI permissione, Catholica fides, non solum multimodè confirmatur, sed & fructuosissimè propagatur: Nam sic adstruitur fides, contra infideles, & Atheos, qui spiritus & Angelos esse, negant; hic enim eos, ipsa experientia conuincit. Et quia hac hæresi, Christo in terris ambulante, imbuti erant Sadducæi, frequentior, trium annorum spacio, fit mentio Energumenorum, quam alias in toto veteri Testamento, per tot sæcula memoretur. Hac ipsa de causa, cum in primitiua Ecclesia, similis extiterit error Peripateticorum, idcircò tunc, vt Tertullianus & Cyprianus attestantur, tàm multi à malignis spiritibus

III. Causa confirmatio & propagatio fidei.

1. Incredulitas Sadducæorum non credentium esse Angelos: aut Spiritus redarguitur.

2. Error Peripateticorum confunditur. Tertull. in A-

pologetico & lib. ad Scapulam. Cypr. aduersus Demetrianum.

bus obsessi liberabantur. Quid nostro hoc œuo tàm calamitoso, tot hæresibus tàm fæcundo? Annon è Caluini radice, Atheismus repullulat? annon omnia dæmonis molimina, pernegant? añon omnem sagarum malitiam, in vana & futilia delirantium somnia trahunt? res, est aperta. Vt ergo confundantur, idcircò tot passim maleficiorũ examina, hinc inde succisa, multiplicantur. Stabilitur deniq; fides nostra, contra omnes temporis nostri hæreticos, cum videamus, dæmonum fraude, data per magos damna, ab eorum Ministris, & Prædicantibus, nullo modo posse releuari: Nam vt experientia constat, dæmones, eo loco, Ministrorum Prædicantium, habent coniurationes, quo Iudaicas olim, filiorum Scæuæ; qui numero septem, vt simiæ solent, Apostolum Paulum, in exorcismis imitabantur: Verum insultans illis diabolus, aiebat: IESVM *se nosse, Paulum nosse, de ipsis nil scire*, in eosque insiliens, pessimè ad vnum omnes tractauit, & laniatis eorum vestibus, seminudos, vix dimisit. Sic neque Lutherus, licet sæpius tentârit, neque alij vnquam Prædicantes, malignum spiritum, expellere potuerunt. Sic dæmon VVitebergensis, in puella exorcizatus, Martinum Lutherum, in summas caligarum angustias, & alui profluuium adegit: Sic Birgellis, anno 1582. dæmon, Parochum Lutheranum contempsit, quem Sacerdos Franciscanus, facilè eiecit. Nec Prædicans Augustanus, Anno 1563. cum toto ibidem Ministerio, puellam obsessam, liberare potuit, quam D. Simon, Parochus Catholicus, expulso dæmone, illicò reddidit sanitati: Sic dæmon ex ore Laodunensis Energumenæ, Caluinianos Ministros irridens dixit: *Non esse, quo sibi ab illis timeat, cum sint amici, ac fæderati*. At per Catholicos Sacerdotes, non solùm eijciuntur dæmones, ex obsessis, sed & eorum maleficia, exorcismis, ab Ecclesia adhibitis, propulsantur. Quin etiam vt hîc Bambergæ non ita pridem factum, in quatuor pueris, qui se dæmoni, proprio, singuli, sanguinis chirographo, obstrinxerant, coguntur, vt ea restituant, & quos illaqueearant, liberos dimittant. Quod reuera non est minimum signum, veræ apud Catholicos Religionis: Ante annos

3. Atheismus exploditur.

4. Catholica fides stabilitur.

Actor 19.

5. Dæmones irrident Prædicantiũ ministrorum cõiurationes.

Exempla plurima Lutheri & aliorũ Ministrorũ Lutheranorum & Caluinianorum.

1. Frid Staphylus in absoluta Resp.

Lindanus. Dial. 3. Dubitantij.

2. Bredẽbach lib. 7. c. 43.

3. Ibidem. lib. 7. cap. 42.

Barthol. Bayus in Energũ.

Lindanus, l 1.

Bred. lib. 7. cap. 37.

annos etiam triginta, circiter, Ioannes Wolff/Parochus Neunkirchensis, Norimbergæ, fæminam, à Diabolo, obsessam, Primarij Patrias coniugem Dæmoniacam, è qua multis mirisque modis Dæmonem expellere tentauerant, sed irrito conatu, facilè & sine labore, adhibitis tantum Exorcismis Baptismalibus, veteri & constanti, reddidit sanitati. Similia præstitit Decanus Spalatensis, Ioannes Agricola nomine, vir pius & Catholicæ Religionis, Zelo feruens: *Induite vos* igitur *armaturam* DEI, *vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

6. Quatuor pueri exorcismis à diaboli homagio liberati.

Quænam ergo quarta, huius diuinæ permissionis, caussa? *Peccati vindicta*: non solum proprij, sed & quandoque alieni. Quid audio? Num Deus aliquando permitteret, hominem aliquem, siue à diabolo immediatè, siue ab eius ministris, ob aliena peccata, lædi, & infestari? Nihil hoc est noui: sic enim propter Beati Eleutherij, immoderatam lætitiam, referente S. Gregorio, Diabolus, eius discipulum, quem reliquerat, iteratò inuasit: sic infantulum, vt idem Gregorius scribit, Diabolus extinxit, quia Parens, detrahentem Episcopo, libenter auscultarat. Sic liberi persæpè, quod ipsis immeritis, aliquando, parentes, Dæmonem imprecati fuerint, atrociter à Dæmone mulctantur; cuius rei horrenda duo Exempla, recenset Cæsarius, de Matre præsertim, quæ infanti suo febricitanti, & de nocte sæpius potum petenti, imprecata fuerat, vt vna cum potu, imbiberet diabolum, quem diabolus illicò inuasit, & horrendissimè, in matris aspectu, excruciauit. Et rursum de Marito, qui vxori, vt à dæmonibus laniaretur, imprecatus est; cuius iniqua execratione, permotus Deus, permisit vxorem, magno cum eius dolore, horrendissimè affligi. Quid plura? ob aliena etiam peccata, permittit Deus, vt homines à diabolo, & eius ministris, sæpissimè infestentur; quin etiam, diuina eius prouidentia permittit, vt innocentes aliquando infantuli, ab illis occidantur. *Induite vos* igitur, *armaturam* DEI, qui saluti vestræ consultum vultis, *vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

IV. Caussa Peccati vindicta siue proprij siue alieni.
1 Constat de alieno, Exemplo discipuli S. Eleutherij.
Lib. 3. Dial. cap. 33.
1.
Lib. 1. Dial. cap. 20.
2.
2. Ob imprecationes parentum.
Cæsar. lib. 5. Mirac. c. 11. & 26.
1.
2.
Cæsar lib. 5. cap. 11.

Quid audio, aiet aliquis? an Deus tàm sit immisericors, tàm

II Quæstio: Cur De⁹ per-

mittat, parvulos adhuc innocétulos, à dæmonibus Infestari & quandoque Occidi?

tam crudelis, vt paruulos, huius hostis potestati permittat? quid innocentuli isti, commeruere, vt misericors ille Deus, de quo Dauid: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes super omnia opera eius*, vsq; adeo sæuiat, in tenellam, quam agunt, ætatem? Verum Deus, hoc ipsum etiam, quod permittit, ad maius ipsorum, vel certè parentum, qui eos genuerunt, bonum deriuat & conuertit.

Psalm. 144.

I. R. Quoad Baptizatos.

1. Præseruatio à peccatis, Sap. 4.

2. In pœnam parentum. Lib. 11. de Ciuit. c. 14.

Quo ad baptizatos quidem: permittit Deus, eos non rarò à maleficis, illatis per maleficia morbis, occidi; quia sic à multis peccatis præseruati, felices & securi, rapiuntur in cœlum: nec timendum, *vt malitia mutet intellectum illorum, aut fictio decipiat animas eorum*. Permittit hoc Deus etiam, in pœnam parentum, vt scribit S. Augustinus; vel vt abusus, qui in *Matrimonij vsu*, plerumq; irrepere solent, puniat, vel vt eorum constantiam & patientiam probet; vel vt eis, occasionem auaritiæ, tollat, ne ad locupletandos liberos, Mammonæ iniquitatis studeant. In quo casu, permissio DEI, est effectus, prædestinationis, illorum infantulorum, vt salutem eo tempore, quo Deo commodissimum videtur, consequantur.

3. Effectus Prædestinationis paruulorum.

II. De non Baptizatis.

1. Misericorditer agit cũ nõ baptizatis Vide S. Augustinum, libro de Baptismo paruulorum.

3. Præuidet malã ipsorum vitam.

Sed quid de non baptizatis? Cur ante baptismum permittit illos Deus, à Sagis & veneficis occidi? Misericorditer iterum Deus agit, cum istis, etiam si propter solum *originale peccatum*, in quo sunt concepti & nati, mortem æternam promereãtur, tamen humanissimè & benignissimè eos tractat: Præuidet enim eos, si victuri essent, ac iustam ætatis metam ac rationis vsum, attingerent, grauissima peccata patraturos, horrendissimamq; exinde damnationem acquisituros; quod, ne fiat, in illo statu, eos, huius lucis vsura, priuari permittit, in quo, licet faciem Dei, non sint vnquam visuri, nihilominus tamen in limbo duntaxat, ab infernalibus pœnis, liberi, sint detinendi.

III. Cur dæmon & Sagæ vt plurimum non baptizatis paruulis insidientur?

Sed quid caussæ est quod dæmon per sagas & maleficos, vt plurimum infantibus, necdum baptizatis, plerumque insidias struat? cur eorum potissimum, nece gaudet? Respondeo: Quia tunc, qui eos necdum salutari lauacro, tinctos, necant,

cant, malefici, longè grauius peccant, & atrocius Deum offendunt, cum planè innocuos, & innocentes, anima simul, & corpore perdant, præsertim, si liberos proprios, è medio tollant, quos striges, non solum quandoque dæmoni offerre, sed & sæpè occidere solent, sicut olim faciebant Cananæi, & cultores Idoli Moloch, de quibus Regius Propheta: *Et immolauerunt filios suos & filias dæmonijs: Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptibilibus Chanaan.* Sic etiam isti à fide Apostatæ perfidi Christiani, dæmonum vasalli, hoc nostro etiamnum æuo, huiuscemodi infanticidijs dæmoni litare solent. Exempla eiusmodi, supramodum horrenda, narrat Sprengerus, Nicolaus Remigius, Binsfeldius, & alij sine numero, quæ vt plurimum tam horrenda sunt, vt sine tremore & pauore, nequeant referri. Deus Optimus Maximus auertat, ne similia etiam infanticidia, paruulorum, non baptizatorum, in hac ciuitate patrentur. Scio in tali casu quædam contigisse, quæ propalare nec decet, nec licet. Conuenit sanè Magistratui, non solum politico, sed & potissimum Ecclesiastico, solertissimè inuigilare, quales personæ, puerperis, in partu periclitantibus, opitulentur: Nam experientia edocti sumus, obstetrices, vt plurimum veneficio corruptas, innumeras puerorum non baptizatorum, strages edidisse: *Induite vos* igitur *armaturam Dei; vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

1. Quia malefici eos necãtes grauius peccant.

2. Sagæ proprios filios immolant Diabolo.

Leuit. 18.
4. Reg. 25.
Psalm. 50.
Leuit. 20.

Part. 2. Mall. 41. cap. 13.

Vultis caussas, vt ita dicam, fundamentales, ob quas sagæ & veneficæ, infantulis istis tantopere insidientur? Earum *prima* est, quia tam tenera ætas, est, imbecillior ad resistendum, est incautior ad cauendum, nequit maleficarum conatus deprehendere, vel accusare, vel remedium efflagitare. *Altera* est: Quia ab horum infantulorum corpusculis, venefici, & sagæ, petunt instrumenta maleficiorum; Persuadet enim eis diabolus, si certo numero, eiusmodi infantulorum corcula, exsciderint, & comederint, sustinentiam, & omnium tormentorũ, & torturarum tolerantiam indubitato consecuturas, adeo, vt ad nullam criminum confessionem, adigi queant, cuius rei

IV. Caussa cur pueris Magę insidientur?

1. Ætas imbellis ad resistẽdum.

2. E Corpusculis illorum petunt Instrumenta maleficiorum.

3. E Carnibus, conficiũt Diabolicum vnguentum.

4. Venena pręgnantibus prębent vt talibus Infantulis potiantur.

5. Infantuli non baptizati in loco publico non priuato sepeliendi.

exempla, etiam Binsfeldius refert, supramodum abominãda; Conficiunt insuper ex carne infantium, occisorum, famosum illud vnguentum, suum, cuius illitu, admiranda & horrenda mala, vbique patrant. Quin etiam, vt huiusmodi infantulis, potiantur, prægnantibus mulieribus non rarò venena propinant, vt abortientes partu immaturo fætus effundant, quos alicubi defossos, ipsi postea refodiunt, & adhibent ad maleficia consueta. Vnde damnabilis est, in quibusdam locis vsus, vt immaturi fætus, siue in hortis, siue in domibus, siue in alijs locis, defodiantur; quod an hic etiam fiat, viderit politicus Magistratus: Nam vbi hoc fit, & huiusmodi infantuli, non in loco publico & in cœmiterijs non consecratis, minime sepeliuntur, facilè quilibet prudens, & cordatus æstimabit, diabolicam, Magarum, nequitiam, aliquid abominabile, nullo negotio moliri posse. *Induite vos* ergo, auditores, *armaturam* DEI, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli, in die malo.*

III. Quæstio: An Magistratui etiã & Iustitiæ Ministris nocere possint?

Rx. 1. Non possunt.

Ananias lib. 4. de Natura Dæmonum.

Remig lib 1. Dæmonolatriæ c. 2.

Ioan. Niderus libro Vlt. Formicarij

1 Petri 2.

2 Pietas cum primis Iudicũ & Iustitiæ Ministrorum est im̃unis ab infestatione Diaboli.

Tertia denique de diuina permissione quæstio hic emergit: An iudicibus etiam, & Iustitiæ Ministris, qui Magos & veneficos morti adiudicant, examinant, & illis quoque, qui eas deferunt, & eorum maleficia Magistratui aperiunt, nocere possint? Scio quidem præter alios Doctores Ananiam, & Nicolaum Remigium, & Niderum docere, ex speciali priuilegio, à Deo concesso, Magistratus tales, & Iustitiæ Ministros, lædi nullo modo posse; idque experientia constare, Nec Deum permittere, vt Magistratui à se ordinato, & eius loco, vt affirmat, *gladium ad vindictam malorum gerenti*, nocere valeant, id quod diuinæ authoritati repugnaret. Hic ego quidem nullo modo possum contradicere; Addo tamen, eos potissimum Iudices, à Deo, haud dubiè, à Magarum & veneficarum moliminibus, custodiri, qui Deum præ oculis habentes, rectè, riteque, suo funguntur officio: Nam quos auaritia excæcat, quos trahit ambitio, quos crudelitas, vel vindictæ cupiditas agit, qui curiositate ducti, perperam, multa designant, præsertim in examine & tortura veneficorum, huiusmodi priuilegio gaudere, minimè potero persuaderi. At qui verò Iudicum pietas, si-

tas, fidei in Deum firmitas, Iustitiæ zelus, digna sunt, quæ hanc à Deo impetrent prærogatiuam. Alioquin Sprengerus refert, Lamiam quandam, etiam in ipso rogo, sententia Iudicis damnatam, solo anhelitu, carnifici lepram intulisse, cum tamen ipsa leprosa non esset: Et alia carnifici, à quo plectebatur, prædixit, se vltimam fore, quam occideret, & posthac nullam amplius; qui statim, peracta iustitia, cum domum redijsset, omnium membrorum rigore ac tabe, emaceratus, cum alias robustissimus esset, inter paucos dies perijt. Memini & ego alterius Ministri iustitiæ, qui cum supplicio aliquot sagarum præfuisset, noctu in domo hospitæ cuiusdam, etiam suspectæ, diuertit; hîc de nocte, magno sagarum strepitu obrutus, & velut ingenti saxo desuper grauatus, atq; ita malè exceptus, fuit, vt illicò lethali morbo correptus, omniumque membrorum vsu, destitutus, lenta tabe consumeretur; quod Deus vtique, in bonum eius permisit; Erat enim hæresi Lutheranæ addictus, qua principio morbi eiurata, plagam illam, diuina permissione, à sagis inditam, promptissimè tulit, vsque ad finem vitæ. Quid plura? Aio cum Apostolo: *Pietas ad omnia vtilis est, & habet huius & æternæ vitæ promissionem: Induite vos* igitur *armaturam Dei; vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

3. Deus tamen ob maius bonum id aliquando permittit.

In Malleo Malefic.

4. Lamia quędam halitu solo carnificē Lepra infecit.

5. Alij item à sagis occisi.

1.

2.

1. Tim. 4.

Erudimini ergò *qui iudicatis terram,* qui ad vindicanda scelera, Magorum & sagarum, & aliorum diaboli Mancipiorum, estis, designati: *Timete Deum, iustitiam præ oculis habete,* ne vos auaritia, & munerum captura exoculet; nec odium nec amicitia, vel humanus fauor, vos ab æquitatis libramine, abducat; Sic non solum ab omnibus diaboli machinationibus, eritis securi, verum etiam, diabolica ista Zizania, auerruncando, ineffabilem olim mercedem, reportabitis in cœlo, Amen.

CON-

CONCIO. XI.

DVÆ QVÆSTIONES, ALIÆ, DE PERMISSIONE DIVINA; CVR SINAT DEVS, VT SAGAE ADEO HORRENDE ABVTANTVR EVCHAristia? cur tantus earum numerus, etiam inter Catholicos Orthodoxos?

Induite vos armaturam DEI, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Ephes. 6.

SICVT serui & Mancipia, Dominis ad libitum, seruire coguntur, & imperata omnia exequi compelluntur: Ita Magi atque venefici, ad arbitrium Cacodæmonis, ad horrendissima scelera perpetranda, non minis tantum, sed & verberibus ac plagis quandoque perurgentur; quorum vnum, neque ex minimis, est prophanatio omnium Christi preciosissimo sanguine, obsignatorum Sacramentorum: Inprimis verò Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, quod furtim sublatum, aut, dum communicant ore exemptum, & à lingua detractum, secum absportant: in Conuentibus suis, mille blasphemijs, & contumelijs proscindunt; incredibilibus iniurijs, atrocissimè tractant, pedibus proculcant, corporis egestionibus, extrema impietate conspurcant, diabolici vnguinis, quo ad maleficia inferenda, vtuntur, cocturæ immiscent; taceo longè nefandiora, ne aurium honestas infringatur. Quod sacrilegi furoris œstrum, cum nonnulli vix sibi persuaderi sinant, vt credant, præsenti sermone, eius farinæ exemplum, recens, nec vobis incognitum, primò proponam; Deinde, cur Deus talia, in filij sui corpus & sanguinem committi, sinat elucidabo: Ac denique; cur tantus etiam, pios inter & fideles Christianos, sagarum numerus excrescat? paucis, assistente diuina gratia, declarabo: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

I. Historia Sacrilegæ Pro- Notum est vobis, haud dubie, horribile illud facinus, quod hic contigit Bambergæ, Anno Millesimo, Sexcentesimo, de-

mo, decimo septimo, quando Capellanus meus, Ioannes De-gen nomine, in hac ipsa S. Martini Parochia, die Iouis proximo, post ferias paschales, quosdam communicans, inter alios, conspexit fæminam, sacra hostia in os recepta, illicò Strophiolum; ori admouere, & quam sumpserat, hostiam, eximere, conari. Viderunt vnà cum Sacerdote, Capellano, cooperatore meo, alij complures, & nonnulli etiam viri Consulares. Res delata est ad Magistratum : Capta sequenti die mulier illa, & tertio post die, tormentis examinata, fatetur, *se vnà cum marito suo, & eius Sorore ac Matre, Vetula, propè Septuagenaria, sacras hostias, sæpius sic domum absportasse, instinctuq́ꝫ Dæmonis, horrendis modis tractasse, ac violasse, non solum pessundando, sed & lotio, alijsq́ꝫ immundis rebus perfundendo, & alia multò fœdiora, inferendo.* Et eo quidem vesperi, iussu Dæmonis, ipsas coniunctis operis, in areola illa, quæ est post ingressum angiportus, vtriusque popinæ, vnde non procul habitabant, se hostiam sacram defodisse, in terra, vnà cum varijs fragminibus frondium, & ramusculis fructiferarum arborum, aliarumq; frugum particulis, & alijs nonnullis amuletis, signatorijs, ac desuper, in contemptum diuinæ Maiestatis, vesicam omnes ac singulas exonerasse, à longè quidem & multis passibus, extra angiportum, in media platea Diabolo, omnia, prout edocuerat, quæ fiebant, inspectante. Idque eo fine, vt hostia putrefacta, terræque immixta, in mense Maio, postea, siue inducta pruina, siue rubigine, siue tandem grandine, omnes eius anni fruges, perderentur. hæc illa fassa est, cum complicibus, nec dum adhuc capta, vetula illa, omnium pessima Saga, quæ interea, dum illæ in vincula essent abreptæ, sacram, creditur à defossionis loco hostiam abstulisse, & siue in cloacam, siue in alium contemptiorem locum, proiecisse. Capta namq;, & varijs tormentis examinata, nihil tamen vnquam fateri voluit, insensibilitatem omnium cruciatuum præ se ferens, & ostendens. Post dies aliquot, inuenta est in carcere, obtorto collo, à diabolo strangulata. Illa porrò quæ Eucharistiam in ipsa communione suffurata erat, vnà cùm marito, eiusque sorore, deducti ad aream,

phanationis Sanctissimi Sacramenti.

1. Sacrilega capta crimen fatetur.

2. Dæmon à longè spectat Exhonorationem sacræ hostiæ.

3. Vetula pessima quę alias Venfic ium docuerat insensibilis est in Tormẽtis.

4. Eidẽ Dęmõ in carcere ceruices fregit.

in qua sacram defoderant, hostiam, omnia, vt contigerant, magna hominum multitudine præsente, conscеleratam blasphemiam, & sacrilegium vltrò aperuerunt; ibique eruta terra, & in sacrum deportata locum, simul etiam inuenta signa, quæ dixerant, omnia, vt nemini, de facinore dubitandi, locus relinqueretur. Forcipibus denique candentibus vstulati, strangulati & exusti, veræ contritionis indicia exhibentes, temporarias sceleris, pœnas, luerunt, in hac vita, vt æternas in altera, vti piè creditur, effugerent. Fui præsens, cum locum

5. Cōdemnatæ, multa abominād a patefaciunt.

defossionis sacræ hostiæ indicarent; visitaui eas, iam ad supplicium condemnatas; omnia & singula oretenus ab illis intellexi, cum stupore, & admiratione, & multò plura, quæ nec tormentis extorqueri poterant, neque in vulgus spargere ac propalare conuenit vltrò mihi & alijs sacerdotibus aperuerunt. Huius igitur historiæ intuitu moneo: *Induite vos armaturam* DEI, *vt possitis stare, aduersus insidias Diaboli.*

II. Q. cur talia Deus permittat?

Interrogabitis itaque: cur Deus ista fieri permittat! Cur Diuinæ Maiestati suæ, tantam a Diabolo, & mancipijs eius, in hoc Diuinissimo Sacramento, contumeliam irrogari sinat? annon sæpius, qui longè minores iniurias, sacrosancto huic

1. Minores iniuriæ in sacrā Eucharistiam à Deo vindicatæ. Exempla tria.
1. Pastores. Lib. 3. Elucid. Eccles. in Tyrocinio de sacri Altaris Mysterio.

mysterio, intulerunt, multò grauius puniti extitere? *Gregum Pastores*, inquit Iodocus Clichtouæus, & testatur Michael Buchingerus, *ausu quodam temerario, pane super lapidem posito, in agro, verba consecrationis hostiæ, cum protulissent, conuersus quidem fuit ille panis, in figuram carnis, ad illorum verborum prolationem, ipsi autem igne cœlitus in eos dimisso, diuino iudicio, sunt absumpti, vt per hanc punitionis seueritatem, cæteris essent exemplo, ne vnquam tale, quid ampliùs attentaret, neq; diuinis ministerijs, abuterentur ad iocum.* hæc illi: Aliud non minus stupendum, verbis hisce describit Erasmus Roterodamus:

2. Rusticus. Epist. ad Episcopum Leodiensem, data Basileæ, anno 1528.

In pago, cui nomen Vetus vicus, Rusticus quidam in diuersorio, dum Eucharistiam irridet, subitò exanimatus est: rem sic actam, testes edocuere. Æditnus quidam rusticus, praeferebat Scriniolum, plenum panibus consecrandis, quas hostias vocant. huic comes erat alter rusticus, qui quondam fuerat æditaus; Vbi ventum est, ad vicum modò dictum, libuit ibi bibere, in diuersorio; petit comes ille, hostiam ab æditu o dono. illo

2.

cunctan-

cunctante, accipit ipse, & incipit per ludibrium, consecrare: cauponaria videns, increpat. Ille: Nihil, inquit, tua refert, abi apporta vinum, vbi redit, mulier, hominem collapsum inuenit, rogat quid habeat; respondent ibi potantes, in alia mensa: Forsitan habet illum Syncopis. mulier adfert acetum; admouent; Sed frustra; quia planè erat mortuus. hæc vera, inquit Erasmus, *& à me comperta est historia.* Notum est quod de Apameensibus pueris, qui ruri ludentes ioco Sacerdotem cũ Ministris constituentes panem in saxo, & vinum in testaceo vase velut in altari collocantes, & reliquis, officij tremendi, mysterijs, expresśis arcana etiam, consecrationis verba, protulerunt; cumque ad communionem venissent, ignis de cœlo delapsus, quæ proposita erant, omnia, vnà cum saxo absumpsit, pueris præ metu, in terram prostratis, & quodammodò exanimatis, ibi à parentibus, postea repertis. Qui hæc ludicra & iocularia respectuque illorum, quæ sagæ in hoc Sacrosanctum Mysterium, patrant, longè minora, tàm seuerè puniuit Deus, cur permittit, tàm horrenda & nefanda, designari à sagis! O admirabilem Dei patientiam, tàm nefarios etiam & sacrilegos, peccatores, ad pœnitentiam expectantem. 3. Pueri Apameenses. Prati Spirit. cap. 169.

Nolite mirari, Christum Dei Filium, *Iudicem viuorum & mortuorum*, talia pati, in corpore suo glorioso, in quo est impasśibilis, qui tot cruciatus & tormenta, tot ludibria, tot cõtumelias, tot tunsiones, tot concusśiones, tot vellicationes, tot proculcationes, tot conuulnerationes, perpeti voluit, à Diaboli membris, immò & crucifigi, in sua pasśione. Ego existimo, potisśimum talia à Deo permitti, tùm vt Magistratus tàm segnis, in puniendis huiusmodi maleficijs, tàm somnolétus excitetur, ad vibrandum institiæ gladium, in consceleratisśimos eiusmodi Apostatas, & Christianæ fidei desertores: Tum etiam, vt confundantur illi, non rectè, meo quidem iudicio, Catholici, qui negant, sagas esse, sed omnia, quæ ab illis, patrari dicuntur, per somnium quasi, dæmonis ludificatione, contingere, nihil verè & realiter fieri; ac proinde iniuriam eis inferri, si gladio & igne interficiantur. Hinc Deus permittit, vt talibus apertè sacrilegijs, in publicam notitiam 4 Rx. ad Quæstionem. Id non esse mirum. 5. Causſæ permisśionis. 1. 2.

 emer-

emergentibus, cætera etiam facinora, quæ licet maxima, respectu tamen istius, quod Maiestati diuinæ directè intentatur, & irrogatur, minora ab illis nõ esse aliena. O Magistratus, Dei vices agentes: *Induite vos armaturam*, Dei & *state* aduersus ista molimina diabolica, & abominationes eiusmodi planè intolerabiles, authoritate vestra *vindicate*.

Q. III. Cur inter Catholicos tot sagæ.

Cur denique, Deus permittit, vt inter Catholicos tot sint sagæ, tot venefici, tot sacrilegi, à Deo Apostatæ, cum apud Lutheranos, atque etiam Caluinistas, pauci admodum, & ne vix quidem, & rarissimè inueniantur? annon hoc indicat, Catholicos magis, quam Lutheranos, diabolicis insidijs, expositos esse? annon hoc euidentissimum indicium, *diabolum magis in Papatu*, vt loquuntur Ministri Prædicantes, *quam apud Euangelicos, dominari?* Verum ego respondeo: Hoc ipsum est, spectabile, admodum, & luculentissimum, immò & certissimum, atque infallibile signum, apud Catholicos, veram & saluificam fidem, verum Euangelium, vera Sacramenta, veram Religionem, inueniri. Quid ita? diabolus non nisi bono insidiatur, & quia omni malignitate corruptus est, quidquid est vspiam boni, euertere molitur. Si ergo Catholici, vera fide carerent, si non haberent eam fidem, sine qua impossibile est, vt S. Paulus ait, Deo placere, diabolus eis non tantoperè insidiaretur. Cum proinde vera fide, quæ saluat credentes, careant, omnes, qui à Catholica Religione, sunt alieni, diabolus eos, in suæ infidelitatis statu relinquit: quia nemo anxiè quærit, quod secura possessione, se nouit obtinere. Deinde hostis humani generis, non nisi *agro Dominico*, in quo Dominus *triticum suum* seminauit, hominibus dormientibus, insidias struxit, in eoque Zizania sua sparsit, vt ex Euangelio probatur. Cum ergo Catholicæ Ecclesiæ agro, tantoperè sit infensus, & eius tritico, id est pijs & fidelibus, Christianis, tot & tam nefanda Zizania, interspergat, facili coniectura, quis assequetur, *Agrum Dominicum*, in Sola Catholica & Orthodoxa nostra Ecclesia, reperiri. Quid quod diabolus per Magiam & maleficia sua, diabolica, nil aliud quærat, quam Apostasiam à Deo, & à vera fide? Quia ergo hære-

R. Signũ veræ fidei apud Catholicos.

1. Diabolus non nisi bono insidiatur. 1.

Hebr. 11.

2. Agri Dominici tritico Zizania inspergit. 2. Matth. 13.

2. Quærit Apostasiam à vera fide quæ non est apud Hæreticos. 3.

go hæretici, veram fidem, deficiendo, à vera Christi Ecclesia, iam amiserunt, diabolus circa illorum æternum interitum, non magnoperè laborat. Nemo denique id lucrari cupit, quod antea habet in sua potestate: Cum itaque diabolus, sit Pater omnium eorum, qui hæresibus scienter & pertinaciter adhærent, non vrget, vt eos alijs modis, ad interitum pelliciat & inducat.

4. Non cupit Lucrari quod antea habet. 4.

Sed quid si nonnunquam etiam inter Lutheranos, & Caluinistas, magi & venefici inueniantur? Fieri posse non nego: Sed aio, diabolum tales, eò potissimum seducere, tùm vt maiorem damnationem acquirant, tùm vt hominibus alijs, & irrationabilibus quoque Creaturis, damna inferant, tum vt ad huiusmodi nefanda, plures alios seducant. Deus autem id permittit, semper in bonum aliquem finem, sicut patet de fæmina illa, Redvvicensi, Lutherana quæ cum diu, cum diabolo, carnali commixtione, vsa, fuisset, pertæsa tandem, eius nefarij criminis, rem *Prædicanti Lutherano*, eius loci, pro confessione, detexit, & consilium petijt, quomodo à diabolo posset liberari. Ille rem vxorculæ suæ primum, deinde sympotis, & omnibus planè combibonibus in caupona, quin & alijs congerronibus suis rem detexit. Rumore tandē ad loci Magistratum, & Scabinos iudicij sanguinarij, oppidi Albimænienſis, delata, mulier capta, diaboli commercium, sine omni tormēto, vltrò confessa est. Missa denique Bambergam, vltimo supplicio, antequam afficeretur, Catholicam, Religionem est amplexa; insigni quoque pœnitentiæ exemplo, peccata sua defleuit, & Christiana patientia, supplicium capitis exantlauit. Vbi *duo maxima bona*, ex diuina permissione, notabiliter elucent: *Primo*; *mulieris* æterna *salus*, & *conuersio* ad veram fidem, quæ est effectus, diuinæ prædestinationis: *Deinde confusio hæreticorum* Prædicantium, apud quos nullum est secretum, in confessione, nullum salutis consilium; confusio mera, perditio certa.

IV. Q. Annon inter Lutheranos & Caluinistas tales?

1. Historia de muliere Lutherana quā Prædicans prodidit, cui peccatū erat Confessa. Mirabile exēplum Sigilli confessionis apud Ministros Prædicantes.

2. Duo Exinde bona Collegit Dominus Deus.

Pari modo & illud, quod mihi oculato testi, etiam, & videre, & audire immò & experiri; diuina dispositione contigisse,

V. Historia alia de Saga Caluiniana.

gisse, credendum est: Francofurto ad Schvvalbacenses acidulas, sanitatis caussa, transibam, in itinere VVisbadæ, quod est oppidum Nassouiensis Comitatus, Thermis celebre, in hospicio, quod extat celeberrimum, diuertebam, in quo malefica vetula, quæ partem non exiguam oppidi, vt coram videre erat, veneficijs suis, casu mirabili exusserat, à ciuium numero, non exiguo, asseruabatur; nam in carceribus, ollæ, in quibus cibus ei præbebatur, fragmine, iugulum sibi abscecare, tentauerat, quod vt præcaueretur, inde exempta, in diuersorio publico, cathenis & compedibus ferreis onerata, custodiebatur. Peto ad eam admitti, quod honorario vino, custodibus persoluto, facilè impetro: Fatetur illa se veneficam esse, & vna cum puella, quam seduxerat, adhuc carceribus detenta, magicis carminibus, incendium illud, impulsu diaboli excitasse; Abs me porrò interrogata, cur desperans sibimet violentas manus consciscere, & fragmine testæ, iugulum sibi abrumpendo, vitam eripere tentasset? respondit: *Audio me candentibus laminis, per omnia, totius corporis membra, vstulandam, viuam denique, flammis exurendam; & Prædicatores nostri, Caluiniani, vtpote Ministri, non aliud mihi solatium præbent, quam quod ad æterna, gehennæ, incendia, sim à Deo destinata, & ineuitabili decreto ordinata. Quænam maior miseria, quam igne, temporaneo, cui sine dubio mancipanda sum, in æternos, infernalium flammarum globos, præcipitari? Illum igitur ignem, vel in hac vita effugere volens, vitam mihimet decurtare sum conata.* Hic ergo locus erat, & occasio disserendi de Misericordia Dei, de seria, grauissimorum etiam peccatorum, resipiscentia, atque ad Deum conuersione, de spe certa, per Christi Saluatoris crucifixi merita, & per Virtutem sacratissimorum eius vulnerum, vitam æternam obtinendi, dummodò in vera Christi Ecclesia, quæ apud Catholicos est, cum voto Sacramenta eiusdē participandi, à Politico Magistratu, decreta supplicia, patienti animo, sustineret, & Christianè & piè mori, desideraret. Quinimmò, addebat illa, *perlubenter: nam & ante annos propè septuaginta, Catholico ritu, haud procul Moguntia, sum baptizata*; Cum ergo, prouti res ferebat, peccata obiter confessa esset, nec enim

1. Tentat Sibimet violentas manus iniјcere.

2. Causam reijcit in Ministros Caluinianos.

3. Cōcipit spē salutis & cupit mori in Ecclesia Catholica.

nim tutum videbatur, longiora cum ea colloquia, instituere, absolutionem ei impertiui, & mirificè consolatam dimisi, nil nisi prioris vitæ errata deplorantem: cætera omnia, æquissimo animo toleraturam. Ad constantiam denique priusquam discederem, & ne Ministris Caluinianis, vlterius aures præberet, eam sum exhortatus: neque casso labore: Nam cũ Schvvalbaci demorans, extremo eius supplicio, diem indictum esse, inaudissem, excurri VVisbadam, vbi cum à Ministris Caluinianis, infensissimè obseruaretur, vix paucis verbis eam affari concessum, at illa, nutibus & signis, miram in concepto proposito, constantiam, præ se ferens, importunasque Prædicantium insusurrationes, fastidiens, nolle se in eorum fide mori, maximo cum feruore asserebat. Lata sententia cum forcipibus ignitis, diu multumque torqueretur, ne sensum quidem doloris extrinsecus ostendit, nisi quod oculos & vultum, ad singulos ictus, in cœlum eleuaret. Sed hoc supplicio iam terminato, cum palo, in media lignorum strue, ferreis vinculis alliganda esset, elata voce, publicè professa est: *Ego non moriar in vestra Caluiniana, sed in Catholica Religione, in qua sum baptizata, in qua spero saluari, Et ideo animam meam, in manus* I E S V, *Saluatoris mei commendo.* Igne interea certatim à carnificibus succenso, crepitantibus horrendè flammis, nullum amplius verbum potuit audiri. Quis hîc supremo Pastorum Principi, de perdita, & vel ex ipsis infernalis Draconis faucibus, eius potenti Misericordia, tandem erepta ouicula, non esset congratulatus? Quis non optimam, de saluationis eius, fructu & effectu, spem hausisset? Ille dubitet, qui non credit misericordem Deum, palam edixisse: *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat, In qua hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius, non amplius recordabor.* O summam Dei bonitatem, quæ ex tantis huius mulierculæ malis, tantum boni colligere nouerat, vt quantò grauius illa, diaboli fraude, decepta, peccauerat, tantò constantiori tolerantia, inflicta à politico Magistratu tormenta superaret. Rarum equidem, seriæ conuersionis, in tali femina, sed solatio plenum exemplum.

4. Constanter moritur in Catholica fide.

5. Admiranda eius constantia in extremis.

6. Quis perdita à Christo Pastore Lupo è faucibus erepta.

Ezech. 18.
Ibid. 33.

7. Quantum bonũ ex malis huius mulieris collegerit Deus.

Vos

Vos igitur, si qui forsitan, in hoc Auditorum cœtu, præsentes estis, qui in diabolico iugo illigati humanæ salutis inimico, vt illa, homagium præstitistis, nolite animum despondere, de venia grauissimorum etiam scelerum, nolite, quod absit, desperare: dummodo pœnitentia ducti, Diabolo abrenuncietis, eius seruitio nuncium remittatis, & peccata vestra, Sacerdoti candidè aperiatis, certi & securi estote, gratiam inuenietis, & misericordiam in tempore oportuno: quod is faxit, qui sacratissimis suis vulneribus, preciosissimoq; sanguine, nos omnes, ab æterna morte redemit, Amen.

CONCIO XII.

SEX PECCATORVM GENERA, OB QVÆ DEVS PERMITTERE SOLET, VT HOMINES, AVT A DAEMONIBVS TORQVEANTVR, aut maleficiorum illatione puniantur.

Tentat vos Dominus DEVS vester, vt palam fiat, vtrùm diligatis DEVM annon? Deuter. 13.

TAnta est Domini DEI, in nos bonitas & Clementia, vt ea etiam, quæ nobis malignus hostis intentat, mala, ad nostrum dirigat bonum, eaque sic moderatur, vt exinde, salutis nostræ effectum, producat: Siue enim nos, Patris instar consoletur, siue vt Mater Filios puniat & castiget, siue hostium, præsertim inuisibilium insidijs nos premi sinat, omnia in bonum nostrum deriuat, & inflectit. *Quin etiam, vt medicus,* inquit S. Ioannes Chrysostomus, *quando infirmū curat, neq; semper fame detinet, neq; semper larga mensa frui sinit, vt non voracitas febrim pariens, augeat morbum; fames verò, infirmiorem efficiat eum, sed coniectans apud se, quantæ sint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte, omnia sua in medium affert, & aliquando chirurgum, sectione, & caustico ferro, vtentem inducit: Sic & misericors Deus, sciens, quid cuiuis conueniat, aliquando concedit nobis prosperitate frui, aliquando autem exercitationis gratia, tentationibus nos circundat, dum à Diabolo, vt S. Iob, sinit affligi: vtrobiq; autē bono nostro inuigilat & studet sine intermißione,*

Homil. 40. in Genesin.
Deus similis Medico.

ſione, dum præſertim grauiora, in quæ impingimus ſcelera, caſtigat etiam per angelos malos, ad noſtram alioqui perniciem intentos. Probo itaq; S. Baſilij verbum: *Vt gubernatorem nauis tempeſtas, athletam ſtadium, militem acies, magnanimum calamitas; ſic Chriſtianum hominem tentatio probat, etiã Deo permittẽte à diabolo illata,* adeò verũ eſt, quod Moyſes affirmat: *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis Deum annon?* qui enim, cum à diaboli vexati, ad Deum confugiunt, & reſipiſcunt, illi ſanè oſtendunt, ſe Dominum DEVM ſuum, ſuper omnia fideli amore & obſeruantia reuereri. Qui verò in peccatis obdurantur, oſtendunt, ſe à DEO deſeri, propriæque malitiæ, relinqui, vt tantò grauius, in altera vita damnentur. Vt verò ad id, quod in præſenti explicare, decreuimus, conuertamur, inuenio complura peccata, in ſe pergrauia, ob quæ Deus permittit, vt homines in hac vita, aut à diabolo iṁediatè inſeſsi, aut per maleficos arte & machinis diabolicis, infeſtentur. Illorum porrò peccatorum nonnulla, DEO dante, hac concione paucis hiſtorijs, explicata, proponemus, vt inde condiſcamus, cum Dei gratia, quid fugiendum, quid capeſſendum: *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis Deum annon?*

Orat. 11.

Deuter. 13.

Permittit inprimis DEVS homines à diabolo corripi & vexari, aut etiam per maleficos lædi, atque puniri, *ob contumaciam, à ſuperbia exortam,* inprimis contra eas perſonas, quas vel maximè oportuerat reuereri: ob hanc quippe peruicaciam, è cœlo deturbatus eſt, *Lucifer,* vnà cum Apoſtaticis Angelis ſuis; eliminatus eſt *Adam* è Paradiſo terreſtri; ob hanc eandem obſtinatæ mentis prauitatem, *Ægyptios* Deus puniuit, immiſsionibus, per Angelos malos: ob hanc ſuperbiam, & mentis contra Deum elationem, ſic dementatus erat à diabolo, Rex *Nabuchodonoſor,* vt ſe beſtiam crederet. Ob hanc inobedientiam erga Parentes, mediante diabolo, puniti illi, de quibus ſic Ioannes Archipresbyter, ſcribit, in vita ſancti Zenobij Florentini: *Cum mulier quædam,* inquit, *pagana & illuſtris, & diues valde, in hac ciuitate, mortuo viro, duos ſuperſtites haberet filios, quos delicatiſsimè enutrierat, & iam ad perfectam illi perueniſſent ætatem, quodam die,*

I. Contumacia erga ſuperiores, quos reuereri decet.

1. Exempla è ſcriptura.
Iſaiæ. 14.
Geneſ. 3.
Pſalm. 77.
Daniel. 4.

2. Exempla è vita S. Zenobij. Surius. Tom. 3. 10. Maij.

Filij matrem

percutientes à furijs infernalibus castigantur.

in iram versi, Matrem propriam, pluribus verberibus enormiter flagellarunt. Quod scelus ipsa impatienter abhorrens, corpora eorum, horrendis imprecationibus, detestata fuit, genibusq; procumbens, & terram manibus pulsans, Erynnem, cæterasque Infernas Pestes, in rabiem filiorum, magno cum gemitu inuocat. Exaudiunt dæmones, ab imis tenebris, iuuenes aggrediuntur, illos in furias exagitant; qui statim vt rabidi canes, mordaciter ad inuicem sua membra corrodunt, concurrunt famuli, fit clamor ingens, alij funes, alij cathenas, ferunt, ligantur, nec contineri valent. Simile exemplum refert S. Augustinus, de filio, erga matrem, insignem contumaciam ostendente, cui ipsa propterea, vnà cum alijs liberis, similiter erga ipsam immorigeris, maledixit, & ecce illicò à diabolo corripiuntur: *Mox enim maternas imprecationes*, inquit vnus è contumacibus filijs apud S. Augustinum, *efficax, agente, ex Dei permißione, diabolo, vindicta persequitur, eundemq; continuò fratrem nostrum, ætate & culpa maiorem, tantus membrorum tremor, inuasit, quantum in me quoque vidistis; Seruato autem ordine, quo nati eramus, ante annum eadem nos pœna, omnes corripuit.* Audiant hìc filij & filiæ, erga Parentes adeò contumaces, audiant, inquam, & timeant, similem diaboli vindictam; audiant, moneo, Sapientis Prophetiam: *Oculum qui subsannat Patrem, & qui despicit partum Matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ*, id est, in hac vita suspendantur, in patibulis, & in altera vita, *partes fiant vulpium* infernalium, & dæmonum præda, euadant. *Induite vos armaturam Dei*, & vitium istud cauete, cane & angue peius fugite, *vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

Lib. 22. de Ciuit. Dei c 8.

3. Mater alia filiis contumacibus dæmonem imprecatur.

Prouerb. 30.

Psalm. 26.

II. Odium & Inuidia erga proximum.

1. Exemplum Regis Saul. 1. Reg. 17.

2. Noddo inuidia flagrans erga S. Arnulphum.

Permittit Deus homines à diabolo, vel immediatè obsideri, vel per maleficia lædi, *odio* implacabili *& inuidia erga proximos*, immodicè flagrantes: quam ob causam, cum Saul Rex, inuidia erga Dauidem accensus esset, diabolus eum inuasit, ac dirissimè sæpius exagitauit: Sicut enim Charitas Metatrix est Dei, & præambula, domicilium præparans Spiritui sancto; sic odium in proximos, domum instruit diabolo, & hospitium parat in quo requiescit. Sic cum Noddo quidam, homo inuidia & odio in S. Arnulfum Metensium Episcopum, inflammatus,

matus, multa & grauia de eo crimina, falsò confingeret, Dæmon de nocte, in eius lecto, subitum, excitauit, incendium, quo nates & genitalia, eius membra, sic exurebantur, vt restingui non posset, vlla aquæ effusione, sed ac si oleum foret, magis magisq; accenderetur: quin etiam, nec in volutabro Lacunæ, potuit extingui, Diabolo liuorem eius, & inuidentiam castigante. Videant inuidi, quem odio & rancore suo hospitem, in corda sua introducant; qui si non corpora, animas tamen eorum, igne inextinguibili, aliquando succendet. *Induite* vos ergò, *armaturam Dei*, contra odium & rancorem, erga proximum, fideliter dimicate, *vt possitis stare, aduersus insidias Diaboli.*

Sur. in eius vita.

Permittit Deus, vel à Diabolo immediatè obsideri, vel maleficijs infestari, omnes plerumq;, qui *carnali libidini sunt addicti*, nec non etiam, qui *Matrimonio intemperanter* vtuntur; vnde Mariam Magdalenam, propter libidinem, septem dæmonia, occuparant. Et S. Apostolus Paulus, incestuosum Corinthiũ, sathanæ tradidit. Et quia septem Saræ viri, non eo, quo decebat, modo, carnalem eius copulam expetebant, licuit Asmodæo, omnibus & singulis, iugulum frangere, & prima nuptiarum nocte, omnes ad vnum collifragio mactare. Sic ob libidinis affectum, & exterioris ornatus, quo homines ad libidinem prouocantur, curiosam & immodicam nimietatem, refert S. Hieronymus iuuenculam quandam, à dæmone, per maleficum immisso, dirissimè vexatam fuisse. Hinc dæmoni, & veneficis etiam, in homines libidinosos, & in actum coniugalem, iniuriosos, tum quod non eo, quo decet, affectu, eum expetant; tum quod non, quo decet modo, & verecundia exequantur, plus licere, quàm in reliquos omnes peccatores, sancti Patres & Ecclesiæ Doctores, apertè affirmant. Sic S. Prospero referente, puella quædam, quæ nudam Veneris statuam, contemplata, in seipsa in libidinem exardescens, illicò à dæmone correpta fuit. Nec mirum: Nam sicut mundis corde, clara Dei visio promittitur; Sic impuris & lasciuis corde, dæmonis familiaritas & consortium debetur. Vnde compertum

III. Libido carualis.
1. Exempla scripturæ.
Marc. Vlt.
1. Cor. 5.
Tob. 6.

2. Historia è S. Hieronymo in vita S. Hilarionis.

3. Veneris nudam statuam aspiciens, corripitur à Dæmone
Lib. de dimid. temp. c. 6.
4. Dæmones carnalibus obscenitatibus.

tum habemus, dæmones hominum obſcænitate, apprimè delectari, & maleficas omnes, Veneris mancipia eſſe, nec inter eas vllam Virginem permanere. Cauete vobis, ô coniuges, à Matrimonij exceſsibus, quos diabolus legitimo eius vſui, ſolet immiſcere, ne diaboli & maleficorum inſidijs, pateatis. *Induite vos armaturam Dei*, pugnate contra omnia libidinis incentiua, *vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

IV. Afflictio aut cædes bonorum.

1. Geilana interfectrix S. Kiliani. Sur. Tom. 4. 8. Iulij.

Permittit Deus, vel à diabolo caſtigari, vel à maleficis lædi, qui *ſanctos & innocuos viros*, vel *iniurijs afficiunt*, vel quod peius, iniuſtè *occidunt*. Sic legimus de Geilana, vxore Gosberti, Fr࠶āconiæ Ducis, quæ S. Kilianum & ſocios eius, clanculũ iuſſerat occidi, res autem ſic fuit patefacta: *Vnus eorum, qui ſanctos viros gladio peremerat, ſubitò à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit: Kiliane, acriter me perſequeris; igne enim conſumor, quod feci celare non poſſum. Video mihi imminere gladium, tuo ſanguine reſperſum. Talia diu vociferans, & proprijs dentibus ſe lanians, à præſenti vita, migrauit ad pœnas æternas; Alter verò cœdis ſanctorum & ipſe conſcius, à diabolo in rabiem actus, gladio ſe petijt, effuſiſq; viſceribus, per tormenta præſentis temporis, ad perpetua venit. Quiſnam Geilana, talia tibi cernenti, ſenſus tunc tibi erat? infelix cruciatibus aucta furebas. Non multò poſt, & ipſa bellua, de qua loquimur, cruciatibus dæmonis arrepta, quantis poterat, vocibus clamabat: Iuſtè torqueor, quæ ſanctis viris tortores adhibui; rectè crucior, quæ cruciatus illis paraui. Acriter inſtas Kiliane, ignem accendis Colomanne, fomenta miniſtras Totnane, ſufficiat vobis viciſſe, nimis veſtras vlciſcimini iniurias; Interea ſic à dæmonibus torquebatur, vt à multis robuſtiſsimis viris; teneri haud poſſet. Magno tandem boatu, à diabolo occiſa, ad cruciatus diabolo paratos, perpetuò migrauit.*

2. Rex Boleſlaus hoſtis S. Stanislai. Sur. Tom. 7. 8. Maij. in eius vita.

Sic etiam Boleſlaus, impius Poloniæ Rex, ob iniurias S. Staniſlao Epiſcopo & Martyri illatas, & ſacrilegam eius cædem, Anathemate ictus, amens, à diabolo effectus, à canibus proprijs, dæmonum opera, in rabiem actis, tandem miſerrimè perijt omnino vſque ad oſſa deuoratus.

3. Calumniatrix S. Gregorij. In vita S. Gregorij Agrigentini. Sim. Metaph.

Sic impia fæmina, quæ fædam libidinis calumniam in S. Gregorium Agrigentinum comminiſcebatur, & in vulgus ſpargebat, à diabolo rapta, & horrendum in modum fuit excepta. Cauete male loqui de hominibus, pijs & religio-

religiosis, & præcipuè innocuis: Deus id non patitur, vt videtis: Nam quia Deum in sanctis suis lædunt, & sanctos ipsos contumelia afficiunt, ideo de talibus dicitur in Psalmis: *Duplici contritione contere eos Domine Deus noster*: *Induite vos* ergo *armaturam* DEI, & contra hanc infestationem Iustorum viriliter depugnate, *vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.* Hierem. 17.

Permittit Deus, vt quis vel à diabolo, vel à ministris eius lædatur, *ob impugnationem agnitæ veritatis.* Vnde talibus Apostolus Paulus expresse comminatur: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris:, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non credunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Sic in vita S. Ottonis legimus, quendam è Nobilioribus Pomeranis, sancto Præsuli fidem, infidelibus prædicanti, pertinacissimè obsistentem, à diabolo arreptum, horrendissimas pœnas, dedisse, ita vt quam plurimi videntes, ab iniurijs eidem inferendis, absterriti cessarent. O quam sæpè agnita veritas in hac ciuitate, vel munerum, vel fauoris gratia, ab illis, qui Iustitiam administrare tenentur, opprimitur? Cauete; est peccatum in Spiritum sanctum, & ianuam aperit diabolo, vt vos pro libitu, Deo permittente, possit infestare. *Induite vos armaturam Dei*, hostem contraria suadentem exterminate, *vt poßitis stare, aduersus insidias diaboli.* V. Impugnatio Veritatis. 2. Thess. 2. Timo. Presb. Lib. 2. vitæ S. Ottonis.

Permittit Deus, vt homines, vel à diabolo, vel etiam à Magis facilè lædantur, ob blasphemiæ peccatum, ob quod etiam Apostolus Paulus, Alexandrum & Hymenæum hæreticos, in Deum & veritatem blasphemos, dæmoni torquendos permisit. Sic Thomas VValdensis, oculatus testis scribit, anno Domini. 1384. se præsente, ab Archiepiscopo Cantuariensi, in Ecclesia S. Pauli Londini, monitum sartorem quendam hæreticum, vt sacræ Eucharistiæ reuerentiam exhiberet: cui hæreticus, qui sartor erat: *Verè aranea dignior est reuerentia. Sed illicò*, inquit VValdensis, *de alto culmine tecti, descendens ingens, horrida visu aranea, ad os blasphemi, directo filo peruenit. Et dum sartor loqueretur, vt intraret per polluta labia, sollicitè laborabat.* Sic dæmon, impium & blasphemum hominem, in specie araneæ obsidebat. Et hodierno etiamnum die, inueniuntur apud nos, qui de diuinis, VI. Peccatũ Blasphemiæ 1. Timoth. 1. 1. Blasphemũ Diabolus specie araneæ obsidet. Vide Bredẽbach. Lib. 1. Collat. Sacrarum.

uinis, admodum ſcabioſè loquuntur. Deſiſtant, obſecro, ni ſimilem aliquando vindictam, velint experiri.

2. Blaſphemãtes Sanctiſſima Sacramẽta, quam grauiter peccent. Leuit. 14.

Longè execrabilius illi Diuinam Maieſtatem offendunt, qui vbi vel leuiſsime indignantur, in ſanctiſsimorum Sacramentorum, Crucis ac Paſsionis Dominicæ blaſphemias, erumpunt, immemores terribilis illius ſententiæ, quam Deus in blaſphemos pronunciauit in veteri Teſtamento: *Educ blaſphemum, præcipit Moyſi, extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum vniuerſus populus.* nec fruſtra dixit Dominus DEVS. *Non aſſumes Nomen Domini* DEI *in vanum;* quid ita! *Qui maledixerit* DEO, *portabit peccatum ſuum, qui autem blaſphemauerit Nomen Domini, morte moriatur.* Sicut igitur ex blaſphemijs agnoſcitur, homo, eſſe filius Diaboli, omnis blaſphemiæ parentis; ſic ex innumeris hiſtorijs conſtat Diabolum etiam in hac vita in blaſphemos deſæuiendi poteſtatem à Deo accepiſſe. Sic referente S. Gregorio Magno, quinquennis puer, Parentum indulgentia blaſphemijs aſſuetus, in ipſo Patris complexu, à Dæmoniacis ſpectris, terretur & exanimatur. Sic blaſphemus, alius, de quo Balæus & Thomas Cantipratenſis, protruſa de more blaſphemia, à Diabolo inuaſus, oculis euerſis bouina immugiens voce, ſontica conuulſione confectus, & emaceratus, blaſphemum Spiritum, in manus Dæmonis conſignauit. Sic alius blaſphemus ſimilis, referente B. Petro Damiano, inter ludendum, horrendas euomens blaſphemias, à Diabolo correptus, & immaniſsime pulſatus, inflata facie, ardente atque tumente, lingua, in longum protenſa, horrendè vlulans, tartaream animam, hoſti, cui deuouerat, dono tranſmiſit. Mihi credite, ô blaſphemi, Deus, quem tot quotidie blaſphemijs, enormiter offenditis, non irridetur. Et ſi mihi fidem non habetis, præualeat authoritas Apoſtoli Pauli, cuius eſt verbum: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

Exodi 20.

Leuit. 20.

2. Dæmon accipit poteſtatem in blaſphemos. Lib. 4. Dialog. c. 18.

4. Alius blaſphem⁹ punitus Balæus Centur. 8. cap. 41. Thom. Cancipr lib. 2. c. 48

5. Simile Exẽplum. Epiſt. Lib. 2. Ep 17. ad Deſideriũ Abbat. Caſſinenſem.

Hebr. 10.

6. Friuola excuſatio intẽtionis reiecta.

Nec valet illa friuola prætenſio: *Non intendo blaſphemare crucem & vulnera Chriſti, nec Sacramenta, eius ſanguine obſignata, etiamſi talia quandoque verba, ex iracundia profundam: abſit à me, tanta impietas.* Aſt

tis. Ast è contra ego tibi dico: Vade & Principem tuum aliumuè Dominum, nebulonem aut furciferum, appella; & ideo in ius vocatus, te excusa: *Domine mens mea non erat contumeliam vobis irrogare*: Quid? an te excusatum habebunt? Minimè gentium, verba, vt sonant, & accipiuntur & puniuntur. Annon promeritas pœnas lues? idem statue de blasphemijs, quas adeò temerè, in diuinam maiestatem euomis, & eructas. Consuetudinem porrò blasphemandi quid mihi obtendis? Num eam blasphemiarum tuarum grauissimam malitiam, extenuare, ac diminuere credis? num à diaboli culpa, te excusare, opinaris? falleris mi homo; toto aberras cœlo: Num consuetudo furandi excusat furem à Patibulo? neque consuetudo blasphemandi te olim excusabit à gehennæ incendio. Iudex ait furi: *Si furtis asseuisti, assuesce & patibulo*: Dicetur tibi à Iudice supremo: Consuetudinem contraxisti in effutiendis blasphemijs, consuetudinem imbibe, in sufferendis, nunquam finiendis supplicijs: Non extenuat malum mali, consuetudo, sed auget & exaggerat. Audi S. Gregorium: *Quot vicibus praua frequentationis homo, adstringitur, tot quasi vinculis ad interitum, ligatur.* Nec frustra monet sapiens Ecclesiastes: *Fili peccasti? non adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt dimittantur tibi.* Noli fidere prauæ cõsuetudini, siue in blasphemando, siue in iurando, siue execrando, ac te vel alios, diabolo deuouendo; summum periculum æternæ damnationis, inest prauæ consuetudini: *Peccator* enim *in profundum* corruptæ consuetudinis, *si venerit, contemnit*, dum grauissima peccata, leuissima reputat, & ex contemptu, liberius peccat. Fit hîc, quod S. August. metuit: *Peccata licet magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, adeò vt non solùm occultanda; Verum etiam iam prædicanda, ac diffudenda videantur.* Non itaq; peccatum alleuiat, sed aggrauat; Maledicta blasphemandi consuetudo: Sicut enim clauus, quo sæpius ac fortius malleo verberatur, tantò profundius parieti infigitur; sic detestanda blasphemandi consuetudo, grauissimum illud crimen, tanto altius ac fortius, animæ infigit, quãtò frequentius blasphemando, diuina vindicta, vberius cumulatur.

7. Consuetudo non excusat blasphemiam.

Lib 4. Moral.

Ecclesi. 21.

8. Periculum malæ consuetudinis.

Prouerb. 18.

Enchirid. c. 18.

Simile.

Vultis

Vultis ergò, dilectissimi auditores, ab omni dæmoniaca vexatione immunes ac liberi permanere? *Obedite præpositis vestris & subiacete illis*; odium & rancorem cordis, in proximum radicitus extirpate, libidinosę carnis illecebras fugite, piorum hominum Dei seruorum afflictiones fugite, veritati non obsistite, *ab omni* blasphemię *specie abstinete*, sic nullam in vobis partem, malignus hostis obtinebit, adiuuante Deo nostro IESV Christo, qui est benedictus in sæcula, Amen.

CONCIO XIII.

SEPTEM ALIA PECCATORVM GENERA, OB QVAE DEVS PERMITTERE SOLET, vt homines, aut à dæmonibus infestentur, aut à maleficis, mediantibus diabolicis ligaturis, lędantur.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

QVicunq; hostibus suis, aut alijs nocere appetunt, oportuna, ad nocendum, media inquirunt. Hoc vnum agit iuratus humani generis hostis, vt homini, si non in anima, saltem in corpore, qualemcunque noxam, valeat inferre. Id verò, cum sine peccatis nostris effectum dare non possit, omnem vitam nostram, oculatissimè obseruat, vt occasionem quamcunque, nobis nocendi, deprehendat. Inter alia porrò peccata, quæ ad nocendum, ianuam reserant, præter ea, quæ præcedenti sermone, enumerauimus, nunc alia septem, hac vice recensebimus, & magis historicè, quam Theologicè, Deo benè iuuante, pertractabimus, vt inde colligamus, quomodo diabolo, aditus omnis sit præcludendus, ne aut per se, aut per administros suos, homagio peculiari sibi deuinctos, nobis possis præualere. *Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

I. Ob periurium.

Permittit inprimis Dominus Deus, vt homines nimium *temere iurantes*, & exinde plurima periuria committentes, frequentis-

quentiſsimè, vel à diabolo, vel ab eius Miniſtris offendantur, varijſque nocumentis infeſtentur. Nec mirum, præceperat enim Deus, in veteri Teſtamento: *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui.* Iuſſerat Chriſtus Dominus: *Dico vobis, non iurare omninò.* Monuerat Sapiens: *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Non iurandum facilè,* inquit S. Ambroſius, *quia plerumq; multi caſus accidunt, vt non poſsimus implere, quod iurauerimus. Qui autem non iurat, vtique non periurat.* Et S. Auguſtinus: *Benè prohibetur homo iurare, ne conſuetudine iurandi, quia poteſt homo falli, etiam in periurium prolabatur: Deus ſolus ſecurus iurat, quia falli non poteſt.* Sed quid de illis, qui alios facilè ad iurandum prouocant? Audi rurſum S. Auguſtinum: *Qui hominem prouocat ad iurandum, & ſcit eum falſum iuraturum, vincit malitia ſua homicidam, quia homicida occidit corpus, ipſe verò animam; immò duas ſuam primum, eius deinde, quem ad periurium prouocat.* Et verè ita res habet. Vnde Eſſæi quondam apud Iudæos, teſte Ioſepho, inſtar Religioſorum apud Chriſtianos viuentes, ab omni iuramento, in perpetuum abſtinebant. De Clinia quodam Pythagoricæ ſectæ Philoſopho, memorat S. Baſilius, cum iuramento præſtito, trium millium talentorum, mulctam potuiſſet euadere, omninò tamen iurare detrectauit, ſummam potius iniuriam malens tolerare. Refert Bernardinus de Buſtis: Quidam, qui alium induxerat ad peierandum, ſuper re leuioris momenti, noctu ſibi viſus eſt, ab horrendis Cacodæmonibus, ad diuinum Tribunal raptari. Cui Iudex ſubiracundo vultu: *Cur proximum tuum prouocaſti ad iurandum falſum? Domine,* inquiebat, *quia mihi negabat rem meam.* Et Iudex: *Nonne melius erat, perdere rem tuam, quam proximi animam, de cuius interitu certus eras?* Iuſſit ergo vt lictores illi, ſpiritus immaniſsimi, eum horrendè flagellarent, ita vt vibices in euigilantis dorſo, luculenter apparerent. De alio ſimiliter memorat, qui cum periurium coram Magiſtratu commiſiſſet, à diabolo apprehenſus, & ſtrangulatus, illicò mortuus concidit in terram. Alius quidam falsò iurans, ad altare S. Patricij, manum inde retrahere non potuit, & inuaſus à diabolo, horrendè vexatus, occiditur. A-

1. Periurium à Deo prohibitum.
Leuit. 19.
Matth. 5.
Eccleſ. 27.
2. Periculoſum.
Lib. 2. offic.
Tractat in Pſalm. 88.
3. Nemo facilè ad iurandū prouocandus.
Serm. de decollat. S. Ioan. Bapt.
Lib. 2. de bello Iudaico. cap. 7.
Hom. de legendis gentilium libris.
4. Vindicta diuina prouocantium alios ad iurandum.
1. Parte. 1. Roſar. Serm. 15.
2. Ibidem.
3. In vita S. Patricij.
4. In vita S. Nicolai.

4. In vita S. Nicolai. lius iurans temerò & falsò, super altare S. Nicolai, sensit currum veluti quendam, cum maximo impetu, in se agitatum, à malignis hostibus, à quo contritus inuisibili plaga, è medio est sublatus. Alijs denigrati tres digiti, in altum sublati, alijs
5. manus sursum leuatæ, protinus emarcuerunt; Alij sub ipso
6. periurio, terra collotenus dehiscente, absorpti sunt: Alij mul-
7. tò atrocioribus supplicijs, castigati, periurij pœnas dederunt. E pœnis in hac vita peierantibus inflictis, periurij grauitas æ-
8. stimetur. Explorata, mihique perspecta, refero: Viro cuidam laico, bono ac pio Venefica quædam, diu multumque insidiabatur; nec vllum ei nocumentum, siue in corpore, siue in bonis, poterat inferre. Contigit tandem, vt is in litigio quodam, de re satis leui, temeraria quædam iuramenta effunderet, quæ vt plurimum, à vero erant aliena. Exinde malefica illa, cooperante diabolo, potestatem habuit, philtris suis diabolicis, eum variè exagitandi, plurimisque malis diuexandi, vt ipsamet postea confessa est, cum vltimo supplicio afficeretur. Fugite iuramenta, & vel ipso diabolo, magis vitate periuria: Sic induetis *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

5. Periuria summè periculosa.

II. Imprecatio.

1. Virgo diris deuota comedit diabolum sub specie muscæ.

Lib. 5. Formicarij.

Permittit Deus, vt homines, vel à diabolo, vel à maleficis lædantur, *ob imprecationes & diras,* quibus se quis dæmoni, summa temeritate, addicit, vel hoc vel illud sub eius nomine & auspicijs, inchoat, aut finit. Sic Ioannes Niderus recenset, virginem indignatione commotam, cum ob fractum vas quoddam, terreum, à cognata grauius obiurgaretur, noluisse postea cibum sumere, cumq; à cognata vi impelleretur, ex impatientia erupit: *Si me oportet comedere, in nomine diaboli fiat*; sic mensam accessit: *& primo morsello, vti putabat, muscam ori illatam, sensit; quam cum nulla vi eijcere posset, deglutiuit, & immediatè obsessa fuit,* secuta est horribilis obsessæ vexatio, quæ tandem longis, & diuturnis exorcismis, vix potuit terminari.

2 Diabolum aduocans, dãno suo præsẽtem sensit.

An verò dubitatis, audire diabolum, cum vos ipsos diris & execrationibus, ei deuouetis? an eum ad nocendum paratum esse, & si Deus permitteret, vos illicò ad infernum rapturum non creditis? Hoc ipsum historijs testatum faxo. Commemo-

memorat Cæſarius iuuenem quendam, impudicæ mulieris amore captum, cum eam libidinis ergo, iuuiſurus, ad eius ædes veniſſet, aliumq; præueniſſe, animaduertiſſet, iratum temerè dixiſſe: Diabolus qui me huc adduxit, etiam hinc abducat: Et ecce quem vocauerat, Diabolus, illicò affuit, hominem rapuit, in aera leuauit, & vltra ciuitatem transferens, iuxta laci cuiuſdam ripam, magno impetu deiecit, aſſerens: *Si te non quocunque modo ſignaſſes, ecce te occiſurus, & in infernum deportaturus eram:* in ipſo namque raptu, inconſideratè quamuis, ſignum S. Crncis fronti impreſſerat. Nihilomiuus tamen à dæmone, dimiſſus, tam grauiter cecidit, vt in terra ſine ſenſu iacens, copioſum ſanguinem vomitaret, & per integrum annum toto corpore tremeret, vt ne bolum panis, nedum ſcyphum ori admouere poſſet: adeo in raptu illo, fuerat perterrefactus. Rurſum, quam facilè ſoleat nocere Diabolus, eis, qui eum aduocant, & laceſſunt, præſertim ante vel ſub ipſa corporis refectione, Exemplum recenſet terribile, Ioannes Niderus: *Quidam, alioquin, vir primarius, & in ſe bonus, cui maleficæ ſæpius inſidiabantur, vt ei philtrum aliquod propinarent, ſed quia manè & veſperi, ſemper ſe crucis ſigno deuote ſignabat, ac Deo, eius Matri, & Angelo ſancto ſe commendabat, non poterat ei quiſpiam nocere: verum euigilans quadam nocte, & quaſdam epiſtolas ſcribere volens, exiſtimansq; iam diem imminere, ſubitò expergefactus, minime ſignauit ſe ſigno crucis, & indutus veſtimentis, altos gradus ad conclaue, vbi ſcripturus erat, aſcēdit, quod clauſum inueniens, excanduit, & tantum in hæc verba prorupit: Ego in nomine Diaboli ad lectum reuerti cogor, vix verbum protulerat, ecce præceps per illos gradus, magno cum impetu, deturbatur à Diabolo, quem Sagæ incantationibus ſuis, in eum immiſerant. Ita vt è ſomno excitati famuli, lumine accenſo, eum ſemiuiuum ſanguine proprio, membra madentem, & vſu rationis priuatum, inuenirent. Confeſſus poſtea maleficus eſt, qui maleficium ei ſtruxerat, Dæmonis immiſſi opera id perpetratum.* Multò terribilius exemplum, eiuſdem generis imprecationum, recenſet Martinus Delrio, de nobili quodam Sileſio; Hic cum inuitaſſet conuiuas, illique apparatu iam facto, ſe omnes excuſarent, quod venire non poſſent, iratus hæc verba

Lib. 5. c. 27. hiſt. memorabil:

3. Crucis ſignum omittens à dæmonibus per ſcalas deturbatur.

Lib. 5. Formicarij.

Tom. 2. lib. 3. cap. 5. 4. Diabolos vocans ad conuiuiū.

verba prompſit: *Veniant igitur omnes Diaboli, ſi nullus hominũ vult venire*; atq; vt iram concoquat, ad Eccleſiam ſe confert, & partem concionis audit, interea in aream conuolant, domus, equites quidam terribiles, nigri aſpectu; iubentque, vt ſeruus herum ſuum aduocet, adeſſe hoſpites, quos vocaſſet. Seruus conſternatus nunciat Domino: ignarus ipſe conſilij, Parochũ conſulit, qui omnes ſeruos & ancillas illicò ſuadet domo excedere. Parent monitis; Interim dum properant, omnes, baiula obliuiſcitur infantuli, in cunis iacentis & dormientis. Dæmones igitur incipiunt graſſari, vociferari, more ebriorum, per feneſtras monſtrant dapes & epulas, proſpiciuntque more vrſorum, luporum, felium, & hominum, aliquando ſpectante tota vicinia. Recordatur interim nobilis Pater, infantuli, in cunis relicti. *Ah*, inquit, *vbi Filiolus meus?* vix hæc fatus erat, & ecce vnus dæmon; infantem in vlnis per feneſtras monſtrat: hic propemodum parens exanimatur, timens, ne infantulo infortunatum aliquid accideret. Offert ſe ergò vnus è fidelibus ſeruis, & accepta à Parocho benedictione, Deo ſe commendans, & ſigno crucis muniens, ingreditur audacter cateruam dæmonum, & infantulum vi eripit, ex vlnis geſtantis eum, tota dæmonum cohorte cum impetu accurrente, & horrendè vociferante: *Dic Domino tuo, vt ipſe veniat & tollat infantem.* At ſeruus nihil cunctatus, *in nomine*, inquit IESV CHRISTI *auffero infantem*, eoque arrepto, dæmonibus ipſum nebulonem appellantibus, incolumis cum infante exiuit, eumque Patri reddidit. Durauit ille dæmonum tumultus, compluribus diebus, donec tandem domus ritu ſacro expiata, & luſtrata, denuo habitari poſſet. Rurſum vultis exempla audire, quomodo dæmon eos infeſtet, qui peierantes, hoc vel illud non facturos aut omiſſuros ſe ei deuouent? rem paucis expedio: Recenſet Delrius de virgine quadam, quæ ipſamet cuiuſdam formoſi, pauperis tamen iuuenis, nuptias ambiens, ei matrimonium promiſit. At ille antequam ſtipularetur, eam monuit: Conſideraret quid ageret, timens, ne cum contraxiſſet, retro cederet ac reſiliret, ſeque, vt pauperculum relinqueret. Illa contra, diris

Tom. 2. diſq. mag. lib. 3. p. 1. cap. 7.

5. Virgo temere nubens & Matrimonium retractans.

diris se execrari: *Si alteri nupsero quam tibi*, inquiens, *diabolus me in illis nuptijs, abripiat.* Quid ergo? interiecto tempore, varia & mutabilis iuuencula, mutat animum, relinquit priorem sponsum, cum alio nuptias celebrat. Dum hilares sunt conuiuæ, veniunt duo, quasi Nobiles, incogniti, honoris ergo excipiũtur, & ad mensam collocantur, sublatis epulis, alteri eorum cum sponsa, quæ vigilante conscientia, tristior solitò apparebat, prima chorea offertur: cum qua, vbi bis saltitassent vterq; è conspectu conuiuarum, sponsam abripiunt, sublimem, magno cum vlulatu, & deploratione, imprecationis suæ; altera die quærunt sponsam, sicubi cadauer eius inueniretur, vt sepeliri posset. Sed ecce ijdem, qui rapuerant, dæmones, occurrunt, vestes aureaque monila, referentes, ac dicentes: Non in has res, sed in sponsæ corpus & animam, à Deo nobis fuit concessa potestas. Præcedenti Tragœdiæ aliam subnecto, historiam quæ annos ante viginti, contigit in hac ciuitate. Iuuenis benè nummatus perditissimè adamabat filiam cuiusdã ciuis, minimè inuenustam, qua vt potiretur, non semel diabolo se deuouit, nisi Matrimonio cum ipsa inito, vxorem duceret. Iam imprægnauerat eam, cum ecce amorem suum in aliam reflectit. Prior illa execrationem ei sæpe ad mentem reuocat: Sed surdo fabula canitur. Audierat diabolus semet diris deuouentem, licet ipse non audiret ad seruandam fidem, exhortantem. Suum itaque pignus inuadunt dæmones, obsident fidei datæ violatorem, & horrendissimè exagitant. Ille mirandum in modum furit & debacchatur, nullisque vinculis & cathenis, nec nauticis funibus retinetur; solidissima quæq; retinacula diffringit, robustissima ferramenta veluti ceram comminuit; linguis loquitur quas nunquam didicerat, vt nemo de malorum geniorum præsentia dubitaret. Adhibiti Ecclesię exorcismi; expulsis aliquot dæmonibus; duo pertinaciores, hospitium suum tantisper occupatum tenuerunt, donec miser ærumna sua sapere coactus, primam matrimonij sponsionem, coram Sacerdote confirmaret. Fecit; & dæmones eliminati, liberum dimiserunt. Itote nunc & similiter ludite

Historia quæ contigit in hac Ciuitate.

Idem Martinus Del Rio, 6. Hospes pecuniæ Crumenam militi negans.

cum dæmone, & cum Matrimonij Sacramento. Rursum aliud haud minus terribile: In oppido Spandacensi, in Marchia, sub Ioachimo I. Marchione, & Electore Brandenburgico, miles quidam ægrotans, hospitæ crumenam pecuniæ tradidit asseruandam. Post dies aliquot, conualescens, crumenam repetit, at auara mulier, cum viro pacta, negat se accepisse. Miles importunius vrget, perfidiam obiectitans; Maritus coniugem defensurus, extrudit militem domo, is ira & indignatione rei commotus, stringit ensem, & ferit ianuam. Hospes vicinorũ fidem implorat, queritur, ædes suas violenter oppugnari; accurrunt lictores, militem ob vim illatam, abducũt in carcerẽ, sententia fertur; capitis reum esse, à scabinis pronunciatur, quia ciuicam libertatem violasset. Instante die iudicij, diabolus in carcerem venit, ad militem; periculum vitæ exaggerat, pollicetur liberationem si ei se tradat. Negat miles, aitque, se millies mortem passurum, quàm se illi dedere. Instat iterum diabolus, sed cum nihil efficeret, liberationem pollicetur, sine vlla apposita conditione: *Cum ad iudicium veneris*, inquit, *dic, te Forensium negotiorum imperitum esse & Patrono indigere; ibi ego astabo, cæruleo tectus pileo, plumis ornato. Pete igitur, vt me iubeant, liberè caussam dicere, sine omni tuo detrimento.* Postridie producitur miles, adest & caussidicus, petit eum miles, iudicum permissu, Patronum. Ibi diabolus eruditissimè de iure disputat, defendit militem, eum non esse, rixæ authorem, iubet, loco monstrato, quæri crumenam, ibi inuentam iri. Negat hospes & pernegat, addens diras: *Si abstulimus ei, si ego vel vxor mea, domi detinemus crumenam, veniat diabolus, & me abripiat, & in æternum perdat:* Quam attestationem, vbi sæpius repetijsset, Caussidicus, omissa disputatione, pignus suum aggreditur, irruit, & è medio foro, in conspectu omnium cauponem abripit, in infernum: quo viso, miles, liberatur: Corpus autem hospitis, nusquam amplius comparuit: Ecce fructum eiusmodi dirarum. O quam frequens, in hac ciuitate, est hæc execratio: Hinc non est mirum, tam multos etiam in Matrimonio, constitutos, diabolicis ligaturis posse maleficiari: nam quotidianis eiusmodi diris,

diris, ſe ſe diabolo lædendos, obijciunt, ac ſi quis, ad canem, cathena ligatum, appropinquet. Noui exempla huius rei quam plurima, quæ non liceret, vel longiſsimo temporis tractu, recenſere: Vnico contentus ero, abs me, in miraculis, Deiparæ Virginis VVeyerenſis, in hæc verba deſcripto: *Bambergæ Andreas* Schermesser/ *Ciuis & Coriarius Bambergenſis, habitans, in arenaria platea, cuidam vicino ſupramodum infenſus, & infeſtus diris, atque ipſis malis genijs, ſe ſe deuouerat, corpore non ſolum, ſed & cum anima, ipſorum poſſeßioni ceſſurum ſe ſe, niſi quem oderat, hoſtem ſuum trucidaſſet. Nec defuit impiger atque ad hominum perniciem induſtrius Cacodæmon, partibus ſuis, in adeunda ſui iam iuris facta, domus poſſeßione. Ergo hominem impetu validißimo aggreditur, interdiu noctuque, quietis præſertim tempore, ſic torquet, ſic excarnificat, vt gelido ſudore, ex omnibus membris guttatim erumpente, nihil aliud cogitare, nihil in memoriam reuocare valeat, quam vel ſeipſum ſuſpendio ſtrangulare, aut gladio cultroue, confodere, aut in flumen præcipitare, aut vxorem vel liberos, aut quemuis obuium, ſiue amicum, ſiue inimicum, quauis occaſione, è medio tollere. Tanta porrò cogitationum iſtarum concertatio, tantus cum impetu furor erat, & vehementia, & temperare ſibi, & manus violentas, continere vix poſſet. Et hoſtis inſuper ad tàm atrox ſcelus perpetrandum, tela vbique, arma paßim, occaſiones, nullo non loco, ſuggerebat. Incendebatur internus mentis furor, externis quoque compluribus, variarum, quas ſibi perperam imaginabatur, iniuriarum repræſentationibus, adeò vt vel muſca parieti, obrepens, humanæ cædis incitamentum, præberet. Non deerat officio ſuo bonus ac tutelaris genius; nam ſæpius, eo agente, inijciebatur ſcrupulus execrationum, quibus in corpore pariter, & anima, diabolicæ Tyrannidi, ſe proprium dicauerat, & exinde pœnitudo aliqua ſuboriebatur; Sed nec ſeria nec firma; omni momento reuertente, atrociſsima illa homicidiorum committēdorum infeſtatione. Quin etiam parricidio inter priuatos parietes committendo, ſæpe ſæpius iam accinctus, funeſta tela, diuina quadam, & occulta, vi, ſibi è manibus extorqueri perſenſit. Malum erat & graue & diuturnum; nec idoneum ei medicando remedium occurrebat. Deo tandem vicem eius miſerante, inuiſitur ab illis, quorum vocationi ſaluti animæ eius aduigilare, ex officio incumbebat; ab his ſeriò monetur, ſi ſuæ cupiat ſaluti conſultum, atque ab illa maligni infeſtatoris exagitatione liberari, ſolida fide, integraq;*

fiducia,

7. A diabolo alius mirè vexatur.
Lib. 3. Miraculoſorum beneficiorum Deiparæ Virginis Weyerenſis.

fiducia, ad Deum confugiat, & gloriosæ Virginis Dei Matris, intercessionem, cum voto ad sacram eius domum VVeyerensem, ardenti prece expostulet, non ambigens de petitionis effectu; Annuit ille, tædio longissimi temporis molestiarum, disponiturque ad integram, totius vitæ; exomologesin, quam nunquam fecerat, ritè obeundam, sacramque synaxin suscipiendam. Fit votum, adhibentur cætera, quæ ex Ecclesiæ præscripto, vsurpari consueuêre. Compescitur & fugatur dæmon, & hominem ita liberum relinquit, in hanc horam, vt nullam amplius vexationem, eiusmodi, ausus fuerit intentare. Media itaque hyeme, mense Februario, in profundissimis niuibus, cum aliquot pijs hominibus, qui præsidij causa, timentes, ne forsan diabolica exagitatio, rediret, aut viæ, aut certè deuotionis comites, se se adiunxerunt, itineri se accingit, sacram Deiparæ VVeyerensis memoriam inuisit, voti solutionem dependit. Atque vt eò maiori gratitudine liberationis beneficium reiteraret, quam plurimis postea auctor fuit, vt abominabilem, diris ac dæmoni se se deuouendi consuetudinem, omninò abdicarent. Sic piscator ictus sapiebat, sic alios exemplo suo, sapere docebat. Induite ergo *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

III. Vsura 1. Moniales VVertamenses lib. 3. dæmonomaniæ cap. 1. Ex. VVieri. lib. 4. cap. 10.

Permittit Deus, vt homines à diabolo, vel à maleficis vexentur, *ob vitium vsuræ,* vbi homines vacant iniustis lucris: sic refert Bodinus VVertamenses Moniales, in comitatu Hornensi, amplius tres annos, à malignis spiritibus dirissime vexatas fuisse, quod libram salis, cuidam vetulæ, quam sagam esse nesciebāt, ea lege & conditione commodauerant, vt post menses duos, tres libras salis redderet. Quod mulier quidem facit, at cum è sale illo gustassent, eodem momento, à malignis spiritibus obsessæ, sunt omnes, & miris horrendisq; modis, diu multumq; vexatæ, exemplo suo docuerunt, fæneratores omnes diabolicę potestati subiectos. Quid miramini, tot iam homines à diabolo, per maleficos lædi varijsq; detrimentis affici, cum vsura & iniusta lucra, sic iam sint in vsu, vt ob frequētiam, non amplius, peccata esse credantur? Iniusta lucra, non lucra, sed verè animarum detrimenta, cum Mammonistas suos, si non semper in corpore, in anima tamen indubitatò, dæmoniacæ subijciant potestati. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

2. Vsura patefacit Ianuam diabolo.

Permit-

Permittit Deus, vt homines, vel à diabolo vel ſagis, detrimenta capiant: *Ob duritiam erga pauperes,* quibus, cum ſine diſpendio poſsis dare, Eleemoſyna, denegatur: Hinc ſcribit Martinus DelRio; *Notatum à nonnullis, ſagas, quibus à ſathana ſemper eſt impoſita neceßitas, hominibus nocendi, ſi deſint, quibus noceant, vt ſuis inimicis nocere valeant, Eleemoſynam emendicare, quam ſi quis, dandi facultate præditus; ſagas eſſe ignorans, denegârit, hunc illicò maleficijs ſuis, lædere poſſunt: ſin autem dent Eleemoſynam, nullam planè nocendi habent facultatem.* Secus ſi quis ſciret ſagas eſſe, & tamen daret illis, vt earum fauorem quæreret, nam talis, vt fautor diaboli, ab eo lædi poſſet. O magnum Eleemoſynæ priuilegium. Sic ſcribit Bodinus, Pictauij Anno 1567. duos magos captos, & in tortura faſſos, ſe quadam die, ſqualidos & egentes, ante fores prædiuitis cuiuſdam Patrisfamilias, Eleemoſynam poſtulaſſe, qua recuſata, ſortem inieciſſe, & domeſticos omnes in rabiem actos, obijſſe furioſos. Videtis ô immiſericordes, Euclíones, qui pauperes adeo crudeliter à vobis repellitis, cuinam periculo ſubiaceatis. *Induite vos* igitur *armaturam Dei*, Eleemoſynarum erogationibus crebris, animas veſtras communite, *vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

IV. Duritia erga pauperes. Lib. 3. diſquiſit. Magic. p. 1. q. 7. 1. Eleemoſynas danti non poſſunt nocere Sagæ. Lib. 3. Dæmonomaniæ cap 25. 2. Eleemoſynas denegâti nocent.

Permittit Deus, homines à diabolo, aut à ſagis moleſtari, *ob irriſionem rerum ſacrarum & abuſum Sacramentorum*, ac cæremoniarum Eccleſiæ, Catholicæ contemptum. Scribit Victor Vticenſis, Proculum quendam Arrianum, qui de pallis Altarium, Camiſias & fæmoralia, ſibi confecerat, à diabolo inſeſſum, fruſtatim ſibi voraſſe linguam, & ſic turpiſsima morte conſumptum. Optatus Mileuitanus refert, Donatiſtas Euchariſtiam Canibus obieciſſe, qui à dæmonibus in rabiem acti, ipſoſmet Dominos ſuos, deuorarunt: Scimus Nobilem quendam, cuius Nomini & familiæ parcendum, in aulis quorundã Principum, maximum deriſorem, Cæremoniarum Eccleſiæ Catholicæ, & in primis ſacrarum peregrinationum ad Diuæ Virginis VVeyerenſis AEdem, à dæmonibus breui poſtea correptum, linguam ſibi mordicus commanducaſſe, & cathenis alligatum, ſe ipſum dentibus laniantem, vitam horribili

V. Irriſio rerũ Sacrarum. Lib. 1. Perſecut: Vãdalicæ 1. Procul⁹ Altarium pallas prophanans. Lib. 2. contra Parmen. Donatiſtam. 2. Euchariſtia canibus obiecta à Donatiſtis.

exitu terminasse res est omnium notitiæ inuulgata. Caueant sibi derisores eiusmodi, qui tàm facilè illudunt rebus diuinis, & aliquando tàm ridiculè de illis loquuntur, ac si salibus ac iocis, haud essent dighiores. Et sic dæmoni, & ministris eius, se se lædendos exponunt *Induite vos armaturam DEI, vt poßitis stare, aduersus insidias diaboli.*

VI. Indignè communicantes.

Permittit Deus homines à diabolo vel à sagis, siue in corpore, siue in bonis, damno aliquo aut detrimento affici, *qui indignè*, & non integrè peccata *confeßi*, fine vllo metu iudicij diuini, *sacram Eucharistiam sumunt*, ait enim Apostolus: *Propterea multi inter vos infirmi:* Sic refert S. Cyprianus, tales complures tempore suo, cum indignè Eucharistiam sumsissent, coram omnibus à diabolo obsessos, vehementissimeque exagitatos fuisse Sic scribit Gregorius Turonensis, Epachium Presbyterum, eo quod in sacra natiuitatis nocte, semiebrius, sacra mysteria celebrasset, & Eucharistiam sumsisset, à dæmone occupatum, instar equi hinnire cœpisse, nec sacram hostiam sumere potuisse; sed in terram proiectum, cũ stridore dentium, horribili spumantem, vitam omnem in hac miseria finijsse. Sic vos omnes quotquot grauiora peccata in Confesione, confessarijs vestris occultatis, & nihilominus communicatis, estis in potestate diaboli, omni momento, vt, si Deus permittat, vos lædere, & per veneficos, quacunque molestia afficere posset. *Induite* ergo *vos* post hac *armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli,*

2. Cor. 11.

Serm. 5. de lapsis.

Lib. 1. de gloria SS. Mart. cap. 78.

II. Superstitiosi.

Permittit Deus, vt tum à Diabolo, tum à Ministris eius lædantur, omnes *qui vtuntur superstitiosis chartis*, Characteribus, amuletis diabolicis, annulis è Cathena patibularia, confectis, peregrinis diabolorum nominibus, siue auro siue argento siue alteri metallo insculptis; Quicunque enim talia gestant, & eis fidem habent, omni momento, sunt in potestate diaboli, & veneficarum, vt si Deus vel vnico momento, custodiam suam subtrahat, siue à diabolo per se, siue etiam à veneficis, lædi possint. Exemplo sit vobis, Puerpera quædam, quæ dum in puerperio suo, à spectris horrendè vexaretur, & aliquando infantulus

1. Puerpera Superstitiosa vtés amuleto, à dæmonibus molestatur.

tulus, media die, ab vberibus eiusdem, & è manibus eriperetur, neminem tamen videns, & alias, quas recensere nolo, vexationes perpessa, cum abs me consilium efflagitaret, ante omnia exploraui, annon tale quid superstitiosorum amuletorũ, se penes haberet? inuenta igitur est argentea tabellula, quales olim Iudæi, in magna copia, contra Epilepsiam vendere, & Patrini infantibus, pro Xenio transmittere, solebant: Iussi ergò, vt superstitiosum illud amuletum, cui verba quædam nihil significantia, *Habi, Dabi, Haber, Heber*, &c. insculpta erant, protinus amoueret, & ab aurifabro liquari, atque in capsellã, cui particula Agni Dei, includeretur, redigi curaret. Vix amota erat superstitiosa illa tabellula, & omnis infestatio diabolica, apud eam protinus cessauit. Quin etiam compertum fuit, ex vsu illius superstitiosi signi, infantulos, qui nunquam Epilepsia laborauerant, cum primum ad collum eis appenderetur, illicò Epilepsia laborare cœpisse; cum amoueretur, Epilepsia iterum caruisse. Qua de re, ante annos circiter sexdecim, cum adhuc Ecclesiæ Cathedralis concionator essem, integram Concionem insumpsi, & vidi postea apud vnum aurifabrum, tantum eiusmodi tabellarum numerum, qui duas, & dimidiam argenti libram æquaret. Alius quidam apud me conquerebatur, se pariter & vxorem, quotiescunque Matrimonio vti vellent, vt decet Christianos coniuges, piè & modestè, sentire semper, quasi spectrum quoddam, tactu frigidum, inter ipsos, se se quodammodò inijcere, & illos impedire, ita vt maximo timore atque pauore correpti, ab aliquo tempore, vix sibi mentis compotes esse, viderentur. Disquisiui, & excussi varia, & tandem reperi, vtrumque coniugem, vti annulo superstitioso, in die Parasceues, ante solis ortum, è cathena patibuli fabrefieri solito, quem in digitis gestabant, à plurimis annis. Iussi ergò, vt cũ detrahi non possent, ex longo vsu, lima detriti, ac soluti abijcerẽtur, & ipsi peccata confessi, sacram synaxin reciperent. Cessauit omne Phantasma illicò, & cum antea pluribus annis, steriles in matrimonio vixissent, tandem prolis optatam benedictionem, sunt assecuti. Quotquot igitur

2. Infantulis ex Superstitione Epilepsia caussatur.

3. Ob superstitioné spectrum Impedit vsum Matrimonij.

tur eiusmodi superstitiosis amuletis, & vetularum carminibus, contra hunc vel illum morbum vtimini, scitote vos omni momento, diaboli, aut eius complicum læsionibus ac nocumentis, expositos esse. Fugite canem, ni velitis ab eo morderi. *Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

VIII. Violatio Festorum in primis Patronorum. Exempla plurima.

1. Lib. 2. c. 26.

2. Iacob. Mayer. lib. 2. Annal. Flandriæ.

3. Barō. Tom. 10. Ex canonizat. S. Vdalrici.

4. In vita eius apud Surium.

5.

Permittit Deus, vt tum à diabolo, tum à Ministris eius, lædantur, *Violatores festorum dierum*, qui Sanctorum honori, ab Ecclesia sunt dicati. Sic refert Bredenbachius mulierem quãdam hæreticam, in Festo assumptionis Beatissimæ Virginis, Terpati, in Liuonia, sibi balneum calefieri voluisse. Sed cum arida licet ligna, flammam non conciperent, agente tamen diabolo, domus eius tota, & omnis vicinia conflagrauit. In eisdem ferijs Beatissimæ Virginis assumptæ, cum ciuis quidã Taruanensis, interulam sibi fieri vellet; interula sanguineis consparsa maculis, apparuit. Sic fænum siccans in Festo S. Vdalrici, iam in sanctos relati, fæni cumulos, intrinsecus inuenit omninò in fauillas redactos. Sic Sangellenses ciues, in festo S. Othmari laborantes, contra præceptum Ecclesiastici Magistratus, senserunt omnem laborem suum, à diabolo disturbari. Plurima eorum sunt Exempla, qui sanctorum festiuitates violantes, à diabolo sunt strangulati. Quid mirum, tot in hac ciuitate homines, diaboli insidijs, & præstigijs adeò patere, cum in tota Christianitate Catholica, vix locus inueniatur, vbi Patronorum festa, magis impiè violentur, quam in hoc loco? Non est ergò cur quis quærat, cur tàm multi à diabolo, & veneficis, apud nos infestentur. *Induite vos* igitur *armaturam Dei*, sanctorum Patrocinia, in sanctificandis eorum festiuitatibus, vobis conciliate, *vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

IX. Cur diabolus vtatur opera maleficorum, cum damna ista per se possit inferre?

1. Credit se maiorẽ Deo iniuriam inferre.

Sed quæstio tandem hic incidit: Cur Diabolus, cum damna ista per se possit inferre, sæpissimè tamen malit vti opera maleficorum, quod hic Bambergæ fit vt plurimum? Duas ego inuenio caussas. *Prior* est: Quia credit Diabolus, se hoc pacto, maiorem Deo iniuriam inferre, quando creaturis, ratione præditis, Baptismo ablutis, Chrismate vnctis, abuti potest, ad contumeliam Creatoris. Sic etiam vtendo hominibus,

nibus, pluribus, poteſt nocere: Nam à Conuerſatione Diaboli, homines naturaliter abhorrent, non item à conuerſatione ac familiaritate Magorum, præſertim occultorum. Et ſi Dæmones, ſe ſemper palàm hominibus, corporali ſpecie, vt in ſe ſunt, videndos ingererent, non ita multi fœdus cum illis inirent, aut artes maleficas condiſcerent. *Altera* cauſſa eſt: Quia quædam, per homines poteſt, quæ per ſe ipſum vel non tàm commodè perficere poſſet. Vt exempli cauſſa, ſi reſiſtendum concionanti, aut rectè ſuadenti, ſicut per Iamnem & Mambrem Moyſi, per Elymam magum, ſancto Apoſtolo. 2. Item ſi ſint hæreſes ſpargendæ, vt per Simonem, Ebionem, Lutherum, Caluinum & alios fecit: 3. Item ſi rebus ſacris, abutendum, quod in maleficijs frequentiſsimum eſt, quibus cum per homines abutitur, copioſius lucrum refert animarum, & plures in fraudem inducit, tùm quia impellit, vt ad Magiam addant etiam tàm nefanda ſacrilegia. Hinc tandem conſequitur, vt Deus magis magisq; offenſus, plura etiam indies, Principibus tenebrarum, in miſeros mortales, permittat.

2. Quædam per homines poteſt, quæ per ſe non poteſt.

Eia agite dilecti mei, ſit vobis cordi, omne periurium, diras & imprecationes omnes, Diabolicas, & ſimilia grauiora crimina, crudelitatem inprimis erga Pauperes, ſacrilegas, rerum Deo conſecratarum, prophanationes, indignam Dominici corporis participationem, Feſtorum violationem, & ante omnia, variarum ſuperſtitionum praxin, exterminare; Mihi credite, malignus hoſtis, non facilè artibus ſuis, vos aggredietur. Superſtitiones vt fugiatis, iterum atq; iterum vobis inculco: vos eas parui æſtimatis; ſunt autem reipſa Diaboli Rudimenta, quibus homines inſtruit ad Magiam: Nam ſicut pueri in ſcholis, vt fiant Doctores, incipiunt ab *A. B. C. D.* deinde colligunt literas; poſtmodum legunt & declinant, nomina, & coniungunt verba; deindeque propoſitas lectiones memoriæ mandant, & argumenta componunt; ac demum per omnes artes, liberales tranſeunt vſq; ad Doctoratum: Sic eundem in ſchola ſua Diabolus proceſſum obſeruat: Primò perſuadet ſuperſtitiones; deinde vanas obſeruationes, poſt-

Superſtitiones Diaboli Rudimenta.

Simile.

modum sacrilegia, & similes diabolicas artes introducit. Tametsi verò, sicut qui in scholis discere incipiunt, non omnes fiant Doctores; ita nec omnes superstitionibus dediti, Deo præseruante, Magi aut Sagæ euadent: Nihilominus immanissimus ille Magister, coram diuino tribunali, gloriari poterit: *Iste superstitiosus, & vanitatum obseruator, meus fuit dicipulus*, vnde iuris aliquid, in vos sibi volet vendicare. Ergo dum tempus est, nexus & vincula eius rumpite, ne vobis in extremo agone, quod Deus auertat, valeat præualere. Amen.

CONCIO XIV.

DVO REMEDIA SPECIALIA CONTRA DIABOLI ET MAGORVM ATQVE SAGARVM vexationes; I. Fidei Catholicæ firmitas; II. Vita innocens, & Fiducia in Deum inconcussa.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare, aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

DVx milites suos contra hostes, in prælium educturus, ante omnia eos lustrat, & quæ singulis arma tradere debeat, perpendit, vnius cuiusque vires, staturam & qualitates considerando: *Militia* sanè *est vita hominis super terram*, quam diu huius peregrinationis stadium decurrit: Vnde cum nos quotidie ad dimicandum, contra inuisibiles hostes, in campum prodire, & in arenam descendere iubeat, Dux noster, & Imperator CHRISTVS IESVS, res postulat, vt ex necessitate, consilium captantes, arma nobis necessaria, ex armamentario verbi diuini conquiramus. Ea porrò sunt ex parte, Fidei inprimis Catholicæ firmitas, & vita innocens ac pura, cum Fiducia in Deum inconcussa, quibus obarmati, si hosti obuiam prodeamus, facilè poterimus, *omnia tela nequissimi ignea*, elidere, excutere, ac dissipare; ad quod, gratia eius, à quo omne præsidium nostrum, cooperari dignetur. *Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

Iob. 5. Lustratio militũ, & armorum assignatio.

I. Fides Ca-

DEI armatura est, *Fidei Catholicæ immobilis firmitas*, hanc enim,

enim, veluti scutum inexpugnabile præscripsit ante omnia S. Apostolus Paulus: *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum Fidei, in quo possitis, omnia tela, nequissimi ignea, extinguere*: & rursum: *Sobrij simus, induti loricam Fidei, & Charitatis & galeam spem salutis*, Quin etiam, hanc Fidei firmitatem, suadet Apostolus iterum inter cætera: *Fratres, sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui fortes resistite in fide*. Hoc ipsum armorum genus, suasit S. Antonius discipulis suis: *Magna*, inquiens, *dilectissimi, aduersus Dæmonem, arma sunt, vita sincera, & intemerata in Deum, Fides*. Refert etiam Epiphanins: Magorum conatus, vt fæminam quandam Christianam, in amorem pellicerent, in irritum cecidisse, ob insignem eius Fidem, qua Christo Domino ac Deo suo adhærebat, eiusque signaculum, pectori imprimebat. Sic etiam Ioannes Niderus, Magum quendam, sic introducit loquentem: *Cum quidam maleficus alius, me inuitaret, vt quendam inimicum suum, quod ille non poterat, vita priuarem, aut in corpore fulminis ictu, vel præcipitio, grauiter læderem, aut alio medio ei nocerem, vocaui magisterulum meum, id est Dæmonem, qui mihi respondit, quod neutrum possit præstare. Habet, inquit, Fidem bonam, quæ Deo inhæret, & cruce, in actione omni se communit, idcircò non in corpore, sed in vndecima tantum parte, fructuum suorum, in campo, si libet, ei possum nocere*. Ecce limitationem diabolicæ potestatis, ecce tibi ipsissimam diaboli confessionem, quod homini, veram integramque Fidem habenti, non valeat nocere. Sic etiam Cypriano Mago Dæmon, vt S. Gregorius Nazianzenus refert, respondit: *Se Christi Fide munitis, nocere nullatenus posse*. frustra itaque immissis quàm plurimis malignis Spiritibus, Iustinam virginem, ad impudicum amorem sollicitauit: Vnde Cyprianus, videns Christianæ Fidei, admirabile robur, & Dæmonis contra credentes, imbecillitatem, Magiæ ac Dæmonum seruitio, valèdixit, Christique fidem ac baptisma suscepit, insignis tandem Martyr effectus.

Res mira est, quam refert Cornelius Kempensis, circa tempora Imperatoris Lotharij: Cum Frisia Sabellij & Arrij erroribus, dementaretur, in vniuersa, hinc inde prouincia, per

tholica constans & firma.

1. Fidei scutum ab Apostolo cõmendatur.

Ephes. 6.

1. Thessal. 5.

1. Petri 5.

2. Consilium S. Antonij, & aliæ historiæ.

S. Athanas. in eius vita.

3. Hæresi: 30. Ebionit.

4. Formicarij. cap. 4.

3. Diabolus fatetur infirmitatem suã contra habẽtes firmam fidem.

Orat. in S. Cyprianum.

4. S. Iustina Virgo Fide vincit libidinosas Dæmonis tentationes.

5. Fidei Professione S. Odulph9 fugat Dæmonum spectra.

Lib. 3. de origine & situ Frisiæ cap. 31.

per vrbes & oppida, plurima laruarum Infernalium ſpectra ingenti omnium formidine, curſitaſſe, & nocturnos viatores, aut armentorum paſtores, vel puerperas etiam, cum infantibus, in abdita quædam, & ſubterranea, montium latibula, abduxiſſe, cui Dæmonum illuſioni, vt S. Odulphus occurreret, Fidei ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis profeſsionem Catholicam, in chartis deſcripſit, & in Parochias omnes, hinc inde miſsitauit, & à Sacerdotibus, populo prælegi curauit: quo medio, cum populus, in fide Catholica, mirificè confirmatus eſſet, omnia illa Dæmonum phantaſmata, eliminata, protinus, euanuêre.

In vita S. Norberti Surius cap 38.

6. Fide Inconcuſſa S. Norbertus fugat Dæmonem in ſpecie vrſi.

Fidei inconcuſſæ robur, contra malignos genios, & illud mirificè illuſtrat, quod legitur de S. Norberto: *Cum vir* DEI *Norbertus noctem quandam inſomnem orando tranſegiſſet, ſtans ante altare, aſtitit coràm eo, Sathan, inſtar horribilis vrſi, dentibus & vngulis, terribilem præ ſe ſpeciem ferens; cumq; verteret ſe homo Dei, & vellet procedere, vt membra debilia modico ſomno recrearet, ex improuiſo videns aſtantem belluam, expauit. Sed illicò ad ſe reuerſus, & oſtium oratorij clauſum conſiderans, perſecutoris ſui, cognouit eſſe inſidias, & parumper orando, reſumptis viribus, ait: Quid expectas cruenta beſtia? vngulæ tuæ inanes ſunt, & horribiles dentes tui, ventus, & hirſuta pellis tua, fumus & vapor, inaniter tranſiens. recede, præcipio tibi, in fide* IESV CHRISTI; *quibus auditis, hoſtis illicò diſparuit.* Nec mirum, quia S. Viri fidem, ferre non valebat. Quin etiam in hiſtorijs Indicis Maffei, Iarrici, Ioſephi Acoſtæ, Oſorij, legimus, vbicunque in partibus illis infidelium, Chriſti Fides radices egit, omnes illicò Dæmonum præſtigias, exterminatas, omniaque Dæmonum oracula, protinus conticuiſſe. En quanti momenti ſit, veram & inconcuſſam, Eccleſiæ Catholicæ Fidem, integrè & ſincerè amplecti, & non ex media parte Lutheranum agere, quales innumeri adhuc, in hac ciuitate reperiuntur, qui ſanè Diaboli laqueum, nec dum ſolidè euaſerunt, ita vt quotieſcunq; velit, ſiue per ſe, ſiue per veneficas, eis nocere poſsit: *Induite vos* igitur *armaturam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

7. Dæmonum Oracula à Fide Chriſti exterminantur. Bozius. lib. 5. de ſignis Eccleſiæ cap. 15.

I. Vitæ Innocentia &

Quod ſi Fidei firmitati, *vitæ innocentiam, & cuſtodiam*, ſaltem

tem *à peccatis mortalibus* adiungas, quis malus genius, tàm potens erit, vt tibi in corpore vel anima, valeat nocere? consilium hoc, est S. Tobiæ Senioris, filium erudientis: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum, & caue ne aliquando, consentias peccato, & prætermittas mandata Domini DEI nostri.* hoc contra Diaboli machinamenta, Antidotum præscribit S. Augustinus: *Vera pietate homines, aeream potestatem inimicam, contrariamq́ pietati eyciunt, exorcizando, non placando. Omnes tentationes aduersitatesq́ eius, orando vincunt, non proprijs viribus, sed Dei virtute, cuius amore peccatum euitatur: Neminem enim vincit & subiugat sibi Diabolus, nisi Societate peccati. hoc fuge, sic Diabolus tabernaculo tuo non appropinquabit.* Idem etiam pharmacum præscribit S. Ioannes Chrysostomus: *Cum domo tua exieris, id vnum solum custodi, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim est, quod supplantat; hoc est, quod te diaboli telis igneis exponit: præter hoc verò, nec ipse diabolus, te in minimo lædere potest. Quod si te vel per se, vel per administros suos, Deo permittente, quandoque lædat, nolens volens, saluti tuæ consulere cogetur: nam diligentibus Deum & peccata fugientibus, tanquam à facie colubri, omnia cooperantur in bonum.*

custodia à peccatis, cum fiducia in Deum.

1. Medij huius commendatio Tob. 4.

Lib. 10. de Ciuit. cap. 22.

Hom: 21. ad pop: Antiochenum.

Ex hac ipsa mentem à peccatis custodiendi cautela, velut è radice truncus, ex arbore fructus, enascitur, Magna quædã; in Deum fiducia, qua se totum homo, sine omni trepidatione, diuinæ protectioni, committit, vt dicat: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut Passer? Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es;* Fiduciam istam, Fabiolæ suggerit S. Hieronymus, hisce verbis: *Multæ sunt præstigiæ, multi laquei, & innumerabiles pedicæ, quibus animi capiuntur humani. Nos autem in Domino confidentes, dicemus: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Tunc cadent à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris; nec timebimus ab incursu, & dæmonio meridiano, sed obturabimus aures nostras, ne audiamus voces incantantiũ, & Sirenarum carmina negligamus. Post imaginem Dei, quæ in cordis ratione monstratur, & confessionem fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes, & artes maleficæ, ad bella nos prouocant: Sed nos qui habemus preciosissimum thesaurum, in vasis fictilibus, quæ frangi possunt, ita vt quædam*

2. Fiducia nascitur ex inculpabili vita

Psalm. 10.

De. 42. Mansionibus mansi. 37.

Psalm. 90.

Psalm. 59.

vix testa remanserint, in quibus hauriri poßit aquæ pusillum, omni custodia circumdemus cor nostrum, & firma in Deum fiducia circumuallemus, vt hosti nostro, inexpugnabile reddatur. Videtur namque dæmon similis esse, malæ & pernicaci mulierculæ, cui, quantò magis vir cedit, tantò magis illa, viro insultat. At cum sentit virum se ei opponere, & eius contumaciam omninò frangere, decreuisse, nec vnquam destiturum, nisi quod prætendit obtineat, sensim remittit, & authoritati virili, palmam cedit: Sic hostis iste, malignus, cum videt hominem erecta in Deum, confidentia, fallacijs suis, virili animo repugnare, nullo negotio absterretur, & in fugam conijcitur. *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Verè enim vt S. Augustinus audacter affirmat: *Si semel aut secundò, nequitias diaboli, quas per complices suos, immittit cum animo, & tota fide contempseritis, ita ipsum diabolum postea, à vestra infestatione dignabitur Deus repellere, vt nunquam vos poßit, sua calliditate decipere. Homines enim negligentes & faciles, languida desideria, & fidem desidem habentes, & ideo etiam si incipiant, non diu perseuerant, in operibus Dei, sed vbi se dictis sacrilegijs abstinuerint, vel vnam nequitiam diaboli pertulerint, statim pœnitent, se ad Dominum conuersos esse, & machinamenta diaboli reliquisse, iterumque ad vomitum, veluti canes reuertuntur, dæmonum insidijs varijs expositos se se agnoscant.*

3. Dæmon similis peruicaci & litigiosæ mulieri.

4. Resistentia fugatur Diabolus. Serm. 241. de Temp. cōtra auguria.

Huius porrò, contra magicas artes, fiduciæ exemplum perillustre, habemus in B. Ambrosio, qui ob firmisimam in Deum confidentiam, à magicis artibus, nunquam potuit lædi: *Mortua Iustina,* inquit Paulinus Presbyter, *quidam aruspex Innocentius nomine, non vita, nec opere, cum pro caussa maleficiorum, à Iudice torqueretur, aliud quam interrogabatur, fateri cœpit: Clamabat enim, ab Angelo maiora sibi tormenta adhiberi, eo qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus Iustinæ Imperatricis, Arrianæ, ad excitanda odia populorum, in Episcopum, cacumina tecti, Ecclesiæ conscendens, medio noctis, dæmoni sacrificauerit. Sed quantò instantius & solicitius, maligna exercebat, tantò magis populi amor circa fidem Catholicam, & Domini Sacerdotem, conualescebat, Misisse etiam se dæmones, qui illum necarent, fatebatur: Sed dæmones renunciasse, se non solum, ad ipsum appropinquare minimè posse, verumetiam nec ad fores domus, in qua manebat, Episcopus, quia*

5. Exemplum Fiduciæ in S. Ambrosio. In eius vita.

S. Angeli custodis tutela.

quia ignis insuperabilis, omne illud ædificium communiret, vt etiam longè positi vrerentur, atque ita cessasse artes suas, quibus aduersus Domini Sacerdotem, aliquid se posse, arbitrabatur. Eximium sanè exemplum integerrimæ vitæ, & insuperabilis in Deum fiduciæ, qua omnia Sathanæ tela retundebantur. Hac in Deum fiducia, S. Martinus, dæmoni sibi in via, versus Italiam apparenti, se viriliter opposuit. *Dominus,*inquiens, *mihi adiutor, à quo trepidabo?*& illicò euanuit. Hac fiducia armatus Christianorum in Perside Episcopus, castrum quoddam in Indiæ finibus Thundadero dictum, à dæmonibus infestatum, exactis dæmonibus, liberauit & immune reddidit, quo miraculo rem Christianam mirificè propagauit.

6. In Sancto Item Martino Senerus Sulpiti⁹ Dial. 5. Vitæ S. Martini. c. 4.

Vis ergo, istorum & aliorum exemplo, omnem Sathanæ malitiam, à te repellere, & vim eius reprimere, & omninò Magorum incantamenta, eludere ac dissipare? Sit tibi inprimis cordi, peccata euitare, in via Dei mandatorum, immaculato tramite, ambulare, & omnem tuam, in Deo fiduciam collocare: qui si stet pro te, quis contra te? *Si consurgant aduersum te castra non timebit cor* tuum: *Dominus enim protector & adiutor erit,* qui est benedictus in sæcula. Amen.

Psalm. 26.

CONCIO XV.

DVO ALIA REMEDIA, CONTRA INFESTATIONES DIABOLICAS. III. QVOTIDIANA DIABOLI ABRENVNTIATIO. IV. Recursus ad animarum Pastores.

Induite vos armaturam DEI, *vt possitis stare, aduersus insidias Diaboli* Ephes. 6.



QVi virginali puellarum pudicitiæ fallaciter insidiantur, duo molestissimè ferunt: Primum. Si Virgo omnem reciprocum amorem illis abnuat: Deinde, si illorum insidias parentibus aperiat, à quibus facilè impediuntur, ne quod ambiunt, assequentur: Ita planè *animarum venator diabolus,* molestissimè tolerat, si homo ei quotidie abrenun-

ciet, & iniectas ab ipso tentationes, spiritualibus Parentibus, animarum Pastoribus, aperiat ac manifestet: Nouit enim hisce duobus medijs, omnes eius insidias, facilè disturbari, & machinamenta dissipari, ne homini quicquam mali, siue in corpore, siue in anima, valeat inferre: Vt igitur nos induamus armaturam Dei, & laqueos eius euadamus, duo isthæc media, præsenti sermone, breui & perspicuo discursu, contẽplemur.

III. Remediũ speciale Abrenunciatio.
1. Eius virtus.
Matth. 4. & 16.
2. Cor. 2.

Efficacissimum cum primis, contra omnem dæmonis impugnationem, *Remedium* est, si quotidie, antequam domo egrediaris, te istorum verborum, quodam quasi Clypeo, communias: *Abrenuncio tibi sathana, & coniungor tibi Christe: Vade post me sathana: Vade retrò sathana: Non circumueniamur à sathana:* Non solum experientia me hoc docuit, sed è sanctorum Patrum doctrina, hoc ipsum hausi antidotum: Sic enim S. Ioannes Chrysostomus declarat:

2. Suadetur à S. Patribus.
Hom. 21. ad pop. Antioch.

Sicut sine calceamentis vel vestimentis, vestrum nemo in forum descendere eligeret: Ita sine verbo hoc, nunquam in forum prodeat, sed cum es Ianuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbũ: Abrenuncio tibi sathana, & coniungor tibi Christe. Nec vnquam, *sine hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis.* Cum *hoc verbo, & crucem in frontem imprime: Sic enim non tantum homo occurrens, verùm etiam, nec ipse diabolus, te lædere poterit, cum his te armis munitum, cernent vbique apparentem.* Eandem abrenunciationis vim, commendat S. Augustinus:

Lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 9. & 10.

Parata sunt, inquit, *corda vestra, quia exclusus est inimicus, de cordibus vestris. Huic vos renunciare professi estis, in baptismo, in qua professione, non hominibus, sed Deo & Angelis eius, conscribentibus, dixistis: Abrenuncio. Renunciate non solum ore sed moribus, non tantum labijs sonantibus, sed operibus pronunciantibus.* Hæc quippè abrenunciatio, non tantum, vt ita dicam, verbalis, sed potius realis, tam est fortis, tam est efficax, vt omnes diaboli vires exhauriat, & eneruet. Neque enim frustra scribit S. Ephræm:

De Abrenunciatione.

Abrenunciatio, quam in baptismo fecimus, & meritò quidem, quotidiè innouamus, nominata, apparet parua, cæterum intellecta, adeò magna est, in seipsa, quam qui seruare voluerit, fortissimus, & contra dæmonis insidias tutissimus murus erit: Paucis namque verbis, cuncta, quæ nomi-

nominantur, mala, quæque odit Deus, valere iubemus, & eis abrenunciamus: Cuiusmodi sunt, non vnum duntaxat, nec decem, sed quodcunque appellatur malum, puta, abrenuncio, sathanæ, & omnibus operibus eius. Quibus inquam operibus? audi: Fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, inuidiæ, veneficio, diuinationi, incantationibus, augurationibus, blasphemijs, execrationibus, periurijs, & omni diabolicæ negotiationi; quibus omnibus, & horum similibus, abrenunciat Christianus, quicunque in abrenunciatione sancti baptismatis, quæcunque nouimus opera, atque doctrinas diabolorum abiecit. Sit ergo hæc nobis abrenunciatio, semper, non solum in ore & lingua, sed & in corde, & in opere, atque omni consilio, nostro & actione.

Mihi credite, non sic ignis lupum terret, non sic fumus ac fætor & absynthium apes, non sic Ruta fugat serpentes, sicut hæc frequens abrenunciatio, quotidie vsurpata, omnes dæmonum machinationes. Scribit Thomas Bozius, in Iaponia & India, Christianos qui ante susceptam fidem, ab horrendissimis dæmonum spectris, miserandum in modum, creberrimè agitabantur, à Sacerdotibus nostris edoctos, contra omnes diaboli insidias, hoc verbum, *Abrenuncio, tibi sathana,* adhibere, quo prolato, omnia dæmonum Phantasmata, euanescere consueuisse. Mulier quædam, antea dæmoni præstito homagio, deuincta, cum resipuisset, seriaque pœnitentia, dæmonis iugum excussisset, sæpius postea nihilominus, maligni hostis apparitionibus terrebatur. Edocta igitur hoc: *Abrenuncio tibi Sathana,* frequenter in ore terere, linguaque proferre, sic hostem fatigauit, vt eam postea reliquerit immunem. Fatentur denique maleficæ, nec ligaturas, nec maleficia sua, facilè effectum nancisci, apud eos, qui quotidie dæmoni abrenunciant, & se toto corde, integraque mentis intentione, Christo Seruatori suo, addicunt. Quicunque ergo diaboli astus & molimina, cupis abs te repellere, en tibi medium, en præsentissimum adiumentum: *Induite vos* ergo *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

3. Supra modum terret Diabolum. Historiæ 1. Lib. 5. de signis Ecclesiæ cap. 2.

2.

4 Sagarum Confessio de abrenunciatione.

Nec minus validum, contra dæmonum impetitiones, **Remedium** est, recurrere ad Ecclesiæ Pastores, Præsules Animarum,

II. Medium IV. Recursus ad Pastores Ecclesiæ.

1. Eius Exempla. rum, Curatores, Confessarios, ad quos præcipuè, & ex officio pertinet, animas iuuare, & à diaboli Tyrannide, vindicare:
Matth. 17. Sic parentes, qui Filium Lunaticum habebant, ad Christum veniebant, & ab eo consilium efflagitabant, quod re ipsa im-
Matth. 15. petrarunt: Sic mulier Cananæa, pro filia, à dæmone grauiter afflicta, clamabat: *Miserere mei, Fili Dauid, filia mea, malè à dæmonio vexatur*, & tam diu institit, donec filiæ liberationem, extor-
Iacob. 4. queret. *Resistite*, inquit S. Apostolus Iacobus, *Diabolo, & fugiet à vobis*: At fortior non est resistentia, quam fraudulenta inimici consilia, spiritualibus Patribus statim manifestare, & eorum consilium opemque adhibere. *Quemadmodum Incus aliqua*, in-
2. S. Patres eam cõsulunt quit S. Ephræm, *licet semper verberetur, non tamen dat tergum, neque*
De Fide. Tõ. 1. *concauitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet: Sic qui tentationes diaboli, intrinsecus suggestas, & vexationes eius, extrinsecus illatas, ei aperit, qui remedium afferre debet, ac potest, fidelium Christi ouicularum, Præsidi, contra malignitates aërarum potestatum, inuictus erit*. Vn-
In eius vita. de S. Antonius apud S. Athanasium aiebat: *Si quod in pectoribus nostris, malæ mentis & pauoris atque tergiuersationis semen, inuenerint, dæmones mox, quasi Latrones, qui deserta obtinent loca, secretum amantes, & taciturnitatem fraudium suarum, tantò firmius mentem illaqueant, & crudeliter imminentes, infirmam vexant animam. Sin autem alacres fuerimus in Domino, & fraudes inimici prudentibus viris detegimus, nullus dæmonum, ad expugnandum valebit accedere*. Et rectissimè quidem consuluit sanctissimus iste dæmonum Triumphator: Sicut e-
3. Similis proco Diabolus. nim procus ille, qui cuiusdam honesti viri filiæ, amore captus, modis omnibus eam sollicitat, & tentat, ægerrimè fert, si ipsa, siue literas amatorias ab eo scriptas, siue munuscula aut apophoreta, ab illo missitata, Patri reuelat: Sic nihil adeo, vires dæmonis infringit, quam eius conatus, & tentamina, spiri-
4. complures historiæ. tualibus Patribus, manifestare.

Pallad. hist. 19. & 20. Serm. Lib. 6. cap. 20. S. Gregorius. Nyssænus in eius orat. funebri.

Sic qui olim à dæmonibus molestabantur, ad S. Macarium Alexandrinum confugiebant, & secreta sua ei aperiebant, ab eoque auxilium, contra dæmonis illusiones, & phantasmata consequebantur: Sic multi à dæmonibus agitati, ad S. Gregorium Thaumaturgum se se recipiebant, & ab eo consilium

opemq;

opemque, non sine effectu, exoptatoque fructu, exquirebant. Sic multi dæmoniaci, ad S. Basilium, multi ad S. Bernardum, multi ad S. Cutbertum, varij ad alios Ecclesiarum Præsules, ac Pastores, in omni, qua vexabantur, dæmonis, aut præstigiarũ eius, perturbatione, properabant, & à necessitatibus suis, nunquam non subleuabantur. Et vos adhuc in hac ciuitate, *habetis Moysen & Prophetas*, habetis Pastores & Confessarios vestros, quibus si quid tale vobis à diabolo & ministris eius, consciscatur, quod vel in corpore, vel in anima, pariat detrimentum, ad illos accurrite, & tanquam ægroti, apud spirituales medicos, opem efflagitate, non dubitantes, vos voti compotes, euasuros.

Amphiloch. in vita S. Basilij. Guilielm. Abb. in vita venerab. Bedæ.

Tàm potens quippe est remedium istud, vt diuina quandoque vi cogatur, ipse diabolus, homines, quos obsidet, & vexat, ad Ecclesiæ Præsides & animarum Pastores dirigere. Historiam accipite verbo tenus ab authore: *In valle quadam Cisalpina Diœcesis Nouariensis, destituebatur puella sensibus, sed & vmbrarum spectris, quas sibi videre videbatur attonita, ac similis stupenti. Versabatur in vltimis finibus vallis huius, mulier, veratrix & saga, quæ carminibus profitebatur curare, quæ apud alios insanabilia; erant magni ad eam hominum concursus, consilij gratia, & auxilij: Et quamquam reclamarent Sacerdotes, ac secius ostenderent, tamen illis abeuntibus, adolescentulæ genitrix, affectu materno, filiam mittit, consulitq; mulierculam de vmbris, & remedium petit, laboranti. cui venefica illa: Prohibeor ego eam iuuare: adducite illam ad eos, qui apud vos fuerunt, & opem petite. Paret mater, reducit ad Sacerdotem nostrum, ac responsum veneficæ exponit. Cumq; mater vnà cum filia, integrè & sincerè essent confessi, sacraq; Eucharistia refecti, cessauit omnis vexatio Diaboli, & puella sanitati est restituta.*

5. Facultas & potentia huius Medij.

Martin. Del-Rio, disquis. lib. 6. cap. 2. sect. 3.

Discite ex his, non frustra, dum Diabolus vos aggreditur, dum morbi vobis à maleficis, immittuntur, ad sagas, ad incantatrices, confugere, sed ad Patres vestros Spirituales, ad Pastores vestros, qui peruigilant pro vobis, rationem reddituri, pro animabus vestris, tanquam ad Asylum tutissimum, properate, vt per eos opem & auxilium atque salutem impetretis,

tretis, à quo omnis vestra, tàm temporalis, quam æterna salus dependet. Amen.

CONCIO. XVI.

ALIA REMEDIA, IEIVNIVM, CVM ELEEMOSYNA, ET ORATIO FERVENS ATQVE DEVOTA.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

DVo sunt Medici corporalis, præcipuè officia: *Primum* morbi qualitatem & symptomata, cum omnibus circumstantijs accuratissimè explorare: *Alterum* idonea ei medendo remedia excogitare & adinuenire: neque enim sufficit vnum singulis & omnibus, sed varijs complexionibus varia conuenienter applicantur. Id quod etiam locum habet, in morbo Diabolicæ vexationis, cui cœlestis ille animarum nostrarum, Archiatrus, in officina Ecclesiæ suæ, non vnum sed plura, sed varia & innumera pharmaca, præparauit, quorum tria *Ieiunium* nempe cum *oratione* & *Eleemosyna*, hac concione, leui saltem brachio, perstringemus. Det is cui cordi est, omnes mentium nostrarum ægritudines percurare, vt id fiat, eorum, qui potissimum indigent, maximo cum fructu & emolumento. Amen.

Remedium. V. Ieiunium. Matth. 17. Tob. 4. Marc. 9. 1. Ieiunij virtus.

Induite vos armaturam DEI, *vt possitis stare aduersus insidias Diaboli:* DEI potissimum armatura contra Diaboli & Sagarum tentamina & iacula, est *Oratio* feruens, *cum Ieiunio & Eleemosyna,* alijsque pietatis operibus, coniuncta, Christo attestãte: Esse *genus Dæmoniorum, quod non* expellatur, *nisi in Ieiunio & Oratione,* nec frustra senior Tobias Orationi Ieiunium coniũxit; nec sine causa, Christus orationis remedium, contra Diaboli assultus, præscripsit: *Vigilate,* inquiens, *& orate, ne intretis in tentationem,* Et de Ieiunio, quidem, res est tàm clara vt vix vlla indigeat probatiõe. *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, certũ habere debet,* inquit S. Athanasius, *hoc pharmaco Ieiunij, statim spiritus malos afflictos, absce-*

Matth. 26.

Lib. de Virginitate.

abſcedere, vim ieiunij metuentes. Et S. Gregorius Nazianzenus, explicans, quibus armis ſancta Virgo Iuſtina, Diabolum & Magicas artes, à ſe repulerit; *Ieiunij,* inquit, *& humicubationis pharmacum, Diabolo obiecit, eumq; procul à ſe fugauit,* Orat. de laudibus S. Cypriani.

Sic viduæ cuidam, Comitiſsæ, illuſtri fœminæ, plurimum à Diabolo vexatæ, ieiunium præcepit, S. Auxentius Abbas, quo medio Diaboli vires, mirabiliter fregit, ac diſsipauit. Sic Ieiunio vſus, S. Procopius Monachus, contra Diaboli potentiam, victoriam ſæpè obtinuit, & alijs, à Diabolicis maleficijs exagitatis, Ieiunium, maximo cum illorum emolumento iniunxit; *Dæmon,* inquiens, *loca arida & inaquoſa perambulans, mihi credite, requiem nuſquam inueniet.* Sic B. Euphraxia duodecim annos nata, Virgo ſanctiſsima, cum Dæmonis infeſtationibus expugnari cœpiſset, biduo nonnunquam, triduoq; à cibo abſtinebat; quo medio, hoſtis machinas, iam tum in tenera illa ætate, ſic eluſit, vt ad eam lædendam, nunquam auſus fuerit, in campum deſcendere. Quotieſcunq; igitur cum Diabolo & eius Miniſtris, belligerandum, Ieiunij armatura, ſemper haud dubiè capeſſenda, quæ ſi præceſſerit, victoria feliciſsimè conſequetur. *Induite vos* igitur hanc *armaturam Dei vt poßitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.*

2. Hiſtoriæ & exemple Sim. Metaph. in vita. Surius 4. Iulij.

Luc. 11. Sur. Tom. 2. 13. Martij.

Ieiunio ſi addas Eleemoſynam, & opera miſericordiæ in proximos, inuictum planè Diabolo propugnaculum, & inexpugnabile ſcutum, obieceris: *Beatus* enim *qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus: Dominus conſeruet eum & viuificet eum & beatum faciet eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius:* non ſinat eum à Diabolicis machinationibus lædi, & excruciari: in quæ verba S. Auguſtinus: Erige oculos in hæc promiſſa, Chriſtiana fide, non deſerit Deus in terra, & aliquid promittit in cœlo: Eleemoſyna præſentis vitæ futuræ promiſsionem habet, ab hoſte tàm viſibili quàm inuiſibilibus defendit. Hoc etiam præter ſcripturam & S. Auguſtinum, inprimis ſacri Canones docent, & B. Petrus Chryſologus, diſertè affirmat: *Fratres, eſurit Ieiunium, Ieiunium ſitit, quod non pietatis cibo paſcitur, potu miſeeicordiæ non rigatur. Alget Ieiunium,*

II. Remediũ VI. Eleemoſyna. Pſalm. 40. In Pſalm. 40.

2. Elemoſyna Ieiunio coniuncta quantum poſſit. Cap. ſi per ſortiarias. Serm. de ieiunio & Elemoſyna. 1. 2.

nium, deficit Ieiunium, quod non Eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum; Fratres, quod est terris Ver, hoc misericor-
3. *diam scimus esse Ieiunio. Sicut Verni flatus, tota faciunt germina florere camporum: ita misericordia, tota ieiunij semina, producit in florem, in cœ-*
4. *lestem messem, totam ieiunij facit fructificare virtutem: Quod armatura robustissima, militi contra hostem, pugnanti, hoc Eleemosyna in huius vitæ stadio; contra Diabolum militanti. Quod oleum Lucernæ est, hoc ieiunio*
5. *pietas: sicut Lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu, facit illud ad totius noctis solatium perlucere: sic pietas facit splendere ieiunium, & contra effusas, à Diabolo tenebras, radiare. Quod diei Sol est,*
6. *hoc Eleemosyna noscitur esse Ieiunio. Sicut iubar solis, clariorem efficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem: Sic Eleemosyna Ieiunij sanctificat virtutem, totamque Diabolicæ tentationis mortem, vita pieta-*
7. *tis excludit. Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur: Sicut enim mortificatur corpus, cum à corpore anima re-*
8. *cedit, ita mors est Ieiunij, largitatis abscessus. Ieiunium Misericordiæ operibus armatum, est formidabile dæmoni, velut castrorum acies ordinata.* O maximam, ô insuperabilem, vim, Eleemosynarum, contra omnem, maligni hostis, impetum ac furorem.

3. Confessio Sagarum de Eleemosyna. Lib 3. de Magorum. Dęmonomania cap. 1. Vide Bredenbach. lib. 6. Collat. rerum Sacr. cap. 1. Ibidem. 4. Eleemosynam denegans periclitatur, vt à sagis lædatur.

Non arguo, sed potius approbo, quod scribit Bodinus, adstipulante Martino Delrio, cuius hæc verba: *Alium prætere modum, confitentur sagæ, omnibus artibus & ligaturis suis, prævalere, cum aiunt, hominem in pauperes munificum, non posse à magicis sortibus offendi, quamuis alioquin vitiosum.* Refert insuper Sagarum exempla, quæ fassæ sunt, se neque corporibus, neque bonis illorum nocere posse, qui se totos, misericordiæ operibus impendunt: *Atque hæc caussa est*, inquit inter cætera, *cur Magi, quibus, à sathana aut malefaciendi, aut occidendi, & veneno homines pecoraque tollendi, imposita est necessitas, aut dira indesinenter patiendi, si inimicis, quos vlciscantur, caruerint, mendicant, Eleemosynam, & si quis facultate præditus, denegauerit, periclitatur ab eis, si magum esse nesciuerit. Non enim amplius Magus, in quenquam potest, quàm in eum, qui stipem erogat homini, quem Magum esse nouerit. Quin etiam cauendum est, ne ijs detur, quæ vulgi sermone, sagæ esse feruntur. Qui autem Magos esse ignorans, stipem non dederit, is offendi periclitabitur, vt sæpe compertum est. Sic cum in ma-*

in magnis conuentibus essem Pictauij, anno M. D. LXVII. *inter Vicarios, Procuratoris Generalis, meas partes agens, accepi, duos Magos squallidos egentesque, ad prædiuitem domum stipem postulasse; Ea recusata, iniecerunt sortes, & domestici omnes in rabiem acti, obierunt furiosi: non quod ob hanc causam solum, Deus illos potestati sathanæ, Magorumque administratorum eius tradiderit, sed quia, vt erant omninò immisericordes, erga egentes, Deus non conceperat de illis misericordiam. Scriptura etenim Eleemosynam appellat Zœdaka, id est, iustitiam, & pro eo quod est: Date Eleemosynam, ait, Date iustitiam, quia hæc præ cæteris ex improbo iustum facit.* Hæc omnia Martinus Delrio.

Exemplum.

Nota est percelebris illa, durissimi erga pauperes, Hattonis historia, qui in maxima annonæ charitate pauperum greges in horreum conclusit, vocans eos mures, frumenta absumentes, & sic eos combussit; Vnde dæmones murium specie, eum infestarunt, & tandem in turri, in medio Rheno, prope Bingam, deuorarunt. De alio opulentissimo, Nobili, in partibus Sueuiæ, memoratur, qui cum haberet in summa annonæ charitate, ingens horreum frumento plenum, cum pauper, cum sex liberis, pecuniam ei offerens, vt frumenti aliquid acciperet, ille putans, precium necdum satis excreuisse, denegauit. Sed ecce dæmones in forma nigrorum bubalorum, horreum inuaserunt, & frumentum omne absumpserunt, & quotquot mittebantur, vt cohiberent, in furias acti, à dæmonibus retrocedebant. Ipse quoque nobilis, à dæmone correptus, infelicissimè perijt. Vnde liquet, sicut duri & immites erga pauperes diaboli potestati à Deo permittuntur, ita & misericordes liberantur. Attendite, obsecro, dilecti mei, & memoriæ insculpite, quanta sit vis Eleemosynarum, & posthac, si vos ipsos, si totas domos, & familias vestras, à diaboli fraudibus & technis, sarta tectaque omnia seruata cupitis, tàm sancto ac salutari operi, posthac, maiori diligentia, incumbite, diuinamque beneficentiam, vobis conciliate. *Induite* ergo *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

5. Hattonis Immisericordis historia Miinsterus in Cosmographia lib. 3.
6. Alia Dei vindicta, in similem erga pauperes Euclionem. Petrus Conzeius in compendio memorabilium Europæ.

Quid porrò de *orationis armatura* proferam? Angelico edoctum consilio, iuniorem Tobiam, Asmodæum dæmonem, qui

III. Remedium. VII. Oratio. 1. Orat. vincit Diabolum. Tob. 6.

iam septem Saræ viris, colla fregerat, trium oratione dierum; prorsus debilitatum, labefactasse, nemo est qui ignorat. *Oratio* inquit sanctus Prosper, *oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem est flagellum.* Non sine ratione Climacus affirmat: *Sicut fures, cum arma Regia, in aliquo loco posita viderint, non illuc facilè ascendunt: Ita & qui cordi orationem coniunxerit non facilè à spiritualibus latronibus, poterit violari.* Et sanctus Ioannes Chrysostomus: *Canes te allatrantes & morsicare minantes, oratione fugabis; sicu tantẽ nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: Sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione.* Tanta est cognatio inter vtrunque.

Similia. In sententijs. Gradu. 19. Hom. 46. in Matth.

Quod si quæras: Quænam præcipuè orationes, hanc dæmones, & eorum molitiones quascunque effugandi & eneruandi, efficaciam complectuntur: Communis primum Ecclesiæ sanctæ, piorum, Deoque familiarium hominum orationes, admirabili robore præpollent, vt fert sanctorum Patrum consentiens doctrina. Sanctus Augustinus: *Hipponensem quandam Virginem, cum se oleo superbè vnxisset, à dæmone correptam, cui cum pro illa orans Presbyter lachrymas instillauerat, à dæmonio fuisse sanatam. Sic etiam Episcopum semel pro adolescente, quem non vidit, orasse, illuque illicò dæmone caruisse.* Hæc S. August. Præcipua vero virtus, inter priuatorũ hominũ, orationes, meritò attribuẽda est, *Orationi Dominicæ, Salutationi Angelicæ,* & recitationi *Symboli Apostolorũ* non modò ex Canonũ sacrorum præscripto, sed & veteris æui, nostriq; moderni, experientia. Vnde cum ex his tribus B. Virg. Rosariũ conficiatur, quin contra dæmonũ ausus, admiranda virtute præpolleat, minimè ambigendum. Pleni sunt omnes libri, eiusmodi historiarum copia. *Vnã placeat delibare, quã hisce verbis ponit Martinus delRio. Nobilis quidam homo, olim magna authoritate, in hoc regno Fingano pollens, habebat filiam, matrimonio cum gentili copulatam, cuius mater quoque cum tota familia erat gentilis, nullus verò Christianus, nisi dictus nobilis, vir bonus & Religiosus. Accidit filiam ex improuiso infirmari, & quidem intra sex dies, vsque ad mortem. Quidam aiebant, à dæmone obsessam, propterea quod tam furiosos & insolitos gestus ederet, vt ægrè à tribus viris, teneri posit. Maritus & socer, implorarunt opem Bonziorum; sed suis illi ritibus, & nugis superstitiosis, ne hilum*

2. Orationes quænam efficacissimæ contra Dæmones. 1. Orationes hominum piorum. S. Io. Chrysost. hom. 3. de incompar. Dei natura. S. Aug. lib 22. de Ciu. cap. 8. Theodoret lib. 4. cap. 21. 2. Oratio Dominica, salutatio Angelica, symbolum.

3. Virtus Rosarij historia declarata. Ex literis Ludouici Frois è Iaponia 1596. DelRio Tõ 3. lib. 6. c. 2.

lum quidem, eam iuuare potuére. Verum quia fœminæ impendebat mors certiorem reddidere eius parentem, octodecim milliaribus inde disiunctum. Is celerrimè aduolat, inuenit filiam quidem ſpirantem, ſed mentis impotem, vt patrem ſuum non agnoſceret. Pater illicò monet, ſubmoueri omnes Bonzios, alioſque Ethnicos, lectum ſtipantes, ipſe verò accepto Roſario, ter Dominicam orationem, & ſalutationem Angelicam, pronunciare aggreditur, fœmina interim nihil mutatur, ſed horribiliores potius geſtus, quàm prius edit, vt à multis vix teneri poſſet, Pater redit ad præſidium Roſarij, eoque verberat tergum filiæ, dicens: Tu videris mihi dæmon aliquis, Excede ex hoc corpore, & reſpondit dæmon: Non excedam. Pater vt erat homo, virtute præſtans, Roſarium inijcit in eius collum, dicens: Velis nolis excedes: Tum dæmon. Tollite, inquit, Roſarium, quia abſcindit mihi collum, & tunc receſſero. Reſpondit Pater: Minime tollam, immo funes quoſdam arripiens, minatus eſt, ſe eum diuerberaturum. Et ſic Dæmon exceſſit, & fœminam ex illa hora liberam ſanamque reliquit: Ethnicis præſentibus, Roſarij virrutem mirabilem, ſuſpiciendi, occaſionem relinquens.

Roſario Dæmon fugatur ab obſeſſa.

Addit ibidem Martinus DelRio, efficaciam ſacrarum Eccleſiæ Litaniarum, quam alio memorabili exemplo comprobat: Solebat Dæmon præſtigijs ſuis aquam, qua hortos infideles illi Iaponij, in Inſula Scichiana irrigare volebant, ita ſiſtere, ne è vaſis efflueret. Malum illud cum incolæ adhuc Ethnici erant, arte cuiuſdam venefici, depulſum fuit. Verum illis ad fidem conuerſis, ad veneficum ire abnuebant, vt ab eo remedium peterent, *ſed ad Eccleſiam*, inquit ſcriptor., *confugere, certioremque ea de re fecerunt ſenem quendam, optimum Chriſtianũ qui Tutaini, ſolus, diu omnium fidelium Chriſtianorum perſonam ſuſtinuerat, eumque rogarunt, vt ipſe preces aliquas ſuper aquam recitaret, ſe iam magicis ſuperſtitionibus, nuncium remiſiſſe. Senex purgauit ſe, quantum potuit, & re conſiderata, ſecum, in hunc modum eſt ratiocinatus. Si aqua Deo annuente, fluxerit, Chriſtiani fortiores, robuſtioreſque in fide reddentur, ſin autem ob mea peccata non fluxerit, multi in fide refrigeſcent, & pluris facient fraudes, & veneficia Sathanæ, quam ritus & preces ſanas. Tandem tamen exiſtimauit, eorum voto eſſe ſatisfaciendum, multiſque eo loco Chriſtianis, comitantibus, ad locum contendit, & primum flexis genibus, Litanias de ſanctis, ac deinde ſymbolum Apoſtolorum recitauit, ac mox*

4. Litaniæ Eccleſiæ, Martinus Del Rio eodem loco.

nulla difficultate, aqua per canalem effluxit. Ecce virtutem sacrarum Litaniarum. Quis ergo orationis virtutem, ad fuganda Dæmonum phantasmata, efficacissimum esse remedium in dubium vocet?

5. Ieiunio & oratione Dæmon succubus fugatur. Hist. Scoticæ lib. 8.

Vetus vnum hiscè recentioribus, adiungo Exemplum ex Hectore Boëthio, fide dignissimo scriptore, de Iuuene, quam contra suam voluntatem, succuba Dæmon, ad nefanda sæpissimè sollicitabat. Compertum enim, mille historijs, solere Dæmones incubos, feminas, & succubas, mares etiam innocentissimos, qui nihilomninò commercij, cum Dæmone, vnquam habuerunt, neq; etiam habere volunt, immò & abhorrent, non rarò corporali specie, ad nefandas libidines prouocare: *In Gareotha*, inquit Boëthius, *regione, vico quatuordecim passuum, millibus, ab Aberdonia, adolescens, multa formositate, coram Aberdonensi Episcopo, questus palàm, se se à Dæmone succuba, vt vocant, gratissima omnium, quos vidisset, forma, multis antea mensibus infestatum; eandem occlusis foribus, noctu ad se ingredi, blanditijs in sui amplexus, compellere, dubia luce abire, sine strepitu pœnè: nullo se posse modo, cum plures tamen attentasset, à tanta, ac tàm turpi vesania, liberari. Iubet itaq; continuò optimus Episcopus, adolescentem aliam in domum, commigrare, & ieiunijs atq; orationibus diligentius animum accommodare, fore vt pijs precibus, feruenter intento, Cacodæmon, tandem esset terga daturus. Euenit id adolescenti, salubre consiliū, religiosè executo, paucos post dies, vti venerandus Antistes erat præfatus.* Supersedeo pluribus exemplis & historijs, orationis deuotæ virtutem, contra Dæmonū insidias, de prædicare. *Induite* ergo *vos* hanc *armaturam Dei, vt possitis* contra *diaboli insidias* consistere, & eius fraudes declinare, *Ieiunio* & *Eleemosynæ* feruentes, *orationes* copulate, quibus armis instructi, ita formidabiles Cacodæmoni occurretis, ne vobis nunquam violentas manus possit inferre, Amen.

CON-

CONCIO XVII.

RVRSVM ALIA VIII. & IX. REMEDIA, CONTRA INFESTATIONES DIABOLI, ET EIVS MANCIPIORVM, CORPORIS CASTIgatio, & Pœnitentiæ, post lapsum, acceleratio.

Induite vos armaturam DEI, *vt poßitis stare aduersus insidias Diaboli.* Ephes. 6.

SIcut non vno, sed diuerso, varioq; armorum genere, milites in bello, vti conspiciuntur, vt eminus & cominus, rem contra hostem fortiter agant: Sic milites Christi, *contra spirituales nequitias, & tenebrarum Principes,* strenuè decertantes, varijs diuinæ gratiæ præsidijs, communitos esse, oportet, vt hostem omni ex parte oppugnare, prosternere, & debellare valeant, & omnino expugnare. Duplex igitur spiritualis armaturæ, Remedium, hac etiam vice breuiter elucubrare constitui, faxit diuina gratia, vt id quam maximo vestro, fiat emolumento. *Induite* vos igitur *armaturam* DEI, *vt poßitis stare aduersus insidias Diaboli.*

Armatura DEI est corpus etiam plagis & verberibus castigare, vt dæmonis infestatio, eliminetur: Cum enim *caro,* vt ait Apostolus, *concupiscat aduersus spiritum,* & carnalia desideria *militent aduersus animam,* ijs velut armis, antagonistæ suo ereptis, dæmon vtitur, vt hominem deijciat, & in perditionis periculum, præcipitem agat. Vnde monet iterum Apostolus: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* quid ergo faciendum, ô sanctißime Apostole, ne nos fraudulentus hostis, per carnem nostram, sicut Adamum, per Euam seducat? *Mortificate,* inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram;* quam corporis mortificationem, ipse non solum verbo docuit, sed & exemplo comprobatam dedit: *Castigo,* inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo.* Et hoc est re-uera, *carnem crucifigere, cum concupiscentijs suis:* audi hac de re S. Cyprianum: *Qui carnem suam affligit, & corpus flagellis atterit, hostem humani*

I. Remedium VIII. Corporis & carnis castigatio.
1. Caro cor mortificãda?
Galat. 5.
1. Petri 2.
Rom. 8.
1. Cor. 5.
Galat. 5.
Lib. de dono pudicit.

humani generis, sub pedibus suis iacere ostendit. Sed durum est seipsum molestare, carnem cilicioq́, & flagellis atterere, ait aliquis. Esto sit durum sit amarum, est tamen animæ vtile, est spiritui iucundum, & suaue. Si mihi credere abnuitis, credite S. Ambrosio, id asseueranti: *Nemo,* inquit, *amarioribus corporis afflictionibus, præoptet dulciora carnis blandimenta; Dulcis voluptas videtur, amara carnis afflictio, amarum hoc diligatur, dulce illud abijciatur, solent amara, etiam, ipsis plus prodesse corporibus, quàm dulciora: sicut enim cum in intimis, puerorum visceribus, vermes, ex cibi indigestione nascuntur, exringui non queunt, nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolescit asperior, quorum acrimonia moriantur: sic peccatorum illecebræ, quos nostra in se progignit caro, quibus nos dæmon inescat, vt hamum eius deglutientes, pereamus, facilius nequeunt perimi, & potestas Diaboli, qua nos impugnat, fortius infringi, quàm si caro instar iumenti, quanta fieri potest, asperitate tractetur.* Vnde miror homines quosdam rudes ac stolidos, quando nonnullos vident, se ipsos flagellis disciplinisq; castigantes, eos velut fatuos, & insipientes traducere, ac detestari. Reuera namq; carnales eiusmodi homines, non sapiunt, ea quæ sunt spiritus. Corporea enim verbera & carnis affictiones, vim maximam, ad profligandos dæmones obtinere, quàm plurima demonstrãt exempla: Nos vno alteroue, erimus contenti.

2. Mortificationis vtilitas De Helia & Ieiunio c.22.

Simile.

3. S. Benedictus Dæmonem virga fugat. Lib. 2. Dialog. in vita S. Benedicti.

Sic, vt scribit S. Gregorius Magnus, S. Pater Benedictus, virgæ percusione dæmonem, à Monacho, quem occupauerat, abegit: *Cum vir* DEI, inquit, *venisset ad Monasterium, & constituta hora, expleta psalmodia, se se fratres in orationem dedissent, aspexit quod monachum, qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus, per vestimenti fimbriam, foras traheret, extra oratorium scilicet. Tunc Patri Monasterij, Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo, secrete dixit: Nunquid non aspicitis, quis est, qui istum Monachum, foras trahit? qui respondentes dixerunt: non; quibus ait: Oremus vt vos etiam videatis, quem Monachus ille sequitur: Cumq; per biduum esset oratum, Maurus Monachus, vidit; Pompeianus verò eiusdem Monasterij Pater, videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione, vir Dei oratorium egressus, stantem foris Monachum vidit, quem pro cæcitate cordis sui, virga percussit, sed*

ad ora-

ad orationis studium, immobilis permansit. Sicq; antiquus hostis, dominari non ausus est, in eius cogitatione, ac si ipso percussus esset ex verbere. hæc S. Gregorius.

Aliud huic haud multum dispar, describit beatus Petrus Damianus, de Monacho similiter, qui sæpe vagabundus extra cellam, ociosus expatiabatur, quem dæmon non antea deseruit, quam crebrius acriter vapulasset: Nam septima tandem vice, clare voce exclamauit: *Ecce Diabolus abijt; Ecce nequissimus cordis mei habitator, auffugit, meq; nexibus, quibus adstringebar, effractis liberum reliquit.* Addit B. Petrus Damianus: *Hoc modo frater ille, ad humilitatis custodiam, redijt, & in cella iugiter perseuerans, de cætero irreprehensibiliter vixit.*

4. Ab alio similiter dæmō profligatur. In vita S. Dominici Loricati.

Multò memorabilius est, & ad rem nostram propius deseruit, quod Theodoricus Abbas de S. Hildegarde, sancto Bernardo coæua commemorat, cuius hæc est series: Nobilis femina, septem annos à dæmone obsessa, ab amicis adducta est ad cœnobiū Brunvvilerense, *Diœcesis Coloniensis, vt ibi Dei, & S. Nicolai, Patrocinio liberaretur. In tertium itaq; mensem, frustra sudatum à Patribus, in dæmone expellendo. Quia verò dæmon indicârat, se vasculum suum, non dimissurum, nisi ope Schrompelgardis, ridens, hac appellatione, S. Hildegardem, id temporis, in Diœcesi Moguntina, Bingæ, à miraculis celebrem, Abbas per literas, rogauit eam, humiliter & instanter, vt in re tàm luctuosa, succurrere dignaretur. Illa, viso diuino monita, rescripsit; Dæmonem illum non posse, nisi ieiunijs, flagellis, orationibus, & Eleemosynis eijci:* inter alia hæc eius sunt verba: *Audite ergò non responsum hominis, sed ipsius qui viuit. Eligite septem boni testimonij, & quos vitæ meritum probat, Sacerdotes, & ieiunijs, flagellis, & orationibus, Eleemosynis. & Missarum celebrationibus, præmissis, humili intentione, & habitu Sacerdotali, cum stolis, ad patientem accedant, & eam circumstantes, vnus quisque eorum, virgam in manu teneant, in figura virgæ, qua Moyses Ægyptum, Mare rubrum, Petramque præcepto Dei percussit, vt sicut ibi Deus per virgam, miracula ostendit, ita & hic pessimo hoste, virgis eiecto, seipsum glorificet, & humani generis hostem, prosternat. His literis super Energumenam recitatis,* inquit scriptor, eius vitæ, *Cum lector ad locum venisset, vbi in fine scriptum est; Et ego indocta, & paupercula femina,*

5. Obsessa Iussu S. Hildegardis virga percutitur, & liberatur. In vita S Hildegardis. Lib. 3. cap. 21.

mina, O blasphemæ & derisor spiritus, tibi præcipio, vt de ista homine exeas; idem nequam spiritus totus infremuit, ac tantos vlulatus, tamque horridos clamores emisit, vt omnes perterrefecerit; Et dum his ferè per dimidiam horam bacchando institisset, tandem vt Deo placuit, vas, quod diu possederat, reliquit. Hic Sanctissima Virgo Hildegardis, Dei spiritu informata, quantum virgis flagellisque, ac disciplinis, in fugando dæmonum Phantasmate, virtutis ac virium subsit, luculenter edocuit: Eant nunc derisores huiusmodi, carnis mortificationum hæretici, vel frigidi sanè Catholici, & hæc omnia, tanquam vana, irrita & cassa, explodant, & seipsos, ob blasphemiam, diabolicis eiusmodi vexationibus, culpa sua, temerè exponant.

6. Franciscus Xauerius vtitur flagellis. Lib. 4. vitæ cap. 6. & 9.

De Sanctissimo Patre, Francisco Xauerio, ista scribit, Author eius vitæ: *Flagellationis supplicium, B. Patri nostro Francisco Xauerio, frequens fuit, & flagellum quo vsus est, etiam alijs salutare: Certis enim auctoribus compertum est, flagella ex funiculis, quibus se Franciscus diuerberabat, à Neophyto quodam, piè admodum asseruata, atque eorum beneficio sanitatem redditam, multis, alios à Dæmonum vexationibus liberatos, aliaque multa sanè admirabilia patrata. Etiam adolescens, ad edomandam lasciuientem ætatem, funiculis sæpè, ac diu constrictos, artus habuit, cum acri sensu doloris.* Quod si vir tam sanctus, & tot Miraculis clarus, hoc exercitium mortificationis tanti fecit, quid de illis cogitandum, qui explodunt?

7. Seraphicus Pater S Franciscus flagellando se Dæmones arcet. S. Bonauent. in vita S Francisci. cap. 5.

Solebat sanctus Franciscus corpus suum flagellis assiduè atterere, & contra omnes diaboli tentationes, præmunire: quadam igitur nocte, cum eidem exercitio vacaret, dæmon ei acclamauit: *Francisce, Francisce, nullus est in mundo peccator, cui, si conuersus fuerit, non ignoscat Dominus: sed qui seipsum pœnitentia dura necauerit, gratiam non inueniet in æternum:* Cognouit ergo Vir Dei diaboli fraudem, ex carnis tentatione, quæ est secuta, quam vt fugaret, deposita veste, chorda qua præcinctus erat, se acerrimè diuerberauit. Quod si contra diaboli oppugnationes, hac Dei armatura, vsus est vir iste sanctissimus; quis tã impius erit, vt derideat & explodat? *Induite* similiter *vos* auditores mei, hanc *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli,* vos indesinenter oppugnantis.

Alia

Alia porrò armatura Dei, est, si forsan ex humana fragilitate, in læthale quodpiam crimen te labi contingat, confestim ad Sacramentalis Confessionis præsidium refugere, & peccatum Sacerdoti aperire: sic namque omnem, maleficio diabolico, ansam illicò præcludes: *Si enim*, vt beatus Ioannes Apostolus asseuerat, *confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra,* quibus in eius sanguine abolitis, non est, quo sathanæ versutias, extimescamus: Hoc suis antidotum auditoribus, contra omnes Magicas superstitiones, aliaque scelera, præscripsit sanctus Augustinus: *Qui hucusque in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo se tradidit, toto corde pœnitentiam agat, & sacrilega illa, aliaque flagitia, quibus diuina Maiestas offenditur, cum omni horrore fugiat, & contemnat, vt illi Deus indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem, ob gloriam nominis sui, faciat peruenire.* Mortali sanè peccato, hominem diabolo mancipari, nemo est qui dubitet: Sicut igitur, quam diu mancipium est, in potestate Domini, potest illud pro libitu tractare: Sic quando sub peccati iugo, perseuerat, sathanicæ tyrannidi, semper patet, vt ei, ni Deus prohiberet, mortem, omni momento, consciscere possit. Quàm diu quis gradum figit iuxta canem mordacissimum, cathenæ licet alligatum, tàm diu, ab eo morderi potest: Sic quàm diu quis in peccato hæret, tàm diu diabolum, semper ad nocendum paratissimum, socium habet collateralem.

II. Remediū IX. Acceleratio Pœnitentiæ & confessionis post lapsum.
1. Consilium huius remedij.
1. Ioann. 1.
Serm. 24.
2. Peccator Mancipium Diaboli.
1.
2.

Ioannes Diaconus, qui sancti Gregorij Magni vitam scripsit, tria eorum commemorat exempla qui à dæmone possessi, & vexati, mox vt peccatum suum beato Gregorio confessi sunt, pœna peccati liberati fuêre. Et eorum quidem vnus, cum peccatum octies negasset, octies à dæmone, renouata vexatione, horribilem torturam, est perpessus. Nona demum vice, qua furtum fassus est, percepta absolutione, omninò redditus est immunis. Petrus item Cluniacensis Abbas, Diui Bernardi coæuus, cum narrasset, horrendam Monachi cuiusdam vexationem neque oratione, neque ieiunijs, neque Eleemosynis, neque aquæ lustralis aspersione, cohiberi potuisse, sub-

3. Confessi peccata, illico à dæmone liberati.
Lib. 1. Vitæ S. Gregorij. cap. 11. 12. 13.
1.
2.
3.
Lib. 1. Mirac. cap. 6.
4. Peccato in anima latente nullo re-

Remedio Dæmon ex pellitur.

ſe, ſubiungit: *Sed ne miretur aliquis, neque oratione, neque alijs medijs, quibus dæmon frænari poteſt, neque luſtralis aquæ aſperſione, dæmonem hunc fugatum; agnoſcant, tabe interius latente, exterius vnguenta adhibita, nihil proficere poſſe. Talem autem voco, lethale peccatum, quod quam diu in interioribus quibuſlibet latuerit, nullius exterius Sacramenti perceptio, ei prodeſſe poterit.* Hortatus eſt eum igitur Abbas, vt integram omnium peccatorum confeſsionem, ſine mora faceret: quam primum abſolutus eſt, vexatio prorſus deſijt

5. Confeſsionem peccati accelerandã pluribus hiſtorijs ſuadetur.

1. Sim. Metaph. apud Surium 14. Augusti

2. Theodoricus de Apoldia Lib. 6. vitæ S. Dominici.

3.

4.

6. Huius loci exemplum.

Hoc ipſum medium ſancta Athanaſia Abbatiſſa, ſuaſit cuidam fæminæ, quam dæmon ſæpius moleſtabat, cumque conſilio paruiſſet, ab omni diaboli impetu, manſit illæſa. Sic Reginaldus, vnus ex primis Beati Patris Dominici ſocijs; Fratrẽ Ordinis, quem dæmon pede apprehenſum, per templum raptabat, iubendo vt peccata ſua, ſine mora confiteretur, incolumem ſeruauit. Sic ſanctus Arnulphus, Sueſsionenſis Epiſcopus, cuidam ob vindictæ cupiditatem, à dæmonum legione vexato, iniunxit, vt peccata ſua, ſine mora confeſsione ſeria expiaret; quod cum feciſſet, dæmones eum vexare deſiuerunt. Fuit etiam in hac ciuitate noſtra, puella, viginti circiter annorum, quæ cum occulta quædam peccata, in confeſsione reticuiſſet, non ſolùm dæmoniacis illuſionibus, ſed & immundis exagitationibus, diu noctuque vexata fuit, ſed cum ſeriò pœnituiſſet, & peccata confeſsione ſincera expiaſſet, ab ingrato illo hoſpite, protinus extitit liberata. *Induite* ergo & *vos* hanc *armaturam Dei*, ſi quando in graue peccatum incideritis, vnde diaboli vexatio aliqua, ſit pertimeſcenda, *vt poßitis aduerſus* eius *inſidias* conſiſtere, & illæſi pertranſire.

En vobis iterum duplicem armaturam, *Caſtigationis corporis, & accelerationis pœnitentiæ*, contra omnem inimicam poteſtatem. Erunt qui hæc, & ſimilia, parui faciant, qui dæmonum ſæuitiam, & miniſtrorum eius crudelitatem, qua ſæuiunt in eos, quos Deo permittente, ligaturis & facturis ſuis, diabolicis, aggrediuntur, nequiſsimeque infeſtant, in minimis ducant: At nemo ſe liberum, nemo immunem, credat, qui Deum quotidie offendit. Quod bono cuidam, & honeſto viro, qui

hac

hac ipsa hebdomade, maleficijs extinctus est, contigit, vnicuique contingere potest. Arma itaque ante pugnam, & prælium, paranda suadeo, vt cum hostis quempiam adoriatur, paratum inueniat, ad resistendum, cum eius gratia, qui est benedictus in sæcula, Amen.

CONCIO. XVIII.

REMEDIVM DECIMVM, CONFESSIO INTEGRA, OMNIVM PECCATORVM, ET QVANDOQVE TOTIVS VITAE ANTEACTAE

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

CVm *mille artifex, Dæmon*, mille fraudes ac dolos excogitet, quibus mortales, aut per se, aut per vasallos suos, oppugnet, benignissimus Deus, varia etiam remedia, & velut arma nobis, dignatur subministrare, quibus eius, quæ in nos quotidie, magno numero contorquet, ignea tela excutiamus. Quorum præcipunm, vnum, vt è primarijs Principem locum obtinens, mihi esse videtur *Confessio integra*, quam Generalem totius vitæ vulgò appellant, quam nos hac concione, opitulante diuina gratia, explicare ac persuadere aggrediemur, vt vos, ea mediante, induatis armatura Dei, & *stare* possitis, *aduersus insidias diaboli*; *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.*

Præcipua inprimis, contra diaboli & eius Ministrorum oppugnationes, armatura est, *integra & sincera, peccatorum totius vitæ, Exomologesis.* Sunt namque peccata, tanquam vincula & funes, quibus dæmon alligatum tenet peccatorem, lamétante Regio Vate: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, qui nisi rumpantur, impossibile est, diabolis ceruicibus nostris, nullo non tempore, semper imminentis, violentiam excutere: Neque enim abs re monet Propheta: *Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, onus omne disrumpe.* quæ nam colligatio-

I. Confessio integra, Remedium X.
1. Peccata vincula, quibus Dæmon ligatos tenet homines.
Psalm. 118.
Isaiæ 55.

gationes impietatis? *scelera* & flagitia, quibus homines à diabolo illaqueantur. Quinam *fasciculi* deprimentes, vt homo se contra hostem illum, tantæ potentiæ valeat defensare scriptura dicente: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt neminem timeret,* nequeat sufficienter defendere? Mali vitiorum *habitus*, & consuetudo *peccandi*. Quod *onus deprimens*, vt se ad capessenda, contra diabolum, arma, nequeat erigere? *Reatus æternæ damnationis*. Hæc porrò ad vnum omnia mala, quo medio diluuntur? *Integra* & vera, peccatorum omnium, *Exomologesi*: Hæc enim, vt grauiter affirmat S. Augustinus, *est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, Conciliatrix præsidij Sanctorum Angelorum*. Et S. Ioannes Chrysostomus: *Vera Peccatorum confessio sic vires diaboli exhaurit, vt omnes eius conatus, in ventos euanescant. Sublatis quippe peccatorum noxis, non est vnde hominem apprehendat, & in terram collidat. Induite vos* igitur dilecti mei, hanc *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli*, in perniciem vestram vigilantis.

Iob. 40.

2. Efficacia integræ confessionis. Serm 119. ad Fratres in Eremo. Hom. 21. ad Pop. Antioch.

Plinius & Aristoteles scribunt, *Mustelam*, quæ naturali antipathia, *serpentem* odit, quando cum ipso in certamen descendere & congredi nititur, prius *Rutam* manducare, cuius odore, cum hostem inuadit, & contra eum progreditur, sic serpens eneruatur, adeoq; debilitatur, vt omnino contabescat, & à Mustela, nullo negotio, trucidetur: Sic nos, cum à Dæmone inuadimur, commanducata *Ruta* odorifera, *integræ* exactæque *confessionis*, illius potentiam, eum in modum frangemus, sic fraudes eius infirmabimus, vt nec in minima quidem re, nobis amplius valeat præualere, quin potius, omnia eius machinamenta, disturbentur.

3. Mustela cōtra serpentē vtitur ruta: Nos contra diabolum integra confessione.

Cæsarius auctor est, dæmonem morituri lecto astantem, à sancto quodam Cistercienſi Sacerdote, Thoma nomine, sub attestatione diuini nominis, coniuratum, vt ediceret & manifestaret, quid nam sit, quo illorum potestas, omnium maximè infringatur, & eorum consilia & fraudes, dissipentur? *Adiuro*, inquiebat, *te per Deum, qui iudicaturus est viuos & mortuos, vt dicas mihi, huius interrogationis veritatem*. Diuina ergo compulsus au-

4. Dæmonis Testimoniū de integra confessione. Lib. 11. hist. memorabil. cap. 38.

ſus authoritate, reſpondit hoſtis malignus: *Nihil eſt in toto mundo, quod vires noſtras adeo frangat, quam integra confeßio, omnium peccatorum: Quam diu enim, homo eſt in peccato mortali, omnes eius animæ vires ligantur, nec ſe mouere poteſt. Quamprimum autem ſincere confeſſus, à Sacerdote abſoluitur, eodem momento, omnia noſtra Diabolica vincula, rumpuntur, & homo ſic à iugo & ſeruitute noſtra, liber euadit, vt nullam, in eum amplius, poteſtatem habeamus.* O incomparabilis virtus veræ & integræ peccatorum confeſsionis.

Hanc ipſam à dæmone aſſertam virtutem, cõfirmat, quod legitur in vita ſanctorum Martyrum Aſtionis Monachi, & Epicîici Presbyteri, qui Aſtioni, tanquam ſuperior præerat & moderatiſsimè dominabatur. Cum aliquando Aſtion, ſine Epictici ſuperioris cõceſsione, iuiſſet ad hauriendam aquam, libidinoſa cogitatio, eius cordi, adeò tenaciter inhæſit, vt tridui ſpacio, eam excutere, quantumuis conaretur, non poſſet: quæ res eum vehementiſsimè turbauit. Videns itaque Presbyter Epicticus, faciem clientis ſolitò triſtiorem, cauſam mæroris interrogauit: Confitetur ille inobedientiam ſuam, & turpem ſimul, quam ſuggerente diabolo conceperat, imaginationem aperit, & ſuppliciter abſolutionis beneficium expoſcit; quo impetrato, ſenſit beatus Aſtion, è ſinu ſuo, nigrum, in pueri forma, AEthiopem, cum ignea facula, vi magna, importuniſsimè erumpentem, lamentabiliterque vociferantem: *Confeßio tua, ô Aſtion, magnas meas hodie, contriuit vires, meque inermem reddidit, ac diſſolutum.* Sic ſanctus Aſtion peccata candidè confeſſus, immaniſsimum illum hoſtem, ab anima ſua exegit, ſuo comprobans exemplo, ignea huius nequiſsimi hoſtis, tela, non alia felicus armatura extingui, quam accurata & ſolida, omnium totius vitæ noxarum, Sacramentali expiatione.

5. Alia Dæmonis lamẽtatio de integra confeſſione. Sim. Metaph. in vita, Spec. Exẽpl. Tom. 2. diſt. 8. n. 21.

Tam autem eſt neceſſaria *integra confeßio peccatorum*, vt ſine eius adminiculo, nemo, eorum, qui à diabolo, præſertim Aſmodæo, tentantur, ab eius vexationibus, valeat aſſecurari. Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, monitum eſt: *Si per ſortiarias, aut maleficas, occulto, ſed nunquam iniuſto Dei iudicio, permittente, & diabolo incitante, concubitus excitetur, hortandi ſunt, quibus iſta eueniunt,*

II. Neceſſitas integræ Confeſſionis. 1. Aſmodæi tentationibus opponẽda integra confeſſio. Cap. ſi per

sortiarias 33. q. 1. *niunt, vt corde contrito, & spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti, de omnibus peccatis suis, puram confeßionem faciant, vt profusis lachrymis, veniam consequantur: hoc namque medio, non præcedente, cætera in vanum adhibentur.* Venerabilis etiam Beda, explicans Christi, dæmonem interrogantis, verba: *Quod est tibi nomen?* inter cætera sic scribit: *Et nostri Sacerdotes, qui per exorcismi gratiam, dæmones eijcere norunt, solent dicere, patientes non aliter valere curari, nisi in quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus, visu, auditu, gustu, tactu, alioue quolibet corporis vel animi sensu, vigilantes, dormientesue, pertulerint, confitendo patienter exponant.* Et mox hoc idem exemplo cõfirmat, ex relatione Presbyteri cuiusdam, sibi vicini: Ipsum Religiosam quandam fæminam, à diabolo insessam, curare cœpisse, sed quam diu occulta eius peccata, latebant, nihil apud eam proficere, potuisse. Confesso autem, quo molestabatur Phantasmate, mox & ipsum orationibus, cæterisque, quæ oportebat, purificationum generibus, effugasse. Et ita rem se prorsus habere, alijs compluribus exemplis probatum datur. Cæsarius narrat, Bonnæ Sacerdotem quendam, pessimæ conuersationis, laqueo vitã sibimet abrupisse: Eo mortuo concubinam, pœnitentiæ desiderio Monasterium pœnitentium ingressam, sed Dei permissione, ab incubo dæmone, sæpius ad flagitium importunè sollicitatam, crucis signo, & aquæ benedictæ aspersione, repulisse: sed cum redijsset, Angelica salutatione deuotè recitata, longius, velut sagitta, ictum, fugisse, neque adhuc dum finis, donec pure omnibus vitæ maculis, integra & accurata confessione, expurgatis, abijt importunus Procus, nunquam postea rediturus. Eodem puræ confessionis medio, prolixè memorat, Ioannes Niderius, Leodiensem quendam, molestissimis succubi dæmonis, ludificationibus, longo tempore vexatum, eius molestias protinus euasisse.

In c. 8. Lucæ.

2. Exemplum feminæ peccata in confessione occultantis.

3. Concubina ab incubo dęmone liberatur.

Lib. 3. Mirac. sui temp. c. 13

4. Alius à succubo pura cõfessione liberatur.

In Epitome Formicarij.

Illustrius est, quod vt refert Martinus DelRio, his ipsis verbis, auctor Anonymus, sed fidei certæ, de beata Catharina sanctæ Brigittæ filia, tradidit, eam, cum Neapoli versaretur, cuidam nobili viduæ, narranti, filiam à nocturno dæmone, infe-

5. Consilium B. Catharinæ de integra confessione.

Disquisit. Magicarum.

infestam, optimè consuluisse; *His auditis*, inquit, *valde illarum vicem dolebat, Catharina, & tacitè legens secum semel, salutationem Angelicam, vt semper solebat, cum de rebus spiritualibus consuleretur, saluberrimum eis consilium impertijt. Primò vt purè & integrè, totius vitæ peccata, confiterentur: Aiebat enim, ob peccata in confessione, celata, plerumque id genus, illusiones accidere: Deinde, vt nudis pedibus, & absque lineis indusijs, cum omni humilitate, continuis octo diebus, irent ad templum sanctæ crucis, & ob reuerentiam Passionis Christi, coram imagine ipsius, à cruce pendentis, legerent septies orationem Dominicam, & Angelicam salutationem; addebat verò, se quoque, indignam licet, ex commiseratione, libenter pro ipsis Deum rogaturam: fecerunt illæ, quod iussæ, & octauo die, liberatæ fuerunt.* Hæc ex Surio Martinus Delrio.

Lib. 6. c. 2. sect. 3 q. 3. ex Tom. 2. Surij 22. Martij.

Prædictorum tamen admirationem obscurat, quod de verbo ad verbum Hector Boëthius hac serie describit: *Anno salutis Christianæ, sexto, supra octogesimum millesimum & quadringentesimum, nauigantibus è Phortea, æstuario in Flandria, negotiationis caussa, tanta suborta est, ventorum vis, vt velis malo, armamentisque ruptis, nauique fœdè inter tumentes vndas iactata, certissimam mortem, cuncti expectarent. Nauicularius tantam, tamque insolitam aëris Inclementiam, eo tempore demiratus, suberat enim solstitium æstiuum, cum id non syderum, sed malorum dæmonum, qui hominibus, præsertim pijs, semper sunt infesti, insidijs, magnis tribueret clamoribus, reddita est vox, ex ima naui, mulieris, se miserè incusantis, quod Incubo, humana sub effigie, quo cum permultos anteactos annos habuisset, consuetudinem, iam tum fuisset commixta, & ab eo subacta: Mari ergo celerius se tradendam, vt ipsa pereunte, quæ tanti mali imminentis caussam præbuisset, cæteri, Dei benignitate, incolumes permanerent. Accedens porrò ad lachrymantem fœminam, iubente Nauiculario, Sacerdos, eius, cæterorumque saluti consulendi caussa, crimen iam palàm confitentem, horrentem scelus, vehementer, alto ex pectore suspirijs indicibus, pœnitentemque facti, piè est hortatus, ne sibi deesset, cui certò cognosceret, Numinis fauorem adesse. Crimina lachrymis & animi pœnitudine deleri, tantam miserentis Dei Clementiam esse, erga mortales, vt altius, vel in malorum profundum, delapsos, at resipiscentes, nonunquam ad maiorem longè, quam vnquam antea habuissent, gratiam recipiat. Media pij Sacerdotis adhortatione, cum multis suspirijs, mulier admissum faci-*

6. Tempestas ab incubo dæmone excitata sedatur.

Lib. 8. rerum Scoticarum.

Virtus integræ Confessionis.

nus deploraret, & à Sacerdote absolutionem flagitaret, ea data, cunctis visa est atra nubes, è nauis sentina prosiliisse, ingentique sono, flamma, fumo, atque fætore se deiecisse in mare. Sedatum est inde cœlum, & qui naui, licet pessimè affecta, vehebantur, ad portum feliciter peruenerunt. Hæc ad verbum, Scoticarum historiarum fidelissimus compilator. Equibus stupenda planè & incredibilis veræ integræque Confessionis virtus, luculentissimè demonstratur.

III. Exempla recentiora de mirabili energia integræ confessionis.

1. Puer nobilis Confessione ab importunissimis dæmonis tētationibus liberatur.

In literis Prouinciæ Franciæ.

Mart. DelRio lib 6. c. 2. sect. 3. q. 3.

Et ne qui putet, olim tantummodò, hac virtute præditam extitisse, sacram Exomologesin, candidè coram Sacerdote peractam, noua quædam, & supradictis longè recentiora Exempla, superaddamus, quæ nostra etiamnum memoria, contigerunt, Francisco Bencio apud Martinum Del Rio, in hæc verba referente: *Circa annum 1591. Pontimussi Puer erat, nobili magis pollens genere, quam domo opulenta, compingitur in aulam, parentum iussu, à gymnasio abstractus: sed mobilitate ingenij, cum recursaret desiderium, vitæ prioris, statuit inter lixas calonesque potius versari in castris. Iter ingresso, atra viri species occurrit in serica veste, qui interrogans caussam tristitiæ? pollicetur remedium. Verum vbi te adiuuero, inquit, ecquid præmij? at puer: Vt totum me excutias, inquit, ne teruncium inuenias: Cui alter: Da te mihi modo, nulla tibi cupiditas, frustra erit. Existimat puer, se in seruitium peti, postulat tempus deliberandi. Ille contra onerare promissis ingentibus, vt vel puero, tanta iam vaniloquentia, mira esset: suspectare itaque cœpit, num in figura hominis, lateret Cacodæmon? Mox cum tacite totum eius corpus emetitur oculis, sinistrum pedem animaduertit, bifida vngula ac deformi, statim cohorruit, & qui mos rectè institutis, in metu repentino, IESVM ingeminans, crucis signo armat frontem, eodemque puncto, sæua species euanuit. Tertio post die ad nos reuertenti, eadem imago se offert, & proditur eadem pedis nota. Quærenti, vtrum captum esset consilium? puer respondit: Sibi Domino opus non esse; rogatus quo iret? Vrbem nominauit. Tum dæmon ante eius pedes, Crumenam iacit sonantem, in qua triginta, quadragintauè Flandrici nummi, (ex his reperti postea inaurati duodecim, recentes diceres & asperos, veluti ab adulterantibus monetam, nam æreos fuisse, ignis ostendit) tum puluerem in linteo, pernicialem tradit, cuicunque subita morte tollendo. Addit consilia ad turpes libidines, & admonetur, à piacularis aquæ vsu & à consecratæ hostiæ*

hostiæ adoratione (quam contemptim placentulam vocabat) abstinendi. Eam blasphemiam, dum auersatur puer, animo pio, simulque veretur, ne obtorto collo, strangulettur à monstro, salutarem crucem imprimit pectori, statim magno impetu alliditur ad terram, nec nisi post semi horam exurgit. Vehementius deinde, ex die in diem, variis spectrorum apparitionibus terretur. Sacra tandem Confessione expiatus, è laqueo venantium, omnique metu, ereptum se esse, diuina ope, gloriatur. Addit ibidem aliud Martinus Del Rio, de nobili viro in Austria, *qui furioso quodam amore, erga feminam quandam, distinebatur, vt nullum eius, neque humanis neque diuinis, monitis, finem faceret, ita vesano completa igne torrebantur tota præcordia: secuta dæmonum horrendissima spectra, aliaque sine numero terriculamenta, quæ lustralis quidem aquæ vsu, & crucis signo, & in cera consecrati agni imagine, ad tempus pellebantur, sed sæpius ac sæpius redibant, dæmone semper, minacissimo vultu, apparente. Detectis demum, integra confessione peccatis, turpi perinde amore, quam tristi, animum terrore, integerrime liberauit.* Aliud ibidem subnectit hisce verbis: *Mulier in Bauaria, satis ærumnosa, siue leuitate naturæ, siue grauitate ærumnæ, implorato Dæmoni, se deuouit, vt opem ferret. Et tum quidem non sensit præsentem, verum in potestatem vt rediit, ex mærore dedit pœnas, iacti verbi, terroribus non tantum, pauida sed & verberibus tunsa, vt etiam ab aditu templi, prohiberetur, virgarum quas sola ipsa conspicabatur, intentu. Adducta ergo ad Sacerdotem, ab eaque Confessione totius vitæ peracta, ab omni imposterum Dæmonis vexatione, extitit immunis.* Ac denique aliud de virgine, quæ concepto, & facto virginitatis & monasticæ vitæ voto, cognatarum instinctu, nuptias iniit, in quibus, cum viro nequam, misere viuens, nunquam deserebatur à conscientiæ angoribus. Hinc ei truculentissima forma Dæmon sæpius minatur, & sic infestat, vt furore amentiaque corripiatur. Intermicabat in his tenebris aliquid lucis, confugienti ad preces, cogitabat templum, & Sacerdotes adire, sed diabolica & inuisibili quidem manu, retrahebatur. aliorum tandem auxilio, Sacerdotem consulit, suadetur confessio, qua integre peracta, cessat furor, & Dæmonis agitatio, prorsus consopitur. O admirandam, ô plane diuinam virtutem, integræ confessionis, adeo efficaciter, omnes Dæmonum laqueos, & cathenas dissipantis.

Del Rio ibidem.
2. Turpis amor vna cum Dæmonum spectris fugatur.

Ibidem.
3. Dæmoniaca vexatio excutitur.

4. Furor & dæmonis agitatio propulsatur.

IV. Pellit omnia dæmonis phantaſmata integra confeſſio.

In floribus exempl. c 5. Tit. 39. num. 6. & 7. Ex litteris annuis Societatis, anno 1584. de rebus colleg. Paſcuarienſis Prouinciæ Mexicanæ.

1. Pauor & formido à dæmone immiſſa abiguntur.

Quid quod hoc ipſum Confeſsionis integræ ſubſidium promptiſsimè ſeruiat, ad omnia demonum Phantaſmata, & ſæpius obiecta terriculamenta, viriliter propulſanda? Ea de re, duas hiſtorias refert Antonius Dauroultius; priorem hiſce verbis: *Erat Indus, cum cæteris vitijs, atque omni dedecore infamis, tum ebrietate potiſsimum. Hunc benè morata vxor, egregiaque Chriſtiana, monebat aſsiduè, caueret diuinas iras: ſed vbi ſenſit, nullum admonitionibus relinqui locum, precata à Deo eſt, vt curam coniugis ipſe ſuſciperet, cæcamque mentem, pro ea, qua ſolet, benignitate, nullis etiam laceſſita meritis, illuſtraret. Non ſpreuit diuina bonitas, æquas mulieris preces. Vir cum maximè iaceret in luto, noctuque ambularet in publico, Ecce tibi ſathanas, cui ille ſe non ſemel addixerat, horribili moloſsi ſpecie, vaſto oris hiatu, ad deuorandum expeditus, ac niſi candidi quidam, vt ipſe teſtabatur, adoleſcentes, eximiæ pulchitudinis accurriſſent, immanemq; belluam, ab eius corpore continuiſſent, confecta res eſſet. Continuatur illius ſpectri infeſtatio, diebus non paucis, qua ille perterritus, & penè alienatus à ſenſibus, vti quoties gradum faceret, ſibi in enormes fauces illas, incidere videretur. Ad Sacerdotem itaque accurrit, vitæ peioris delicta omnia & ſingula, enucleate confitetur. Animi expiatione facta, abijt ſpectrum, euanuit pauor omnis, formido abſceſsit.* Alterum ſic habet: *Confeſsionis ſinceræ beneficio, non modo liberantur mortales à ſpectris, ſed etiam ab omni dæmonis infeſtatione. Vir ſiquidem honeſtus, ac clarus, cum aſsiduas dæmonis pateretur iniurias, petebatur enim ſæpe lapidibus, nec vlla quies, domi foriſque dabatur: Cum multa & varia fruſtra tentaſſet, leuationem aliam, quam à confeſsione integra, non tulit. Monuit enim Sacerdos, prius delendas eſſe peccatorum maculas, ſi ſe tranquillum reddere, & à dæmonibus tutum vellet. Cum paruiſſet, tandem dæmon Chriſto, & luci tenebræ conceſſerunt, & hoſtis oppugnatio, tota ceſſauit.* Adeò formidoloſa eſt confeſsionis vis, omni tenebrarum poteſtati.

Ex literis annuis Prouinciæ Rhenanæ anno 1585.

2. Impugnatio Diabolica exterminatur.

V Infeſtatio Dæmonis in hora mortis integra confeſſione in nihilum redigitur.

Apoc. 12.

Nouimus equidem, humanam ſalutem, à ſathana nunquam acerbius, nunquã infeſtius oppugnari, quã in extrema vitæ periodo: *Deſcendit ad vos diabolus*, inquit Angelus, *habens iram magnam ſciens quia modicum tempus habet.* At nihil æquè violentiam eius infringit, quàm *Confeſsio*: Exemplum depromo, è vita ſancti Guidonis Confeſſoris: *Cum Bertholdus quidam morti propin-*

propinquus, tandē animam efflaret, conscientiæque stimulis pungeretur, benignitate Dei & precibus sancti Guidonis, sibi redditus est. Rogantibus autem fratribus, quid sub ijs, tàm diuturnis mortis angoribus vidisset? Vidi, ait, *dæmones, aduersum me horrendißimè sæuientes, & peccatum quoddam mihi obijcientes: Cum enim in sæculo degerem, non nisi vnicam didici incantationem, qua non sæpe tamen vsus fui, sed ea iam planè etiam ex animo exciderat. Hanc solum illi proceres spiritus mihi formidabilem in modum, obiecerunt. Sed cum propositum integrè confitendi, in corde meo concepissem, virtute Christi & orationibus sanctißimi Patris Guidonis, vestrisque profligati, abscesserunt. Peccatis ergò ritè coram Sacerdote depositis, absolutione data, lætus, & sine hostium illorum pauore, in pace perpetua quieuit.* Quicunque igitur placidè, & sine sathanæ, & Angelorum eius molestia, hinc emigrare desiderant, hoc ipso, integræ confessionis medio, saluti suæ prospiciant, & ignita eius iacula, isthoc tam salutari medio, præcauendo, retundant.

Surius Tom. 2. in vita S. Guidonis 31. Maij.

1. Integre cōfitens in agone à Dæmonis infestatione eripitur, & placide obdormit.

Incantationibus vti periculosissimū.

Quid pluribus immoror? Diabolica insuper stigmata, humanis corporibus, in seruitij signum, à diabolo impressa, non solum abolet vera confessio, verum etiam omnium peccatorum memoriam ei adimit, vt de ritè confessis criminibus, neminem valeat amplius accusare. Et quod pluris æstimandum, non nouit amplius eos, qui sibi antea homagio fueñrant deuincti: Vidi ego hisce meis oculis, vnum de pueris illis, quatuor, qui se annis superioribus, sanguinis proprij chirographo, diabolo addixerant; hic in manu sinistra, diabolicum stigma, velut cauмate inustum, notabili deformitate ostendebat. Confessus est. Exorcismis adhibitis, retulit dæmon Chirographum; Et ecce stigma illud omninò euanuit: quod non ego solum, sed & multi, è Societate IESV Patres, notatu dignum, duximus in historiam referendum. Huic addo historiam, ex Chronico Ordinis sancti Dominici: *Duo ex Ordine sancti Dominici Fratres, oberrabant in montibus Hyberniæ, qui viam inuenire non valentes, dum aspicerent ante se, viderunt quendam hominem, paruæ staturæ, quem cum vocassent, fugere eos cœpit. Qui cum secuti eum fuissent, requisita via, noluit respondere. Sed cum instarent, & inquirerent,*

VI Confessio integra abolet Diabolica stigmata, & characteres.

1. Dæmon nō nouit amplius integre confessos.

Historia nostri temporis.

2. Stigma diabolicum facta exomologesi integra euanescit.

Ioan. Iunior in scala Paradysi.

Ioan. Maior in speculo. Tom. 2 dist. 9. Num. 35.

3. Annis tri-

ginta Dæmoni obligatus Confeßione integra eius characterem abolet, & ab eo non amplius agnoscitur.

rent, quis esset? dixit: Triginta annis dæmonibus seruiui, homagium eis feci, & sigillum eorum in manibus meis porto. Visitant me in diuersis figuris, & quidquid præcipio, faciunt semper. Cumq; vnus eorum seriò ad pœnitentiam eum exhortaretur, allegando inferni pœnarum acerbitatem, infinitatem diuinæ misericordiæ, seruitutis diabolicæ turpitudinem, ille compunctus, quærit consilium, quomodo posset saluari? Tunc frater ille Sacerdos: Confitere omnia peccata tua, quia virtus Confeßionis tanta est, vt frangat omnem diaboli potestatem, mitiget omnem iram Dei, & induat omni virtute. Cumque ille cum maxima contritione, perfectißimè confessus fuisset, statim sigillum dæmonis apparuit abolitum, & veluti abrasum. Tunc fratres; Vt agnoscas magis, inquiunt, virtutem Confeßionis, sta hic in nemore confidenter, vti antea solebas, cum diabolo sermocinaturus: & si diabolus, cui tu fecisti homagium, dum venerit, te non cognouerit, Deus tibi indulsit peccata tua. Qui confisus de misericordia diuina, dæmonem expectauit. Abeuntibus illis, cum dæmon cum magno equitatu venisset, interrogauit, si seruum suum non vidisset? respondit: Ego sum ille, qui triginta annis seruiui tibi: Tunc dæmon: Mentiris nequam, non vidi te, sed quæro illum, qui sigillum meum habet, in manibus suis. Quod ille audiens, cum gaudio rediit, ad salutis suæ, post Deum, auctores, & inposterum piè Deo famulandi, ab eis documenta accepit. Quod si hoc, quod maius est, effectum dare potest, vera confeßio, quanto magis id quod longè minus, & propulsare omnia diaboli nocumenta, quæ per se, & administros, humanis corporibus & bonis, intentat?

Signum diaboli disparet.

Audite venefici & sagæ omnes, etiamsi millies homagium dæmoni præstitissetis, etiamsi millies millies, horrendißima in Deum, in Angelos, in Sanctos scelera, sacrilegia, patrassetis, dummodò peccata vestra, seria cum contritione, Sacerdoti aperiatis, ac Dæmonis seruitio vos veraciter posthac subtrahatis, mihi credite, æterna salus vestra, erit in tuto. Ne vos ergo sinatis, adeo miserabiliter, à Diabolo persuaderi, vt grauißima illa, Dæmonolatriæ sacrilegia, reticeatis, quin potius, *Induite vos hanc armaturam Dei*, vt ignea hostis malignißimi tela, ceruicibus vestris iminentia, excutiatis, & æternæ damnationis miserias, effugiatis.

AMEN.

CON-

CONCIO XIX.

REMEDIVM VNDECIMVM: EVCHARISTIAE SVMPTIO, FORMIDABILIS DAEMONI, ET EIVS VIRTVTE EXPELLITVR ab obsessis.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.



Vam versipellis, quam fraudulentus sit hostis, *dæmon*, qui nunquam est expertus, vix sibi potest persuadere: *Quemadmodum qui pecora abigunt*, inquit Clemens Alexandrinus, *frondes porrigunt: Ita dæmones omnia fortunæ ludibria, & voluptates animabus protendunt, quo possint tandem eas, inescare, & in seruitutem redigere, ac pro libitu vexare*: quod tantò quidem solertius agunt, quantò ardentius humanam perniciem sitiunt atque procurant. Quamobrem sicut Dei Filius, Saluator noster, Augustissimum *corporis & sanguinis sui sacrificium*, non solum, sed & *Sacramentum*, contra omnia, quæ nos in hoc mundo premunt mala, prouidit & apparauit: Sic eius potissimum virtute mediante, dæmonis fraudes & insidias, eius efficacia compescere voluit, non solum, dum in Eucharistia, sumitur, sed & cum in tremendo Altaris mysterio à Sacerdotibus offertur, vbi in vno Mysterio, duplex iterum armatura Dei, *Sacramenti*, inquam, & *Sacrificij*, continetur, Deo dante, hac & sequenti cõcione, explicanda. Cœptis ergo nostris is faueat, qui in vtroque Deus verus & homo sumitur, offertur, & adoratur. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

Lib. 2. Stromat.

I. Sacramentum Eucharistiæ summæ virtutis, contra malignos hostes.

Nouum mysterium, armatura noua: Quis vnquam audiuit, mensæ accumbentem, comedentem & bibentem, cibo potuque, contra hostes armari? Id gratiæ assequuntur, qui mensæ Domini accumbunt, & eius carne & sanguine pascuntur: *Parasti*, inquit Dauid, *in conspectu meo mensam, aduersus omnes qui tribulant me.* Quæ *mensa* illa? *Corporis & Sanguinis* Saluatoris. Qui *hostes* te tribulantes? *tenebrarum Potestates*, de quibus addit:

I. Mensa Domini nos armat & confortat.

Psalm. 22.

dit: *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu,* quem cum corpore & sanguine, in hoc mysterio sumpsi, *mecum* es, mihi quodammodò, vt cibus & potus concorporatus. Huius itaque diuinissimi Sacramenti virtute, *super*
Psalm. 90. *aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem,* O miles Christiane: Tibi namque & commilitonibus tuis, ad Domini mensam dignè accedentibus, ait qui in eo contine-
Luc. 10. tur, & realiter est præsens, tuus Imperator: *Ecce dedi vobis potestatem, calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* O sacratissimam contra formidabiles illos hostes armaturam, *cuius virtute,* vt affirmat S. Martyr I-
Epist. 11. ad Ephesios. gnatius, *labefactantur vires Sathanæ, & ignita eius iacula, irrita resiliunt.* Et quod plus est, S. Cypriani testimonio, *ad hoc fit Eucha-*
Lib. 1. Epist. 2. alias Epist. 54. *ristia, vt possit accipientibus esse tutela: Quos igitur tutos contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.*

2. Diabolus formidat dignè communicantes.
Homil. ad Neophytos.

Nil sanè magis formidat diabolus, quam eos, qui hoc dignè percipiunt Sacramentum, quod expressè affirmat S. Ioannes Chrysostomus: *Cum te egredientem, post Dominicum conuiuium, viderit inimicus, post cœlestes epulas, tanquam ignem, Leonis ore flammantem, fugit & deserit, omni vento velocior, nec appropinquare contendit: Et cum cruentam linguam, tuam, ille crudelis perspexerit, mihi crede, non stabit: Et cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retrò cum*
Hom. 45. in Ioann: *timore torquebit.* Et alibi: *Ab illa mensa, tanquam Leones ignem spirantes, surgamus, diabolo formidolosi. Mysticus nempe hic panis, dæmones quidem expellit, & procul esse facit, Angelos autem nobis associat.* Hæc omnia S. Ioannes Chrysostomus: Nec dissimilia Elias Cre-
Orat. 4. Nazianz. tensis: *Cum Dominica mysteria sanctè ac dignè percipimus, atque animæ vitijs mortem afferimus, aduersus dæmones & impuras perturbationes, in procinctu stare, ijsque superiores esse possumus: Diabolus enim eos, qui diuina Mysteria pio ac reuerenti animo, sumunt, mirificè pertimescit.* Sed quid de illo fiet, qui se longo tempore, à diuinissimo, huius Sacramenti, præsidio, subducit? *Magis magisque,* inquit Cassianus, *inimicus insultabit ei, cum eum à cœlesti medicina viderit segregatum, tantoque dirius ac frequentius attentabit, quantò eum à spirituali re-*
Psalm. 22. *medio longius senserit abdicatum.* Vsque adeò stat immobile, quod

Dauid

Dauid est vaticinatus, de hac Domini mensa, *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Parasti in conspectu mensam aduersus omnes qui tribulant me.*

Lupus animal, vt naturales scribunt Philosophi, fortitudinem suam omnem habet in collo, & capite, debilis alioquin, in cæteris membris, ignem autem de nocte, accensum, aut lucentem, aut interdiu inter se collisa saxa, mirificè timet: Sic *Lupus* ille *Infernalis, diabolus*, omnem fortitudinem suam, in primo impetu, & incursu collocat, nil magis timet, quam ignem illum, diuinæ charitatis, accensum in illorum pectoribus, qui hoc nobilissimum Sacramentum, dignè percipiunt; ait enim Saluator: *Ignem veni mittere in terras, & quid volo, nisi vt ardeat?* Odorem Cedri non fert *serpens*: Sic nec huius Sacramenti virtutem, *Draco* ille *magnus & Rufus* serpens antiquus. Terrentur fures & Latrones, videntes Regem aut Iudicem, cum satellitibus & lictoribus præsentem, à quibus comprehensi, scelerum pœnis, facilè subijciantur: Est in hoc Sacramento, *Rex* ille *Regum, Rex virtutum, Rex gloriæ, Rex & Iudex hominum & Angelorum malorum*, quid ni terreantur isti, videntes Deum ac vindicem suum, iustissimum, in hoc Sacramento stipatum satellitio Sãctorum Angelorum, vt eorum truculentam rabiem, à fidelibus compescant? In itinere Latronibus insesso, & infestato, non est quod timeas, si comitem viæ nanciscaris fortissimum, & imperterritum quendam heroem, te comitantem, non solum in propria persona, sed & cum seruorum suorum numero, non exiguo, ad te defendendum parato: Percepto, ecce, hoc Sacramento, fortissimus ille *Gygas*, cuius *egreßio à summo cœlo*, qui *fortem armatum* crucis suæ funda prostrauit; quid times à *timore nocturno*, in via huius vitæ? Eia age, *confortare*, cordatus *robustus esto*, cum Dauid & dic, *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me: Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

[Margin: 3. Eadem Eucharistiæ virtus similitudinibus elucidatur. 1. Gemin. lib. 5. cap. 39. Ambros. in Hexã. Ioan. 12. 2. 3. Apocal. 12. Apoc. 12. & 13. Psalm. 23. 4. Psalm. 18. 1. Reg. 17. Lucæ 11. Psalm. 90. Psalm. 22. II. Pellit Dæmones ab obsessis.]

Quid plura proferam, de ineffabili virtute, huius Sacramenti, contra ignita Diaboli tela? Sicut serpentis caro, in Theriaca est remedium, contra venenum, ita Christus eandem

[Margin: 1. Caro Christi antidotum contra Diaboli venena.]

 carnem,

carnem, quam Diabolus, morsu serpentino infecerat, in Paradyso, nobis in hoc Sacramento parauit Antidotum, contra omnia Diabolica venena. Hoc Sacramentum pellit Dæmones à corporibus obsessis. Reuoco hic mihi in mentem, historiam à S. Prospero Aquitanico descriptam: *Iuuencula quædam, natione Arabica, ancillæ Dei habitum gerens, dum in balneo lauans, Veneris pariter imaginem, & se ipsam libidinose aspexit, lasciuis motibus agitata, se ipsam Diabolo hospitium præbuit. Mox ille ingressus, meatum gutturis eius, sic præfocauit, vt septuaginta dierum spacio, cibum non caperet, aiens, autem, nescio quam, media de nocte aliquid semper ori eius instillare, vnde sustentetur. Ad monasterium tandem feminarum deducta, duas itidem hebdomadas exegit, sine cibo & potu: adducta demum cum virginibus aliis ad aram, vt sacram sumeret Eucharistiam, eam omnino non potuit deglutire Dæmone fauces eius strangulante. Consuluit ergo Diaconus, sacrificanti monasterij præposito, vt calix Dominici sanguinis, eius gutturi admoueretur, dictum factum, & ecce illico Dæmon abscessit, & vexata, sacram hostiam, facilè deglutiuit, & ab omni inposterum; Dæmonis vexatione libera permansit.* Ecce corporis pariter & sanguinis Dominici virtutem:

2 Calix admotus gutturi obsessæ. Part. 4. lib. de promission. & prædict. c. 8. Aspectus libidinosus quam periculosus.

3. S. Auxentij discipulus curatus. Sim. Metaphr. in vita.

Habebat S. Auxentius Abbas discipulum, Basilium nomine, vti scribit Simeon Metaphrastes, hunc Dæmones adeo malè mulctarant, verberando pariter, ac terræ allidendo, vt pro exanimi corpore toto, saucius & contractus, ad Auxentium, curru fuerit delatus. Iussit igitur Abbas, eum Christi corpus & sanguinem sumere, & illico sanus surrexit, nec eum tentator, ille amplius inuasit, sed omnino liberum dimisit.

4. Alia à S. Bernardo per sacram hostiã curata. Lib. 2 eius vitæ.

His non cedit quod in vita & rebus gestis S. Bernardi refertur, à Guilielmo Abbate, his verbis: *Mediolani, in Ecclesia S. Ambrosij, adducta ad eum fuit mulier, multis annis obsessa, sicque deformata, vt monstrum, non femina videretur: Conuersus vir sanctus ad populum iussit omnes attentius orare, Missamque, iussa prope altare constituta femina teneri, auspicatus, quoties de more sacro, salutarem hostiam signabat, toties ad mulierem quoque conuersus, eodem signo crucis edito. Spiritum nequam, athleta fortis, impugnat. Expleta autem oratione Dominica, efficacius hostem aggreditur. Patenæ siquidem calicis, sacrum Domini corpus impo-*

Exorcismus, à S. Bernardo adhibitus.

imponens, talia loquebatur: Adest ille, qui pro nostra salute passurus, nunc inquit, Princeps huius mundi eijcietur foras.

Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptū est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod à morte surrexit, quod videntibus discipulis, ascendit in cœlum: in huius ergò Maiestatis, terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cumque eam inuitus deserens, & manere vltra non valens, atrocius affictaret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens, rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris, ritè compleuit, diffundendamque in populo pacem, ministro dedit, & confestim virtute Sacramenti, pax & salus integra, mulieri est restituta. Nec dissimile est, quod de B. Stephano Presbytero Constantinopolitano, allegat Marulus: Is ad Energumenam quandam vocatus, sacram Eucharistiam eius capiti imposuit, ac dæmoné protinus exegit. Mulier autem liberata, confidenter asserebat, sibi tunc visum fuisse, quod viuum elegantissimumque puerulum, in eius capite collocasset, cuius præsentiam, cum hostis auersaretur, illicò diffugisse. Ecce admirandam huius Sacramenti virtutem, contra dæmones, hominum corpora, Deo permittente, vexantes. Sed vetera sunt hæc, recentiora desideratis? nec illa desunt.

5. Eucharistia capiti imposita pellit Dæmonem. Lib. 4. c. 12.

Quercetanum in Belgio, sacrarum Virginum Monasterium, vt Ioannes Molinetus refert, molestissimam, multorum annorum, vexationem, ob quandam laicam, ex earum numero, quæ diu dæmonis succuba fuerat, pertulit: Nam integra dæmonum legio eam inuasit, & miris, horrendisque modis diuexauit. *Decanus igitur Cameracensis, Vir doctus & probus, cum alijs Exorcistis accessit, & peracta sacra communione, hostem aggressus est. At dæmon viuificam hostiam non ferens, exclamauit: Ah satis probè armati acceditis; panemne illum sumpsistis? Quem panem ais, improbe? inferebat Decanus: Si nihil aliud est quam panis, maneto in hoc corpore obsesso: sin autem, vt nos credimus, verum est corpus Saluatoris nostri IESV Christi, iubeo confestim fuge ex corpore, nec vllam ei molestiam amplius aude exhibere. Quo dicto, rem miram, energumena, vt magno fasce leuata, molestia, confestim respirare, & altissima voce, IESVM inclamare cœpit, quod*

6. Moniales Quercetanæ in Belgio. In Chronico Belgij anno 1490.

Attestatio veritatis corporis Christi & sanguinis in Eucharistia propulsat Dæmones.

item omnes faciebant cæteræ, quando dæmone expulso, liberabantur. Hæc Molinetus eius temporis scriptor.

7. Liberatio Nicolaæ Laodunensis obsessæ. In Energumenico & Alex. de obsessa. Nicol. de Obrij anno 1565.

AEuo nostro adhuc vicinius est, quod Bartholomæus Faijus, Parisiensis Præsidens, ad longum describit: Nicolaam de Obrij fæminam Laodunensem, ingens dæmonum turba obsederat, eamque diu multúmque, miserabiliter agitârat. Ex qua, cum Sacerdos quidam, Ordinis Prædicatorum, aliquot, per Exorcismos dæmones, eiecisset, Supremi omnium, Beelzebub, Cerberus & Astaroth, responderunt: *se eijci non posse, nisi per superiorem Sacerdote, qui esset in comitatu Regis:* Intellectum ergo, hostem loqui, de Ioanne Bursio Episcopo Laodunensi, qui tùm aderat Regi. Deducta est igitur Energumena, Laodunum, venit eò Episcopus, indicitur ieiunium, instituuntur supplicationes, Exorcismus in Cathedrali Ecclesia inchoatur. Adsunt magno numero Catholici, sed multò plures Hugonotti Caluiniani. Obsessa, truculentissimo vultu, euersis oculis, inflata facie, protensa lingua, horrendum fremens, ac vociferans, pauorem incutiebat. Profert Episcopus sacram Hostiam, in pellucida Hierotheca, ad cuius conspectum obsessa, multò magis, exhorrescere ac trepidare, sed nihilominus interea sacram Hostiam, vt Caluinistis in Gallia mos est, *Album Ioannem* contemptim appellitare. Quærit Episcopus, & Exorcismo instantius vrget, cur nihilominus, ad huius Sacramenti præsentiam expauescat? Ingeminat malignus: *Quia in illo, est illud Hoc, Hoc, Hoc,* &c. nolens tamen omnia verba integrè proferre. Adiuratus tandem, decima sexta vice, respondit explicitè: *Quia illi inest, qui dixit: Hoc est corpus meum.* Præcepit ergo Episcopus diabolo, vt in virtute corporis & sanguinis Christi, existentis in hac sacra hostia, illicò emigraret ab obsessa; *Etiam* inquiebat, *cogor, sola ipsius virtute, actutum hinc abire.* Atque ita fæminam liberam sanamque dimisit. Exhilerati mirificè Catholici, Deo gratias egerunt; confusi Caluiniani, quamplurimi, Ecclesiæ nomen dederunt.

8. Similiter adolescens Dæmonum

Memorabili huic historiæ, aliam æuo nostro adhuc longè propiorem subtexo: Laurentio Boy soneto Adolescenti à pueritia,

ritia, dæmon in varijs formis, Corui, Passeris, Vlulæ, Capræ, viri Cornuti, speciosæ mulieris apparuerat, tandemque corporaliter insedit illi, ac Patri, qui de die quadam, sacram synaxin sumpserat, indignabundè in faciem oblatrauit: *Abi in malam rem, qui hodie Album illum deuorasti*; hoc nomine Caluiniani appellant per ludibrium, Sanctissimum Sacramentum. Alio tempore, Auunculo ad se accedente, dixit: *Valupares insigniter, nisi Album illum, hodie comedisses.* Similia non pauca, dum edit indicia, palàm fit, obsessum esse. Ad Episcopum itaque Suessionensem, adducitur, à quo interrogatur dæmon, *quo nomine vocaretur?* respondit: vocari se *Bonnoir*; caussam obsessionis rogatur; Bis exclamauit: *Ob Domini tui gloriam.* Interrogatus, *quando egressurus esset? Quando*, inquit, *hospes meus, Album comederit, abibo: sin recusauerit, manebo.* His auditis Episcopus, ad aram conuersus, Sacrosanctam petit hostiam, patenæ imponit, Energumenum accedit, & licet non sine difficultate, Sacramentum tamen ei, in os reponit: Nam cum dæmon vehementissimè reluctaretur, Sacerdos assistens, duos sacratos digitos, in os Energumeni ingessit, quos ipse, os quidem claudendo, dentibusque stridendo, nitebatur mordere, tamen minimè valebat. Cernere erat ingens luctamen, inter diabolum & Saluatorem: Nam Energumenus, capite & ore turpiter commoto, turgenti facie, inflatis buccis, se se agitans, modò instar suis grunniebat, modò instar canis latrabat: Flente Præsule, flentibus Catholicis, ad rei exitũ attonitis Caluinistis, Theologus Episcopo assistens, velut numine afflatus, in hæc verba prorupit: *Da gloriam Deo viuo & vero; da honorem* IESV CHRISTO, *& eius corpori sacratissimo, quod est in Sacramento Altaris, & exi ab hac creatura Dei.* Quod cum tertiò repetijsset, clamabat Energumenus, *se suffocari.* Visus est etiam, è narium meatibus, tenuissimus fumus, erumpere, quocum immundus spiritus exiuit, & adolescentem liberum dimisit. O quam verè dixit S. Martyr Ignatius, *hoc Sacramento Sathanæ vires labefactari.* Ex his haud difficulter quispiam æstimabit, quantæ virtutis sit hoc Sacramentum, in hostibus malignis, ab hominum, quos obsident corporibus eliminandis.

Tyrannide eripitur. Ex libro Parisijs anno 1583. impresso. De diuina 4. Obsessorum liberatione apud Suessiones facta.

9 Sacerdotis digitos quibus sacram tangit hostiã Dæmon mordere non potest.

Quid restat igitur, dilecti mei auditores, quam vt creberrimè sacram Eucharistiam, digna cum præparatione, frequẽtetis? Nam vt ij, qui indignè sacram Synaxin, recipiunt, se se diabolicis artibus lædendos exponunt; ita qui dignè accedũt, omnem inimici potestatem, infringunt & eneruant. *Induite* ergò hanc *armaturam Dei*, quam sæpè occasio datur, & *aduersus diaboli*, & mancipiorum eius molimina & *insidias*, tuti manebitis & consistetis. Amen.

CONCIO. XX.

DVO ALII EVCHARISTIÆ EFFECTVS, PRAESTIGIARVM DIABOLI DISSIPATIO, ET MALEFICIORVM DISSOLVTIO; MIRA insuper sacrificij Missæ virtus, contra malignos hostes.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.



VT Sacramentum Eucharistiæ, sacrosanctum, omnium cœlestium donorum atque Charismatum est Cornucopiæ atque Gazophylacium; ita omnium diuinorum contra visibiles & inuisibiles hostes, præsidiorum atque auxiliorum, fons & scaturigo. Quomodo affligat dæmones, & quam potenter eos ab obsessis, eliminet atque exterminet, superiori sermone historica vt plurimum probatione, ostendimus; instat nunc, vt simili dicendi genere, quam efficaciter omnes dæmonis præstigias, & maleficia, tàm in Sacramento, quam in tremendo sacrosanctæ missæ sacrificio, in nihilum redigat, atque disperdat, illo benigniter opitulante, qui vtrobique à nobis adoratur & colitur, breuiter explicemus.

I. Præstigias dissipat.

Induite vos armaturam Dei, Sacramentum istud, piè frequentando, *vt poßitis stare, aduersus insidias diaboli.* Præstigias enim hoc Augustissimo Sacramento, efficacissimè dissipari, & à fidelibus propulsari, nemo vnquam in dubium, reuocabit. Neque enim

enim inania illa phantasmata, coram Deo, cuius potestas est infinita, solidè subsistunt. Tomas Cantipratensis scribit, quod his eius verbis enarro: *Albigensis hæreticus, homo peruersissimus, diaboli fascino mirè ludificatus, sacerdotem ordinis nostri, contra hæresin illam, feruentissimè concionantem, peruertere nitebatur: Sed frustra. Tum promisit, si ei crederet, Christum & Beatissimam Virginem, ipsi se ostensurum; Sacerdos, vt erat diaboli fraudum minimè ignarus, annuit quidem, sed prompto consilio, pixidem sanctissimi Sacramenti, secum accipiens, sub veste abscondit, & cum hæretico mago exiuit, ad proximi montis speluncam, in qua ei, eximiæ pulchritudinis palatium, arte diabolica effictum, ostendit, mira claritate collucescens. Nec mora, ingressi Palatium, auro gemmisque rutilantes thronos, in quibus Rex & Regina, innumeris Angelorum, stipati agminibus, considebant. Sedilia insuper circumcirca, in quibus Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, aliíque sancti, ordine suo, singuli considebant. Hæreticus Regem & Reginam pronus adorabat, Sacerdotem obiurgans, cur id omitteret? Tum ille propius accedens, extracta pixide sanctissimi Sacramenti, porrigens Reginæ in solio considenti, & aiebat: O Regina si es Mater Dei, adora hunc filium tuum, & ego te quoque recognoscã. Vix hæc fatus erat, & ecce totum illud diabolicum Phantasma, euanuit in momento, & tam densæ secutæ sunt tenebræ, vt os speluncæ, non nisi summa cum difficultate, potuerint inuenire.* Simile quid cuidam Sacerdoti, in Alpibus Rheticis, sacram hostiam ad ægrotum delaturo contigisse memoratur cum ad simile spectaculum in via visendum, ab incognito quodam equite, inuitatus esset; Reginam namque se Dei Matrem fingentem, conspicatus, ei pixidem cum sacra hostia, dono porrexit, & phantasma illud, quod apparebat, euanuit in momento. Sic spectra damnatorum quorundam, in conuentu Dominicanorum, Neapoli apparentia, Prior loci, ostensa sacra Encharistia, illico fugauit.

Albigenses hæreticos, vt plurimum insignes Magos extitisse, Thomas VValdensis, & Guido Carmelita, testantur, vnde mirabilia non raro præter naturam efficientes, complures simplices, ac rudioris ingenij homines, errore suo illaqueabant. Videns ergo Sacerdos quidam, aliquot eius sectæ præstigiatores, siccis pedibus, super aquas ambulare, neque tamen

1. Dæmonica visio, mediãte sacra hostia euanescit. Lib. 2. Apum. cap. 57.

Phantastica Dæmonum apparatio, in forma Regis, Reginæ & totius cælestis exercitus.

2 Simile contigit alteri Sacerdoti. Vide Mart. Delrio. Lib. 5. c. 2. sect. 3. q. 3. Picus Mirandulanus libro de strigibus.

3. Siccis pedibus in aquis incedentes, submerguntur. Guido de Albigensibus. F. Antonius Senensis,

Ord. Prædicatorum. Cęsarius lib. 9. cap. 12.

tamen submergi, accepto vasculo sanctißimi Sacramenti, inspectante & audiente populo dixit: *Adiuro te diabole, per eum quē in manibus meis porto, ne in hoc flumine, ad seductionem plebis Christianæ, poßis amplius, eiusmodi phantasmata exercere.* simulq; pixide, aquam tetigit & signauit, & ecce seductores illi, adinstar plumbi, in aquis submergebantur. Ex his ipsis hæreticis, Prædicante S. Petro Martyre, in Italia, quidam igni adiudicabantur, sed dæmon, inducta semper pluuiosa nube, ignem extinguebat, ita vt multi de populo, in fide sua, non parum vacillarent. Abijt Sacerdos, & allata Hierotheca, ignem cruce signauit, quo medio, distentus atque cohibitus dæmon, non potuit eos iuuare quin miserrimè conflagrarent. Iosephus Acosta, Petrus Iarricus, Maffeius & alij, qui de rebus Indicis scripserunt, inter alia testantur, vbicunque hoc Sacramentum in partibus illis deferebatur, dæmones illicò obmutuisse, nec ex Idolis amplius, loqui potuisse, vt sicut Dagon, ante arcam fœderis, stare non poterat, sic nec hostis malignus, huius Sacramenti Maiestatem, valeat tolerare. Nemo ergo addubitet; id esse potentißimam *Dei armaturam,* ad præstigias diaboli eneruandas.

4. Ignis accēditur quo hæretici exuruntur Ioannes à Pormyard. V. Euchar. c. 2.

5. Ad Eucharistiæ præsentiam Dæmones obmutescunt. 1. Reg. 5.

Maleficia denique & *ligaturas diabolicas* fugat, atque dissoluit, & ne præualeant, impedit, aut etiam abarcet. Palladius scribit, vxorem cuiusdam AEgyptij, veneficio in equam transmutatam, cum tamen humani sermonis vsum retineret, & hoc ei contigisse, affirmat sanctus Macarius, quod diu sacram Eucharistiam sumere omisisset. Cumque eam sanasset, præcepit ante omnia, vt sacram synaxin, post hac sæpius frequentaret. Quendam nocturnis dæmonum illusionibus, veneficio immißis, grauiter infestatum refert Caßianus, qui, cum Seniorum consilio, Medicina huius salutaris remedij vsus fuisset, fuisset, ita omnis diabolicæ Machinationis conatus, in irritum cecidit, vt hostis ab eius impugnatione penitus cessaret. In vita sancti Bernardi, Guilielmus Abbas scribit, Rusticanum hominem, non procul, à sancti viri Monasterio degentem, ab vxore saga & adultera, maleficijs sic excarnificatum, vt absumptis carnibus, nec viuere sineretur, nec mori, ac sæpius

II. Maleficia dissoluit. 1. Mulier in equam conuersa. Histor. Laus. 19.

2. Dæmonis ludificationes cassantur. 2 Collat. 22. cap. 6.

3. Tabe diuturna fere consumptus persanatur. Lib. 1. c. 10.

vocis,

vocis, omniumque sensuum spasmum atque deliquium subiret. Vicini misericordia moti, miserum deducunt ad sanctum Bernardum, iubet is, vt homo sistatur ante altare, & capiti eius à duobus fratribus, Eucharistiæ vasculum imponatur. Tum imperat, in virtute sanctissimi Sacramenti, dæmoni eum crucianti, vt discedat, & hominem liberum ac sanum dimittat, nec amplius ei nocere præsumat. Eodem momento, recedit dæmon, & miser ille, pristinæ sanitati cernitur restitutus. Magis omninò admirandum, quod lego, à Gaufrido descriptum: *In castro sancti Symphoriani, diœcesis Lugdunensis, vir quidam erat, qui sanctum Petrum Tarentasium hospitio frequenter excipiebat. Erat huic filia, iuuencula: cui socrus per maleficium, vehementer noxium philtrum, inferri curauerat, vt desperato languore, tabesceret, nec viri aspectum, vllatenus toleraret. Adhibuit porrò mater eius, alium Magum, qui ægritudinem quidem ex parte vna leniuit, sed grauius aliud malum, ex altera parte cumulauit: Sentiebat enim, velut ex corde, acus progredi, quibus horrendè admodum cruciabatur, donec per morsuram brachij, quam nulla cicatrix obduxerat, acus extruderentur, & intra paucos dies, triginta exierunt, summo cum miseræ cruciatu. Redit vir beatus, audit malum filiæ, hospitis sui, & vnam, videt coram acum egredi; tangit locum, vulneris, & pollicetur, nec ferrum inde amplius, nec chalybem processura. Et ita factum est, sed Philtri malitia, nec dum penitus erat extincta: Nam loco acuum, lignei sudes, longitudine vnius digitis, egrediebantur. Sedecim iam, & eò amplius, per annum egressi fuerant, non sine ineffabili cruciatu. Redit tandem vir sanctus, & eius vicem miseratus, iubet vt crastino die celebranti, ad aram sistatur. Eadem hora, aliud lignum, intolerabili, cum doloris sensu, egreditur. Confitetur mulier, absoluitur, à viro sancto, communicatur, & iubetur ab omni deinceps malo, esse secura. Sanatur ægrota ex illa hora, adhæret fideliter viro suo, & cum eo ex legitimo thoro, filios filiasque progignit.* En vobis cœleste alexipharmacum, contra omnem potestatem inimici. Mihi credite, vera adstruenti, maleficiati innumerabiles, non solùm à maleficijs, liberari, sed & vitam suam, à Magorum præstigijs sartam tectamque, in plurimos annos, seruare possent, si præuia dispositione congrua, hoc Sacramentum deuotius frequentarent. At quia, di-

4. Iuuencula acus & ligneos sudes emittens curatur.

In vita S. Petri Tarentasij Abbatis apud Sur. Tom. 3. cap. 23.

5. Multi à maleficijs sacrosanctæ Eucharistiæ frequenti vsu preseruantur.

uinisimum hoc Pharmacum, in postremis habent ac negligunt, Deo ob ipsorum peccata, permittente, à maleficiorum imposturis, non rarò clanculum, immaturis casibus, è medio tolluntur. *Induite vos* igitur, hac *armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

IIII. Missæ sacrificium.
1. Domus infesta à Dæmonibus purgatur.
Lib. 22 de Ciuit. c. 8.

Tremendum denique *corporis & sanguinis Dominici sacrificium*, eadem virtute, contra omnia diaboli tela, & iacula, præpollere, ex his, quæ iam recensita, cuiuis obuium erit, veritatem elicere satagenti. Ante alia, sanctus Augustinus scribit: *Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi, fundum Zubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium, & seruorum suorum, domum suam, spirituum malignorum vim noxiam perpeti, comperisset, rogauit nostros, me absente, Presbyteros, vt aliquis illorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, vt cessaret illa vexatio. Et Deo protinus miserante cessauit.*

2. Castrum à Dæmonibus liberatur.
Niceph. lib. 16. c. 36.
Theod. lector. lib. 2. collectan.
3. Locustarum multitudo fugata Simeō Metaph. in eius vita.
4. Variæ domus liberatę.
5. Maleficarū confessio.
Nicol. Remig. lib. 2. Dæmonolatriæ.
6. Maleficæ sacrificio Missæ præsentes à Dæmone verberari nō possūt

Sic etiam, Christianorum, in Perside Episcopus, castrum, Tzundalero appellatum, à dæmonibus obsessum & custoditum, vt Nicephorus & Theodorus Lector, memoriæ prodiderunt, celebrato Missæ sacrificio, dæmones abegit, & illud ab omni diabolica potestate liberum, Cabadi, Persarum Regi, consignauit. Sic sacrificij Missæ oblatione, sanctus Theodorus Archimandrita, immensam locustarum multitudinem, nebulæ instar, à diabolo immissam, & omnia longè lateque vastantem, extinxit. Memini & ego, quin etiam, re ipsa expertus sum, dæmonum spectra & Phantasmata, è domibus aliquot, mirificè infestatis, vel vnica, sacrificij huius oblatione, exterminata. Fatentur maleficæ, hominem, qui sacrificio Missæ, interfuit, & Christum Saluatorem, in Augustissimo Sacramento, deuotè adorauit, eo die, à nullo maleficiali instrumento, aut diabolica ligatura, posse lædi. Quin etiam maleficæ ipsæ, quas dæmon aliquando verberibus horrendè excipit, aiunt, se in templo, dum Missæ sacrificio intersunt, ab eo verberari non posse.

Historiam prorsus admirandam, describit Lucas Pinellus ex Vincentio Belluacensi. Rhodius quidam, Ordinis sancti Io-

annis

annis Eques, in Sicilia, à nefaria quadam saga, immisso cacodæmone, sic dementatus & philtratus erat, vt non solum se asinum esse crederet, sed & extrinsecus hominum oculis asinus appareret, ideoque adClitellas aliasque Sarcinas hinc inde gestandas, adhiberetur. Contigit quadam die, vt lignorum congerie onustus, templum transiret, vbi Sacerdos sacris assistens aris, ad hostiæ sacræ ostensionem, iam peruenerat, & campanulæ signo populus ad adorationem excitabatur. Tum miser ille, asinum se credens, diuinæ lucis radio, desuper illustratus, ad cor aliquantisper redijt, in terram procidit, & sacram Eucharistiam adorauit. Eleuatione finita, integerrimum rationis vsum, vna cum pristina hominis forma recuperauit. Capta saga & maleficium confessa, Vulcano scelus expiauit. O stupendam virtutem sacrificij Missæ.

7. In Asinum conuersus vti apparebat humanā recipit formam. Lib. de sacrificio Missæ. Ex Vincētio.

Quæ cum ita sint, vt habent in rei veritate, non possum satis mirari, illorum socordiam, qui tàm rari sunt, in hoc diuinissimo sacrificio, inuisendo. Magis autem obstupesco, eorum teporem, qui cum optimè, commodissimeque possunt, tamen rari sunt in hoc Augustissimo Sacramento, diebus Iouis, dum in processione circumgestatur, vti par est honorando. Ego mihi firmissimè persuadeo, sicut deuoti huius mysterij cultores, quoties Christum in Theophorijs publicis comitantur, velut è Panoplia quædam cœlesti, induunt armaturam Dei, *vt possint stare aduersus insidias diaboli, & omnia nequissimi ignea tela extinguere.* Sic è contrario vicissim, frigidi & indeuoti neglectores, cultus, Domini ac Dei sui, in hoc Sacramento præsentis, inermes ac nudi, mille telis ac iaculis, tàm potentis inimici obijciuntur. Eia agite desides cunctatores, posthac deuotius, in hoc pietatis officio, vos exercentes; *Induite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli,* & parta victoria, cum ipso, quem colitis, & adoratis, in cœlo, æternum triumphare, Amen.

CONCIO. XXI.
REMEDIVM VNDECIMVM CONTRA DIABOLVM ET OMNES EIVS PRAESTIGIAS, SACRAMENTVM BAPTISMI.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

De disciplina & perfectione monastica.


Onsueuerunt laborantes in agris & vineis, inquit B. Laurentius Iustinianus, *post sudores operis meridiani æstus, ardorem declinare, vmbras petere, atque virentia prata eligere,*
1. *quatenus in ipsorum planitie, & amænitate residentes, fesso corpori, cibaria*
2. *ria iucundius administrent. Habent etiam nautæ hoc proprium, vt post sedatas tempestates, post sulcata, per tempus, prolixum, æquora, quærant portum sollicitè, perlustrent littora, in quibus descendant, nauim religent vela resarciant, & quidquid vetustate corruptum est, aut procellis dißipatum, restaurent, quatenus item flante prospero vento, marinis se fluctibus*
3. *tradant. Ductores quoque, & exercituum Principes, qui aduersus hostes visibiles dimicare disponunt, tentoria & quædam specialia deputant loca, in quibus, pro resumendis viribus, pro supplendis neceßitatibus, seu medendi caussa accedere, valeant bellatores. Sic quippe Dux noster, sic spiritualium militum inuictißimus Rex Christus, certantibus in hac spirituali & inuisibili stadio Ecclesiæ, militantis, spiritualia quædam & munita præsidia ordinauit, ad quæ pugnantes confugiant, in illis resumptis viribus, vel fotis vulneribus iterum in campum redeant, acrius bellaturi. Hæc nempe tutißima, & inexpugnabilia loca, à Domino IESV, eis parata, militibus, ad resocillanda corda, & ad detergenda animæ vulnera, ad arma contra hostem, præparanda, sunt spiritualia Sacramenta; Per hæc namque datur lapsis requies, debilibus robur, formidolosis audacia, contra tenebrarum Potestates, & semel prostratis à diabolo, fiducia, tantò acrius, contra eum posthac dimicandi. Sunt demum hæc Sacramenta, inexpugnabilia scuta, quibus aduersus omnes sathanæ insidias protegamur.* Hæc B. Laurentius Iustinianus, ab instituto nostro minimè alienus. Cum ergo præcedentibus tribus concionibus, copiosè satis demonstrauerimus, Sacramenta Confeßionis, & Eucharistiæ, præsentißimam

nam Dei armaturam, complecti, qua obarmati, securè contra diaboli insidias, stare valeamus, ordo requirit, vt id quoque de reliquis quinque Sacramentis, & quidem hac vice *de Baptismo*, cum Dei gratia demonstremus.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Est autem *armatura Dei* præcipua, *Sacramentum Baptismi*, apud eos, qui necdum salutari lauacro sunt initiati: Nam experientia docet, nondum baptizatos, à maleficijs liberari, quam primum in aqua, & spiritu sancto regenerantur. *Sicut scorpij & serpentes*, inquit S. Cyprianus, *qui in sicco præualent, in aquam præcipitati, præualere non possunt; aut sua venena retinere: Sic & spiritus nequam, qui scorpij & serpentes appellantur, & tamen per nos, data à Deo potestate, calcati, permanere vltra non possunt, in hominum corpore, in quo baptizato & sanctificato, incipit spiritus sanctus habitare. Hoc deuique rebus ipsis experimur, vt neceßitate vrgente, in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti, careant spiritu immundo, quo antea mouebantur, & laudabiles in Ecclesia viuant.* Et hoc ita se habere, historia testatur, quam legimus de B. Maria Oegniacensi: *Cum esset aliquando in pago Nitrensi, propè Niuellam, & ipsa præsente, puer quidam, ad ostium Ecclesiæ catechizaretur, vidit impurum dæmonem, à paruulo illo, cum magna ignominia recedentem, eundemque à sacro fonte leuans, apertis oculis, vidit spiritum sanctum in animam eius descendentem, Angelorumque circa illum, iam renatum frequentiam. Baptismo igitur non solum, spiritualis, sed & corporea diaboli vexatio, repellitur & dißipatur.*

I. Baptismi virtus.

1. Dæmones sicut scorpij in aquis Baptismi submerguntur. Lib. 4. Ep. 7.

2. B. Maria Oegniacensis videt spiritũ S. pulso dæmone descẽdere in Infantem baptizatum. Iacob. Vitriacus Cardinalis, lib. 2. vitæ eius. Surius 23. Iulij. Bredenbach. lib 1. c. 32.

Tyridatem Armeniæ Regem cum Christianos, Diocletiani tempore, varijs cladibus ac damnis, affecisset, & Gregorium Presbyterum, in lacum, luti altitudine, molestißimum, fame enecandum misisset, Ripsimen verò Virginem, illi obsequi recusantem, & socias eius, Sanctimoniales plurimas, crudelißimè necari iusisset, mox Dei vindicta est consecuta; vt scribit Simeon Metaphrastes: *Inuasit enim eum insania, qua planè dæmoniacè furebat, & mutata corporis figura, in porcum, mentis emotæ, dentibus suis absumebat, carnes. Cæteri quoque qui eius facta approbârant, milites, Magistratus, & alij, similia designabant, & in sues, diabolo agente, conuersi, tandem Baptismi lauacro, abluti, corporis formam & animæ mentisque*

3. Tyridates & alij in porcos versi Baptismo sanitatẽ & intellectũ receperunt. Sim. Metaph. in vita S. Gregorij Presbyteri & Mart.

 sani-

sanitatem receperunt, ipso illos baptizante, & exhortante ad pœnitentiam, qui talia illis antea dissuaserat, cui postea feliciori euentu, crediderunt. Quod si ea Baptismi vis fuit, in dæmones, omnium Maleficiorum auctores, quantò amplior in maleficos, & eorum opera nefanda?

II. Fœtus mōstrosus restitutus Baptismo.

Ioan. Villanæus lib. 8. cap. 35. Bozius lib. 1. de signis Ecclesiæ c. 16.

1. Magnus Cham non agnoscit fœtum deformē pro filio suo.

2. Monstrosus fœtus Baptizatus, fit ex deformi pulcherrimus.

3. Fraude Diaboli fœtus deformitatem contraxerat. Part. 2. hist. Tit. 20. cap. 8. ¶. 9.

Non est dissimilis narratio, Ioannis Villanæi, apud Thomam Bozium: *Anno*, inquit, *1298. Rex Tartarorum, Cassanus, quem alio nomine, Magnum Cham appellant, cum ducentis equitum millibus, Syriam cepit, & finitimas Regiones: omnibus itaque formidandus, petijt sibi vxorem, filiam Regis Armeniæ, quod audisset esse pulcherrimam. Rex Christianus, tanti Regis viribus exterritus, dedit. Illa post aliquod tempus, è viro suo Cassano, edidit in lucem, partum, tantæ deformitatis, vt Rex maritus, nullo modo illum, veluti suum, voluerit agnoscere, quod monstrum videretur. Vocato itaque ad consilium Primarios, deque ipsorum sententia, vxorem veluti adulteram, partum velut ex adulterio susceptum, vltimo supplicio adiudicat. Innocens mulier, infelicitatem suam deplorans, ad preces confugit. Ignara ergò consilij, petijt, vt liceret sibi baptizare, quem pepererat; data illi facultas, ita tamen vt adessent Baptismo, aliquot spectatæ fidei viri, vna cum Rege, ne qua fraus fieret. Mira res, vbi baptizatus est puer, adeò venustus ac formosus apparuit, vt Rex tanta re permotus, cum plurimis, nomen Christianæ fidei dederit, vnde magnum Christianis accreuit bonum & emolumentum.* Hanc ipsam historiam fusius enarrans S. Antoninus, ait inter cætera: *Creditum fuisse, prolem Regiam, dæmonum præstigijs, adeò deformatam, vt Reginæ Matri, quæ Christiana erat pijssima, perniciem crearet, & Christianæ rei promotionem, inter barbaras illas gentes impediret, cuius tamen malitiam Deus ad optimum finem, ac Regis, & multorum aliorum salutem ordinauit.* hinc ergo, meridiana luce clarius apparet, quam efficax sit Baptismus, ad Catechumenos, ab hostis maligni oppugnatione, liberandos.

III. Insignis victoria à diabolo per Baptismum reportata.

Petrus Chieza de Leon p. 1. hist. Perua-

Quam porrò insignem victoriam Nobilis quidam Indus, ex Regno Peruano, per Baptismum, contra Diabolum acquisiuerit, prolixe describit Petrus Chieza de Leon, & ex eo Martinus Delrio: nos tantum summa rerum capita decerpemus: *Prope Anzermam, loco, cui nomen Pirsa, imperabat Regulus, cui*

cui frater, florenti erat, ætate, quem nominabant Tamaracungam, Iuuenis hic, mire baptismum sitiebat, eaque caussa, Christianos adire cupiebat: sed miris eum visis, Dæmones perterrefaciebant. Offerebant se soli videndos, olidarum auium specie, quas Auros nuncupant. Cernens Iuuenis Dæmones, in se tantopere sæuire, Christianos accersiri, in vicinia degentes, iubet: qui intellecta Reguli voluntate, crucis signum fronti eius, imprimunt. Hoc magis irritari hostes, illi, ac sæuiori specie, se videndos obtrudere, saxa iacere, horrendum fremere, ac sibilare, quin & Tamaracungam arreptum, sublimem tollere, & ex alto præcipitare. Semel cum poculum vino plenum, manu teneret, en tibi vas in aëra efferri, & vino vacuum reddi, mox vinum in illud ex alto refundi, & formidine plenum Indum, veste vultum faciemque cooperire, ne horrenda illa spectra, in oculos incurrant. Sic tecto faciem, non remotis vestibus, nihilominus cretam in os ingerebant, vt obstricto Spiritu, fauces præfocarent. Tandem Christiani hæc omnia cum stupore fieri cernentes, statuere, in vrbem Anzermam eum deducere, vt baptizaretur. In itinere, multo grauiora passus est Iuuenis, ita vt Christiani prope sexcenti, vix eum tenere possent, quin sublimem arriperent, & ex alto præcipitarent. Lapidum grandines, bestiarum fremitus, rugitus, vlulatus, atque boatus, longè lateque audiebantur, torquetur Indus, miris ac diris modis, interdiu noctuque. Sacerdos ergo, dum ille adhuc à Dæmonibus miserrime affligeretur, ad sacrificium se parat, quo peracto, Indum baptizat, ab eo momento fugati Dæmones, nunquam amplius in omni vita, eum, vel in minimo, afflixerunt. Tantum in eo operabatur Baptismi Sacramentum. hæc omnia historiæ scriptor.

næ c.n8. Martinus Delrio lib.6. de Magia c. 2. sect. 3. q 2.

2. Stupendæ dæmonum molestiæ quibus, non baptizatum exagitant.

3. Baptismo suscepto omnis dæmonum exagitatio desinit.

Alia tria huius materiæ Exempla, annuæ, Patrum Societatis, ex Iaponia, datæ literæ, subministrant. *In Bungo*, inquit, scriptor earũ *fœmina erat gentilis, à dæmone obsessa, cui dæmõ edixerat, à Deo haud dubiè coactus, liberari non posse, nisi fiat Christiana. Cum illa annueret, & iam ad baptismum se compararet, nocte insequenti, dæmon ei dissuasit, ne fieret Christiana, dicens: Hactenus tanta familiaritate, tanto tempore, mihi es coniuncta, & nunc me deseris? non profectò abibis inulta. Dormienti itaque, nec sentienti, abscidit capillos, vno tantum capillorum flocco relicto. Illa verò, cum summo manè deprehenderet sibi ademptum capillum, & arundini lecto apposita, implexum, calcar ea dæmonis fraude sibi additum putauit, vt citius aduolaret, ad Baptismi antidotum,* quod


IV. Vexati à dæmonibus, Baptismi beneficio securi.
1. Molestias dæmonis tollit Baptismus. Martinus Del Rio, loc. cit. Ex Ludouico Frois an. 1596.

quod & factum est, atque ab eo tempore, mansit ab omnibus dæmonis molestijs immunis. Alterum ex eadem Epistola, sic habet. *In Ciazzurana Insula, gentili adolescentulo, octodecim annorum, se crebrò visendum offerebat canis ingens, horribilis & rufus, qui eum alloquebatur, & per montes, in loca abditissima deducebat, detinens eum ibi, triduo, atque impellens, vt se manibus sublatis, adoraret, aliaque scriptione indigna faceret. Adolescens miser, videns se tantas molestias à Capitali, humani generis hoste, perpeti, tandem perfugium habuit ad Ecclesiam, Doctrinam Christianam audiuit, & didicit, Baptismi Sacramento, Christo deuinctus, ac de cætero nunquam, à Tartareo illo cane vexatus.* Tertium, eiusdem argumenti, à Iaponicis, anni. 1549. Literis, mutuauit Martinus Del Rio: *Bungi quidam ancillam habebat, dæmoni familiarem, is enim ad eam accedens, singulis noctibus, domo eam educebat, verum per Baptismum, Christiana fide suscepta, ab hoc spectro, omninò fuit liberata.* E quibus & alijs nō paucis, quæ breuitatis studio cogor omittere, liquidò apparet, hoc summæ necessitatis Sacramento, omnes dæmonum vires supra, quam credi possit, exhauriri & eneruari, apud eos præsertim, qui adulti, per Baptismum Christo incorporantur.

2. Dæmon in forma canis abigitur & fugatur. Ibidem Frois, in eadem Epistola.

3. Dæmon in forma vulpis abire compellitur. Loc. cit.

Cernitis igitur quàm virtuosus sit Baptismus, ad propulsandas, quascunque infernalis hostis, iniurias, non solum, dum actu & reipsa suscipitur, verum etiam quotiescunque abrenunciatio, diabolici seruitij, in Baptismo facta, in mentem reuocatur; tum enim denuò vires suas exerit, & Passionis ac sanguinis Christi virtutem, in aduersarias potestates, summa cum ipsarum conturbatione, effundit: Sæpius igitur Baptismatis fœderis, cum Deo initi, memoriam refricate, & sic quotidianam contra diaboli insidias, armaturam comparate, gloriosaque victoria, contra diabolum triumphate. Amen.



CON-

CONCIO XXII.

REMEDIVM DVODECIMVM ET DECIMVM TERTIVM E DVOBVS SACRAMENTIS, CONFIRMATIONE ET EXTREMA VNCTIONE.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Epheſ. 6.

E Pharetra depromuntur ſagittæ ac tela, quibus hoſtes ſauciantur: E diuiniſsimis Eccleſiæ Sacramentis, Chriſti ſanguine ſtabilitis, deſumuntur Alexipharmaca, quibus omnes diabolicæ machinationes ac nocumenta, prorſus eneruantur ac euacuantur. Vnguntur cum diabolo luctaturi, tam ſacro *Chriſmate*, quam à pugna iam exceſſuri, *oleo ſacro*, in extrema Vnctione. Quam igitur efficax ſit hoc vtrunque Sacramentum, contra omnes diaboli molitiones, Spiritu ſancto inſpirante, hac concione diſquiramus; vtinam veſtro cum fructu.

Quid ergo de illis, qui poſt Baptiſmum, à dæmonibus, importunè agitantur? nunquid præſidij habent, in duobus illis, de quibus hic nobis ſermo, Sacramentis? Vtique habent, & inprimis quidem in Sacramento *Confirmationis*, & ſacri *Chriſmatis* vnctione: *In Baptiſmi* equidem Sacramento, adſcribimur in militiam, contra diabolũ, in hoc neceſſarijs armis inſtruimur, ad dimicandum cum hoſte, quod Melchiades Papa indicat, cum dicit: *Quid mihi prodeſt*, ait hæreticus, *poſt myſterium Baptiſmi, myſterium Confirmationis, quaſi non totum de fonte accepimus, ſi poſt fontem, adiectione noui generis indigemus.* Reſpondet Melchiades Papa: *Non ita dilectiſſimi; ſicut exigit militaris ordo, vt cum Imperator, quemcunque receperit in militum numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus, inſtruat, pugnaturum: Ita in Baptiſmo recipitur homo in militiam, & in confirmatione coarmamur ad pugnã. Ibi diabolo renunciamus, & omne eius commercium abÿcimus, hîc arma contra malitiam eius omnigenam, diſtringimus.* Nemini ergo in dubium

I. Remedium XII. Confirmatio.

1. Ad quid proſit confirmatio poſt Baptiſmum.

Cap. de his diſt. 5. de conſecrat. Epiſtola ad Epiſcopos Orientis.

2. In Baptiſmo eligimur, in militiam Chriſti in cõfirmatione armamur ad pugnam.

bium veniat, hoc Sacramentum contra dæmonum impostu-
3. Dæmonum sacrificia non ferebant Chrismate vnctum. ras, vim longè maximam obtinere: Testatur enim Lactantius, Gentilium sacra, de more olim peragi, & dæmones coli non potuisse, si assisteret Christianus aliquis, sacro Chrismate delibutus: Et sic huius Sacramenti virtute, dæmones fugari solitos, ne possent in visceribus, futura depingere, vel consulti responsa reddere. Memorat etiam Prudentius, ipsi Apostatæ

Lib. 4. Diuinar. instit. cap. 27.

4. Idem contigit Iuliano Apostatæ. Iuliano, idem accidisse, & omnes Magicas eius artes, sic irritas factas, vnius militis Chrismate signati præsentia, vt nihil eorum, quæ cuperet, effectum dare posset. Id quod etiam S. Gregorius Nazianzenus testatur, affirmans *sacri Chrismatis* virtutem, omnem dæmonum fascinationem atq; præstigias iam olim etiam disturbasse. De Iuliano Apostata hæc sanctus Gregorius Turonensis: *Procedens Imperator Iulianus, ad immolationem fætidam dæmoniorum, adoratis Dijs, atque coram sigillis prostratus, expectabat Sacerdotes simulachrorum, mactantes turbas pecudum, quarum frons reuincta lauro, securibus cædebatur. Cumque senex, cruentis manibus, internorum tractaret, viscerum partes, iecinoris fibras, atque inter præcordia & exta animalium, inuestigare aliquid tentaret, diuinum, turbata omnia cernit, nec ea, quæ cupiebat scire, poterat certus agnoscere, exclamauit turbatus, & ait: Heu, heu, quid hic agitur quod dijs nostris contrarium esse putatur: Video enim Deos nostros à longè discedere, nec de præparatis sacrificijs aliquid prælibare. Est hic, vt ipsa res docet, de officijs*

In Apoth. aduersus Iudæos

Orat. 1. in Iulianum.

B. Gregor. Turon lib. 1. de glor. mart. cap. 41.

5. Admiranda virtus sacrosancti Chrismatis. *quorumpiam Deorum, qui nobis aduersari sunt soliti. Et mirum si ad hanc fugam, non aliqui de cultoribus,* DEI *Christi, quem crucifixum adserunt, Deos nostros impellant: Thuribula thymiamatis refrigescunt, Aræ tepescit ignis, & ipsum quoque ferrum iniectum, victimis hebetari conspicitur. Require nunc, sacratissime Auguste, quis adstet ablutus, & Balsamo vnctus, & abscedat protinus, vt accedant Dij, quos inuocamus: Et hæc dicens, ac si ipsum cerneret, de his Christum vltorem, procidens ad terram exanimis, offensa proclamat numina, tunc & ipse Imperator, deposito diademate, ait: Quis est hic, Numinibus nostris contrarius, ac Religionis Christianæ socius, qui frontem, Chrismatis inscriptione, signatam ferat, lignumque crucis a-*

6. Fidei Professionem edit Chrismate vnctus. *doret? ne moretur edicere: Tunc vnus de armigeris Augusti, in medio positus, proiecit arma solo, & ait: Ego sum, cuius Deus Christus est, & qui eius*

Baptis-

Baptismo ablutus, & signaculo in fronte notatus, Cruceque redemptus sum, qui semper eius Nomen inuocabam, dum Sacerdotes vestri, dæmoniys, hæc, quæ sunt apposita, consecrarent. Eius nomen fugiunt Dij vestri, nec possunt in loco isto stare, vbi tantæ Maiestatis nomen fuerit inuocatum. Hæc dicente puero, obstupefactus Imperator, & tremens, reliquit templum dæmoniorum, tantusque omnes adstantes Dei timor accendit, vt nullus Augustum ad Palatium sequeretur, sed cunctis erectis, ad cœlum, palmis, & oculis, Dominum Christum, vno ore, vno consensu laudabant, atque vt eisdem adiutor existeret, voce supplici inuocabant. Hæc ille: quibus vt maior fides adhibeatur, addit Lactantius Firmianus: *A multis Imperatoribus, ideò Christianos, varijs supplicijs cruciatos, quod cum forent vncti, ac frontem signatam gererent, in causa essent, ne dæmones responsa darent, & in extis, vlterius rerum futurarum signa non apparerent.* Eius autem verba sunt hæc: *Cum Dijs*, inquit, *suis immolant, si assistat aliquis frontem signatam gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpe causa præcipua, iustitiam persequendi, malis Regibus fuit. Cum enim quidam nostrorum, sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum, futura depingere.* Ex his facilè quis æstimabit, quanta vis insit huic Sacramento, contra dæmonis potestatem, cum Chrismate iunctorum præsentiam, iam inde ab exordio nascenti Ecclesiæ, maligei genij, tàm difficulter tolerârint.

7. Sacra Chrismatis vnctio caussa persecutionis Christianorū. Lib. 4. de vera sapientia. cap. 27.

Maioris, nihilominus, fidei causa, historiam subijcio, quam verbis hisce describit, Thomas Cantipratensis: *De Bubulco cæco, venerabilis Bonifacius, quondam Lausanensis Episcopus, me audiente, tale quid recitauit. Erat in villa quadam cæcus, qui vaccas totius villæ in pascuis custodiebat, repellebat à frugibus, & ad certa loca, pascuis vberiora ducebat; & quod maioris erat prodigij, colores omnes, & statum singularum vaccarum, specialiter discernebat: Verbi gratia, vt si vaccam talis coloris, ab eo petiuisses, sine difficultate vaccam talem, tibi, apprehensam cornibus, obtulisset. Ad locum autem, cum quidam Episcopus aduenisset, & de cæco audisset talia, & probasset; quæsiuit ab illo, si Confirmationis Sacramentum, ab Episcopo suscepisset? Et ille: Non, inquit, Nec mora, Episcopus confessum confirmauit cæcum, & mox ab eo, vaccarum discretio est ab-*

8. A cæco fugatur diabolus sacro oleo Lib 2. Apum. c. 17. p. 32.

9. Sacro Chrismate puer Lunaticus curatur. In vita S. Malachi c. 5. apud Surium Tom. 6.

10. Maleficiati coniuges eodem medio sanantur.

est ablata, quoniam dæmonum operatione, ac ministerio talia fiebant. Addo ex S. Bernardo, Malachiam in Anglia Episcopum, puerum Lunaticum à diabolo vexatum, sacra Vnctione, inter confirmandum, integerrimè persanasse. Memini denique Coniuges duos; iam ferè ante duodennium, maleficialibus ligaturis, ac diabolicis Philtris, miserandum in modum excruciatos, consilio, à prudenti Confessario, accepto, de suscipiendo *Confirmationis Sacramento*, cum id accepissent, eadem die, & propemodum hora, dæmonum oppugnatione, liberatos extitisse. *Induite & vos* hanc *armaturam Dei*, qui hoc Sacramento nondum estis initiati, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

II. Remediũ. XIII. Sacramentum extremæ vnctionis.

1. Christus instituit extremam vnctionem. Marci 16. Iacobi 5. Cap ad abolendum extra de hæreticis Concil. Florentinum in decreto vnionis Tridentinum sess. 7. Can. 1.

2. Oleo sacro Dæmoniaca vulnera curantur. In c. 8. Lucæ.

3. Eodem S. Launomarus morbos & maleficia curat.

Dei quoque armatura est, contra sathanæ versutias & molestationes, Sacramentum *Extremæ vnctionis*, in quo contra corporeas infirmitates, oleo vtimur, ex diuina institutione, quod ab Episcopo est benedictum: De cuius mira, in hoc negotio efficacia, dubitari non potest, cum Sacramentum illud, ad sanitatem corporis, à Christo etiam sit institutum, & quouis oleo, à viris sanctis, etiam non Episcopis, & non solenniter, sed obiter, vt se res offerebat, benedicto, id non semel effectum, ex historijs eliciamus: Sic venerabilis Beda, testatur, cum ageret de Monialis cuiusdam obsessæ, à varijs, quæ dæmon inflixerat, vulneribus, sanatione, & narrasset, vno excepto, cæteris sanatis, hæsitanti Sacerdoti, ipsammet consilium dedisse: *Si* inquit, *oleum pro infirmis ab Episcopo, consecratum, eidem medicamento asperseris, sicque me perunxeris, statim sanitati restituar: Nam vidi quondam per spiritum, in quadam ciuitate longius posita, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam, pari calamitate laborãtem, taliter à Sacerdote curatam. Fecit Sacerdos vt illa suggesserat, statimque Vlcus remedium, quod antea respuerat, accipere consensit.* Ista venerabilis Beda.

Hoc oleo, ab Episcopo solenniter in die *Cœnæ Domini*, benedicto, *S. Launomarus*, morbos grauissimos, per maleficia etiã immissos, abigebat. Hoc oleo propinato ad bibendum, Euchariam, Agapij vxorem, veneficio attentatam, vt intestina ei arro-


arroderentur, *S. Parthenius* curatam à se dimisit. Hoc oleo *B. Auxentius* Archimandrita, ordinariè contra dæmonum obsidiones, morbosque ab ipsis per veneficia illatos, vtebatur, nunquam sine fructu. Hoc oleo contra virulentos morsus, vsus est *S. Paternus Abrincensis*. Hoc oleo contra serpentum ictus, adhibuit *S. VVin VValocus* Abbas. Hoc oleo, *S. Eutychius* Patriarcha, manum pictoris, à dæmone inflammatam, sanauit, & innumeros obsessos, Energumenos ac maleficiatos, pristinæ sanitati restituit; Quid attinet plures historias recensere? *Induite vos*, hanc *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

Historia de effectu olei extremæ vnctionis.
4. S. Parthenius Eucharistiam curat, Surius 19. Ianuarij.
5. S. Auxentius. Sim. Metaph. in vita.

6. Sim. Metaphr. in eius vita. 7. S. Paternus. Eustach. in eius vita 8. S. VVinvvalocus Abbas Surius 5. Martij. 9. S. Eutychius Patriarcha. Sim. Metaphr.

O inexhaustam, ô ineffabilem Dei benignitatem, quæ nobis tot & tàm salutifera Sacramenta, non solum ad animarum sanctificationem, sed ad corporum securitaté, contra dæmonum læsiones, testamento veluti legauit: Absit ergo, dilecti mei, vt hæc contra vim dæmonum, antidota, parui faciamus, & in postremis habeamus, & quando ea consequi possumus, negligamus. Vires suppeditat *Confirmatio*, vt cum Tenebrarũ Principibus viriliter colluctemur: Perseuerantiam largitur *Extrema vnctio*, ne in certamine succumbentes, vincamur. Docet manus nostras ad prælium, *Chrismatis obsignatio*: Colophonem certamini imponit, *Extrema vnctio*: Isthic hostis in palæstram prouocatur; hîc prosternitur ac debellatur: Vtrobique est armatura Dei, quam qui rectè induerint, de victoria dubio procul assecurantur. Amen.

1.
2.
3.



CONCIO XXIII.

REMEDIVM DECIMVM QVARTVM, CONTRA MALIGNOS GENIOS, ET OMNES COMPLICVM EIVS MALIGNITATES, Ordinis Sacramentum, Exorcistatus præsertim, vnà cum Ecclesiæ Exorcismis.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

QVemadmodum in omni benè constituta Republica, Magistratus non solum subditos decenter gubernare, politiam ciuilem, conseruare, vnicuique Iustitiā administrare, sed & contra hostium, Latronum atque Prædonum, infestationes, per publicos apparitores, & Iustitiæ Ministros, protegere tenetur: Sic in Ecclesia sua, cum omnia recte ac decenter disposuerit, CHRISTVS IESVS, Dei Filius, potestatem quoque, hostes animarum, dæmones, per exorcismos, profligandi, & exterminandi, Sacerdotibus reliquit, quam vt sublimiori quodam, & excellentiori perfectionis gradu, exercent Episcopi, & Sacerdotes, atque Diaconi, Ordinis tamen ratione, omnes, qui exorcistæ ab Episcopo, consecrantur, à Domino consequuntur, vt dæmonum furores, in obsessis & Energumenis, pro imperio, sibi diuinitus concesso, compescere valeant, atque coërcere. Quamobrem cum hæc Sacramento ordinis annexa potestas, sit præsentissimum contra dæmones, & omnia eorum maleficia, & ligaturas, à sagis & veneficis, ad nocendum hominibus, alijsque creaturis, fabricatas, remedium, antequam ad alia veniamus, hac concione, paucis etiam dabimus, Deo fauente, explicatum.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.

I. Remedium XIV. Ordinis Sacramentū. 1. Christus Ecclesiæ suæ

Vt alia omnia Sacramenta, nos contra diabolum, necessarijs instruunt armis: sic etiam *Ordinis Sacramentum*, cum exorcistarum apud Energumenos, aut catechumenos officium, exercetur,

ercetur, huic operi, quàm maximè deseruit: Illa licet rumpantur, Caluino & Bezæ, Christus tamen hanc potestatem, Apostolis suis, & Sacerdotibus, alijsque Ecclesiæ Ministris, ad compescendam dæmonum malitiam tradidit, & in cœlos ascendens, post se reliquit. Quid aliud voluit Dominus, cum Apostolis, & septuaginta duobus discipulis dixit: *Ecce dedi vobis potestatem, calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil nocebit vobis?* Quid aliud exhilarabat Apostolos, dum hac Exorcizandi potestate, cum fructu liberationis plurimorum, à dæmonibus obsessorum, redeuntes, gloriabantur: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis, in nomine tuo?* Quid Christus ipse aliud voluit, cum in cœlum ascensurus, verbi sui prædicatoribus promisit: *In nomine meo Dæmonia eijcient, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit?* quid aliud factum testatur Euangelista Marcus, cum dicit: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Annon plenæ sunt omnes Apostolorum, aliorumque sanctorum historiæ, expulsionibus spirituum malignorum?

potestatem Dæmones coniurandi & in ordinem redigendi reliquit Caluin. ad c 22. in Acta Apost. & lib. 4. inst. c. 15. 19. Beza Ep. 8.

2. Probatio ex scripturis. Luc. 10.

Ibidem.

Marci 16.

Ibidem.

Audi Caluine, audi Beza, audite Hæretici omnes, quotquot Ecclesiæ Catholicæ exorcistis, potestatem dæmones coërcendi, abnuitis; audite, inquam, S. Martyrem Iustinum: *Dei nominis*, inquit, *Potentiam, tremuit dæmones & reformidant, & hodie quoque illi, per Nomen Domini nostri* IESV CHRISTI, *crucifixi adiurati, nobis parent.* Audi Tertullianum: *Omnis nostra in dæmones immundos, potestas in virtute nominis* IESV, *valet & viget, vt de contactu, afflatuque nostro, contemplatione, & repræsentatione, ignis illius correpti, etiam de corporibus, nostro imperio, excedant inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes.* Audite antiquissimum Doctorem, Minutium Felicem: *dæmones adiurati per Deum, verum, & solum, inuiti, miseris corporibus inhorrescunt, & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis, adiuuat, aut gratia curantis aspirat.* Audite S. Cyprianum: *Exorcistis, inde facultas datur, immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus, immerserint, ad confessionem, minis increpantibus, cogere, vt recedant, duris verberibus vr-*

II. Caluinistarum redargutio ex Patribus.

1. Potestas exorcistarum stabilita.

In Dialogo cū Tryphone.

In Apologetico contra gentes c. 23.

In octauio.

Lib. 2. Ep. 2.

gere.

gere, conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis, extendere, flagris cedere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur, occulta plaga, & pœna manifesta.

2. Tortura dæmonum Ecclesiæ exorcismi, & velut Equuleus malefactoribus. Omnia ex Patribus. Ad Demetrianum. Homil. 29. in Euangelia Serm. de Resurrect.

Quam autem horrende dæmones exorcismis torqueantur, audi rursus edisserentem S. Cyprianum: *O si audire eos velles, & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur dæmones, spiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes, voce humana, in potestate diuina, flagella & verbera sentientes, venturum Iudicium confitentur.* Audi S. Gregorium Magnum: *Sacerdotes Christi, cum per exorcismi gratiam, manum credentibus imponunt, & habitare malignos Spiritus, in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt?* Et tanta quidem vis est exorcismi, & potestatis exorcistarum, ad hoc ab Episcopo ordinatorum, vt Zeno Veronensis affirmet. *Hoc est exorcismus dæmonibus, quod latroni & malefactori, equuleus: Cum enim diuina eiuratione, torquentur, veritatem, vel nolentes & inuiti edicere, compelluntur.* Et S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: Exorcismos esse, quodammodo torturam ignis, qua Diaboli in ordinem redigantur.

Præfat. Catecheses.

III. Exempla. 1. Nouatus à diabolo obsessus exorcismis liberatur. Lib. 6. c. 35. hist. 2. Monachi Antiocheni. hist. Religiosæ cap. 9. 3. S. Vitus. Surius in vita. 4. S. Cyriacus. Surius in vita. 5. S. Vrsmarus Episcopus. Surius in vita 6. S. Adolinus In vita S. Oportunæ.

Hinc meminit *Eusebius* Cæsariensis, Nouatum à diabolo obsessum, *Exorcistarum*, vt ipse loquitur, *præsidio* liberatum. Sic *Theodoretus* refert, Monachos Antiochenos, maximam potestatem, in pellendis dæmonibus habuisse. Sic *sanctus Vitus Martyr*, Diocletiani Imperatoris filiam, à malignis spiritibus vexatam, percurauit. Sic *sanctus Cyriacus* Martyr, Iobiam Saporis Persarum Regis filiam, Exorcismis, dæmonum potestati eripuit. De *sancto Vrsmaro* Episcopo, sic scribit Ratherius: *Ad eum cum Malbodiensis Monasterij Monialis à dæmone obsessa, adducta esset, ille non de sua, sed de Domini præsumens virtute, accepto libro, cœpit legere Exorcismum, super caput illius. De hinc benedicto oleo, nares, oculosque, & os eius liniuit, & protinus immundum spiritum, ab ea fugauit; Liberata tamen puella, pauor quidam, qui præsentia diaboli, seminatus fuerat, adhuc pectoribus vicinorum, inerat. At Vir Domini, præcepit sibi aquam cum sale deferri, quibus benedictis, iussit spargi per cuncta Monasterij loca, & sic omnis pauor, cum auctore suo sathana, discessit.* Sic Adolinus scribit, Osbur-

Osburgam Virginem Energumenam, mediantibus Exorcismis, liberatam. Sic *sanctus Maurilius* Andegauensis Episcopus, Latronem, quem ob furti crimen diabolus occuparat, per exorcismum, vt refert Fortunatus, à dæmone liberauit. Nostra etiam num memoria, infinita prope passim habemus exempla, solos Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotes, & exorcistas, imperio & auctoritate, qua Christo desuper largiente, præpollent, dæmones modis omnibus coërcere. Sum & ego auritus & oculatus testis, audiui, inquam, & præsens vidi, quando in ciuitate Bambergensi, anno præterito, 1621. à Societatis Patribus, quatuor pueri, qui non solum homagio, sed & quilibet proprio, sui sanguinis, chirographo, se totos dæmoni addixerant, mediantibus exorcismis, fuere à diaboli laqueis extricati, malignique Spiritus coacti, vt chirographa redderent. Et reddiderunt, vidi, legi, in manibus habui, adhuc reseruantur, in tantæ rei memoriam æuiternam.

7. S Maurilius. In eius vita.

8. Historia quatuor puerorum sanguine proprio dæmoni deuotorum.

Sed quid est, quod non, sicut omnes Ecclesiæ orationes, ita & exorcismi, *per Dominum nostrum* IESVM *Christum*, &c. Sed hac addita clausula, terminentur: *Per eum qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem?* quæ caussa diuersitatis? Ioannes Micrologus, vetustus scriptor, caussam indicat, hisce verbis: *Secundum Romanam auctoritatem, nullam orationem, per eum qui venturus est, &c. concludimus, nisi sit exorcismus, in quo Diabolus, per diuinum Iudicium, vt à creatura Dei discedat, exorcizatur, siue adiuratur: Nam in aliis orationibus, quas per Dominum nostrum &c. concludimus, Patrem, vt per amorem filij, nobis subueniat, imploramus: In exorcismis autem, Diabolum per Dei iudicium, vt fugiat, increpamus.* hæc ille, & rectè.

IV. Q. Cur exorcismi terminentur per comminationem Iudicij extremi. Lib. de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 7.

Qui fit porro, vt non semper dæmones exorcismis pellantur? Res clara est, id vel peccatis obsessi, vel peccatis exorcistæ adiurantis, quandoque adscribendum, vel etiam ob maiorem ipsius ægri vtilitatem, Deique gloriam, sic à diuino numine disponitur, ac definitur. Et illud hic obseruandum, quod prudenter annotauit ac monuit Alfonsus Tostatus. Non omnes molestias & vexationes, quas dæmones inferunt homini-

2. Cur non semper dæmones exorcismis fugentur? Caussæ. 1. 2. 3. In c. 19. Matt. q. 90.

3. Ad quæ dæmonis mala curanda exorcismi ordinentur.

minibus, exorcismis repelli, sed eas tantum, ad quas eliminandas, exorcismi ab Ecclesia ordinantur, vt sunt molestiæ quas inferunt corporibus, in illis manendo, eaque corporaliter vexando, siue dum intrinsecus hærent, siue dum extrinsecus oppugnant. *Et illa*, inquit Abulensis, *regulariter sanantur per exorcismos, maleficia autem dæmonum, & alia mala, quæ nobis inferunt, contra quæ non directè, ordinantur exorcismi, per exorcismos, non nisi raro curantur.* Vidi tamen ego, & reipsa sum expertus, exorcismos in Romano Rituali præscriptos, quos tutissimè, quilibet exorcista, potest adhibere, magno etiam emolumento, sanitatis, ad ligaturas, quibus coniuges, à matrimonij vsu, impediebantur, adhibitos & vsurpatos.

4. Maleficia etiam exorcismis quandoque curantur.

V. Digiti Sacerdotales vncti coercēt dæmones.

1. Energumenæ moniales. In Chronico Belgij anno 1490.

In hac demum exorcistarum potestate, & illud non parū admirationis continet, quod contra dæmonis obsidentis ferociam, non rarò præualuêre, priores digiti Sacerdotales, cōsecratione olei sacri, in ordinis Sacerdotalis, susceptione, inuncti, & sanctificati. Scribit Ioannes Molinetus, in Chronico suo, AEgidium Netteletum, Decanum Cameracensem, cum exorcizaret, Quercetenses Energumenas, quæ loqui, labra claudente dæmone, nolebant, solitum digitis, labra illarum diducere, & hostem increpitare: *Si vales, potesque digitos hos, sacro oleo imbutos, mordere vel lædere, & illos tibi permitto: si nequis, os, aperi, impero*: Mox autem Energumenas, visas liberari, magna molestia, cœpisseque Decano respondere, ad quæsita & in omnibus parere. Vidi ego, & præsens fui spectator & Actor. Energumenum, ab aliquot pertinacissimis cacodæmonibus insessum, horrendis ac diris modis furentem, ferream equi soleam, morsu vel leuissimo, vti videbatur, fregisse. At verò, quantumuis frendendo, mordendoque insaniret, Sacerdotis digitos, etiam dentibus immissos, & subiectos, penitusque insertos, nulla ratione, quantumuis conaretur, lædere potuisse: Vt vel hoc ipso euidenti testimonio, quanta sit ordinis Exorcistarum, & præcipuè Sacerdotum potestas, in dæmonibus eliminandis, apertissimè demonstretur.

2. Vera huius loci historia

3. Eccl. Catholicæ certissimū signū.

Hîc iterum vobis clarissimum argumentum subministratur,

tur, quo Ecclesiæ Catholicæ firmitas, ad oculum demonstratur. Illa enim est *vera Christi Ecclesia*, & veram habet Christi *doctrinam*, ac verum *Euangelium*, in qua est potestas, dæmones coërcendi, expellendi, & eorum præstigias infringendi. Hæc potestas nec inuenitur apud Lutheranos, neque Caluinianos, vt iam alibi sæpè, ad nauseam probatum, sed apud solos Catholicos Sacerdotes, in Ecclesiæ Catholicæ vnitate permanentes. Ergo sola Catholica, quam nos tenemus, est vera Christi Ecclesia, militans in terris, in qua vera, *extra quam nulla est salus*. Si vos igitur auditores mei dilectissimi, Dæmones in corpore potissimum infestent, aut lædant, ad hanc certissimam Dei armaturam, confugite, Magos & veneficos declinate, Ecclesiæ Dei Ministros inquirite, operam eorum in dispescẽdis aduersarijs spiritibus, adhibete. Hæc est legitima *Dei armatura*, quam Apostolus induere suadet, quam dæmones mirum in modum formidant, qua, si & vos, in casu necessitatis, vsi fueritis, præsentem Dei opem, sine omni dubitatione fructuosissimè percipietis. Amen.

CONCIO. XXIV.

REMEDIVM DECIMVM QVINTVM, CONTRA DAEMONVM, ET EIVS OPERARIORVM MOLITIONES, MATRIMONII SACRAMENTVM.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Ephes. 6.

SIcut in officina Pharmacopæi, varia in varijs Pixidibus, pro morborum diuersitate, antidota, & medicamenta reperiuntur: Sic cœlestis ille Archiatrus, Dei Filius in officina Ecclesiæ, in *pixidibus septem Sacramentorum*, quæ sunt *vasa gratia*, varia pro suorum fidelium necessitatibus, pharmaca, procurauit, quibus, ab infernalis serpentis, inflicto vulnere, pestiferisque morsibus persanentur. Inter cætera porro cum non infimum locum obtineat *Matrimonij Sacramen-*

tum, rerum ordo hic Iure ſuo efflagitat, vt de Matrimonij hac in parte Energia, ſingulari vtpote remedio, & Armatura Dei, contra diaboli fraudes, Deo dirigente, aliquid proferamus.

I. Matrimonio pie vtentes non poſſunt lædi à diabolo.
1. Scriptura. Tob. 8.
2. Experientia. Nicol. Remig lib. 1. dæmono: Spreg. in Malleo. Ioan. Nider. in formicario.
3. Res hic etiam cōperta.

Certum inprimis ac ratum, coniuges illos, qui Matrimonium, piè caſteque, conſulto inprimis, per deuotas preces, Deo, ineunt, & in eius vſu, omnem inconceſſam fæditatem, quæ prolis generationi non deſeruit, ſtudiosè declinant, ac Matrimonio piè, ſobrieque vtuntur, ab Aſmodæo, quem ſancti Angeli abipſis diſpeſcunt, nullatenus poſſe violari. Nicolaus Remigius, Sprengerus, & alij permulti, exempla recenſent, in quibus fatentur Magi, & veneficæ ac Sagæ, nunquam ſibi licuiſſe, coniuges in Matrimonio, piè ſanctèque, & in gratia illius Sacramenti viuentes, vel ſæuiſsimis alioquin & atrociſsimis philtris, ac ligaturis diabolicis, offendere, aut detrimento aliquo afficere, cum, qui Matrimonio caſte, ſobrieque vtantur, in peculiari Angelorum ſint tutela. Et mihi conſtat, de coniugibus, quibus Sagæ integro, & amplius octennio, inſidiabantur, vti poſtea in tormentis ſunt confeſſæ, quia verò toto eo tempore, Sacramenti Matrimonij gratiam, quam, dum coniugale fœdus inirent, conſecuti erant, ſingulis, vt plurimum, menſibus confitendo, & communicando, ſtudiosè conſeruauerant, nulla dæmonum fraude, aut incurſu, lædi potuerunt. Quæ res Chriſtianis coniugibus, merito calcar addere deberet, vt iuxta Apoſtoli monita, *Honorabile coniugium in omnibus, & thorum immaculatum, cuſtodire atque conſeruare*, modis omnibus, allaborarent.

Hebr. 13.

II. Summi apud Deum meriti coniuges caſti.
1. Hiſtoria è Caſſiano. In collat. Patrum lib. 14. cap. 7.

Quanti porrò apud DEVM meriti, ſint caſti coniuges, quam dæmonibus ipſis ſint formidoloſi, Ioannes Caſsianus inſigni hiſtoria teſtatur: *Quidam ſæcularis, veniens ad Abbatem, Ioannem, & portans ei, quaſdam, frugum ſuarum, primitias, reperit ibi hominem, ferociſsime, obſeſſum, dæmonio, qui adiurationes & iuſsiones Ioannis deſpiciebat, proteſtans, ſe nequaquam exiturum, à corpore quod poſſedit ad Ioannis imperium. Sed aduentu illius viri ſæcularis, ita dæmon ille, cum omni truculentia ſua, protritus eſt, vt cum reuerendiſsima, nominis illius prolatione, mox fugerit. Cuius viri, tàm euidentem virtutem & gratiam,*

tiam, Abbas vehementer admirans, præsertim cum videret, eum habitu sæculari vestitum, cœpit ab eo diligenter inquirere, qualitatem & ordinem vitæ suæ. Qui cum responderet, se esse sæcularem & vxoratum, Ioannes mente pertractans, excellentiam virtutis, & gratiæ eius, attentiùs inuestigauit, virtutem ipsius & conuersationem: Qui testabatur se rusticum, quotidianumque victum, opere manuum quærere, nec alicuius boni se conscium, nisi quod de manè nunquam procederet, ad exercenda opera rusticana, neque de vespere domum rediret, nisi prius in Ecclesia, Deo referret gratias, pro victu quotidiano: nec vnquam vsurpare se aliquid de fructibus suis, nisi prius offerret Deo, primitias eorum ac decimas, nec vnquam duxisse boues suos per agros & messes, aliorum, nisi ora eorum prius ligaret, ne proximis suis, vel modicum damnum incuteret, ex negligentia sua. Deniq; cum nec ista viderentur Abbati idonea, respectu tantæ gratiæ, qua vidit, illum se esse perfectiorem, & sciscitans scrutaretur, quid nam esset, per quod esset tanti meriti? ille adstrictus reuerentia, tàm sollicitæ inquisitionis, confessus est, se vxorem accepisse, ante duodecim annos, ex compulsione Parentum, cum qua piè, concorditer, sanctè castéque viueret, eamque loco sororis haberet. Quo audito, senex, tanta admiratione repletus, vt coram viro illo, publicè fateretur, quod dæmon, à quo ipse erat despectus, meritò tolerare non potuit, illius præsentiam, cuius virtutem appetere, ipse non auderet.

2. Pij & iusti hominis exemplum.

1. 2. 3.

3. Dæmon eius præsentiã non tolerat.

Quod si vis tanta erat, casti matrimonij, inter duos coniuges istos, vt alterius præsentiam, dæmon in obsesso, minimè tolerare valeret, quantò magis, pij castique coniuges, matrimonio, non, nisi iuxta Dei sanctionem, temperanter moderateque vtentes, omnes dæmonum præstigias, à seipsis & à sacrato thoro suo propulsabunt?

III. Fides Matrimonialis, quam strictè ab vtroque coniuge seruanda.

1. Christi præceptum. Matth. 5.

Hic porrò monendi estis, ô Christiani coniuges, ne datam matrimonij mutuam fidem, vllo pacto, nec opere, neque cogitatione violetis, & in aliorum, aliarumque concupiscentia, exardescatis: *Qui* enim *viderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Et vicissim: Mulier intuitu viri libidinoso, eidem sceleri se immergit: Sic enim magni huius & sacrosancti Sacramenti maiestas, directè violatur, & dæmon in sacrilegos hosce, tàm diuini mysterij Prophanatores, potestatem accipit, vt eis pro libitu, quandoque valeat nocere:

2. Historia superius etiam recensita, sed alio fine.
Vincent. Beluacensis lib. 16. hist.
S Antoninus p. 1. historiar. tit. 16 c. 7. ¶. 7.

Historiam multis nominibus admirabilem, ex Vincentio Beluacensi, memorat sanctus Antoninus: Romæ, temporibus Henrici Tertij, fuisse iuuenem quendam, locupletem & nobilem, qui recens vxorem duxerat, & Sodales suos, opiparo conuiuio nuptiali, exceperat. Sublatis epulis, exiuêre in campum, lusuri pila, animi relaxandi causa. *Sponsus Ludi dux, pilam poscit, & ne excideret annulus sponsalitius, inserit eum digito, æreæ statuæ Veneris, quæ in horto erat, vbi conuenerant. Omnes eum vnum petebant; sic citò defatigatus, ipse, à ludo secessit, & ad statuam rediens, annulum recepturus, ecce videt digitum, statuæ, vsque ad volam manus recuruatum, & quantumuis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere. Redit ad Sodales, nec illis ea dere, quicquam indicat.* Crediderim dæmonis præstigias intercessisse, Deo permittente, cum iuuenis alioquin libidinosus, praua forsan intentione, vt Saræ viri, matrimonio se subiugârit. *Vesperi porrò cum famulo ad statuam reuertitur; & extensum, vt initio, digitum reperit, sed sine annulo. Iactura dissimulata, domum se confert, ad nouam nuptam. Cumque thorum ingressus, sponsæ se iungere vellet, sensit impediri se, & nebulosum quoddam ac densum, inter suum, coniugisque corpus, volutari. Sentiebat id tactu, videre tamen nequibat. Hoc obstaculo, à licito quidem matrimonij vsu, probibebatur: audiebat etiam vocem: Mihi coniungere, quia hodie me tibi desponsasti: Ego sum Venus, cuius digito annulum inseruisti; nec reddam: Territus ille tanto prodigio,* inquit sanctus Antoninus, *nihil referre ausus est, nec potuit: Insomnem duxit noctem illam, multum secum deliberans, vnde perturbatio tanta. Sic factum est per multum tempus, vt quacunque hora, matrimonium complere vellet, illud idem sentiret, & audiret. Tandem vxoris querelis commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito consilio, Palumbo cuidam Presbytero, suburbano, rem pandunt; Is autem erat Necromanticus, & in maleficijs potens. Illectus ergo promissis multis, Epistolam dedit iuueni dicens: Vade illâ hora noctis ad compitum, vbi quatuor viæ conueniunt, & stans tacitè considera, transient ibi figuræ hominum, vtriusque sexus, omnisque ætatis, & conditionis, Equites & pedites; quidam læti & quidam tristes; quidquid audieris, non loquaris; Sequetur illam turbam, quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens. Huic Epistolam trades legendam, & fiet quod*

3. Mirabile Matrimonij Impedimentum.

4. Dæmoniacorũ spectro-

quod postulas. Ille autem iuuenis, totum impleuit, quod edoctus erat, viditque inter cæteros ibi, mulierem, in habitu meretricio, mulum inequitantem, crine soluto, per humeros iactato, vitta aurea, superius constricto, auream virgam gerentem, in manibus, qua mulum regebat; præ tenuitate vestium, pæne nuda apparebat, gestus exequens impudicos. Vltimus, Dominus turbæ, terribiles in iuuenem oculos exacuens, ab axe superbo, Smaragdis & Vnionibus, composito, causas viæ, ab eo exquirebat. Nihil ille contra, sed protenta manu, Epistolam ei porrigit. Dæmon, notum sigillum, non audens contemnere, legit scriptum; moxque brachijs in cœlum éleuatis, Deus, inquit omnipotens, quamdiu patieris nequitias, Palumbi Presbyteri? Nec mora, satellites suos, à latere mittit, qui annulum extorquerent, à Venere. Illa multum tergiuersata, vix tandem reddidit. Ita iuuenis, voti sui, factus est compos, & sine obstaculo matrimonium consummauit. Palumbus autem, vbi dæmonis de se, ad Deum clamorem audiuit, intellexit, sibi præsignari finem dierum. Quocirca, omnibus membris vltrò truncatis, miserabili pœna defunctus est, inaudita coram populo Romano, flagitia confessus. Nec diu inultum tulit iuuenis, quod maleficium dæmonis, alio eius ministri malefico, curârit; Nam longa tabe emaceratus, vitam miserè finiuit.

rum mirabilis visio.

5. Quam periculosum vti opera maleficorum, ad depellendum Matrimonij maleficium.

Quem porrò in scopum, collimat, stupenda hæc historia, cuius fides esto penes auctores? Duo breuiter intendo Christianos coniuges admonere: Si iuuenis iste, qui Veneris tantum statuæ, digito, ad tempus, annulum sponsalitium inseruit, dæmonum præstigijs, & imposturæ, tam facilè patuit, vt à matrimonij licito vsu cohiberetur: Quantò magis illi dæmonum potestati, subiecti erunt, qui violata Sacramenti fide, alienos amores appetunt, & coniugalem thorum vagis libidinibus conspurcant? *Hoc primũ.* Si iuuenis iste, *carnalibus æstuans concupiscentijs, excludens Deum à mente sua,* vt loquitur Archangelus Raphaël, tàm citò passus est insidias, furentis Asmodæi, quanto magis illi, qui sacratissimum matrimonij Sacramentum, nefandis, contra naturam & rationem, libidinis excessibus, polluunt, infernalis Veneris infestationibus, succumbent? *Hoc alterum* Monitum meum; Cui addo, Coronidis & Mantissæ loco: Si iuueni, quem diximus, pessimè cessit, per Magum

6. Historiæ præcedentis Documenta.

1.

1. Ad adulteros.

2. Ad Matrimonij casti violatores.

2.

Tob. 8.

3.

3. Ad eos qui maleficium maleficio pellunt.

Magum à diabolo, remedium illati maleficij, expetijsse, vt libidinem suam exaturaret; cum diuina tactus manu, breui extabescens, ætatem floridam, immatura cum morte commutârit: nouerint, quicunque maleficiati, & à matrimonij vsu prohibiti coniuges, si ad diabolum & ministros eius, Magos & Veneficos, ac Sagas confugiant, eandem se se aleam subituros. Quem monita non terrent, is pœnam experiatur.

IV. Mulierũ Amor malis artibus non captandus.

Et illud, ô Christiani coniuges, vobis inculcare non dedignabor, ne malis artibus ac Philtris alienos amores consectemini, quod ipsum sacrilegos quosdam matrimonij Violatores, in hac ciuitate, scelus minimè exhorruisse, exploratũ habemus. Meminerint illi, formidolosæ historiæ, quam narrat Siffridus Presbyter, in Misnia contigisse:

1. Terribilis punitio vxorati alienos amores procantis & ambientis. In Chronico. 1260.

Vxoratus quidam, vt puellæ, amoribus potiretur, à Mago subsidium petijt, à quo in locum ædium desertum, deductus est: Cui cum spectrum puellæ illius, quam adamabat, imagine, per malefici incantationes, se obtulisset, amator ille perditus, manum ei porrigens, à malo dæmone, parietibus illiditur, & miserabilem in modum necatur. Tum dæmon interfecti amatoris cadauer, quoque, tanto in magum impetu proiecit, vt semianimis, longo tempore iacuerit, prægustans mercedem, quam ab hero suo, tàm crudeli, in altera vita habeat expectare. Hæc Siffridus magni nominis, & indubitatæ fidei scriptor. *Induite vos* ergo, ô pij coniuges, *armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli*, huius Sacramenti gratiam, eius præstigijs, veluti scutum obijcite, vt possitis stare in die malo. Esto; non recta intentione matrimonij contractum inieritis, vt sobole procreata, Deus in semine vestro benedicatur, & numerus Electorum adimpleatur; Transeat, libidinis ardorem, quandoque prædominatum, pijs ac sanctis, piorum coniugum desiderijs; verùm ista deinceps facessant, & abeant in rem malam: Vos verò de commissis excessibus, seriò dolentes, & errata, confessione integra expiantes, resuscitate gratiam, tanti Sacramenti, qua diabolo formidabiles effecti, omnia eius conamina eludentes, parata pijs coniugibus præmia in cœlo, felici lucro indepta, perẽniter possideatis. Amen.

CON-

CONCIO. XXV.

REMEDIVM DECIMVM SEXTVM, INVOCATIO DEVOTA NOMINIS IESV.

Sanctum & terribile Nomen eius. Psalm 110.
In Nomine meo dæmonia eijcient. Marci Vltimo.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

PRæuidens in Prophetico Spiritu, Malachias, tum dignitatem, tum admirabilem virtutem Nominis Iesv, venturi Mesſiæ, cuius aduentum in carne, & nouum Corporis & ſanguinis, ab ipſo, inſtituendum ſacrificium, vaticinabatur, inter alia diſerte protulit, loco ac vice ipſius, Mundi Saluatoris: *Ab ortu ſolis, vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meū, in gentibus, & in omni loco, ſacrificatur & offertur nomini meo, oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* addit inſuper, ſub calcem capitis illius, ex quo hæc verba decerpuntur, nouam iterato atteſtationem. *Quia Rex Magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile, in gentibus.* quæ omnia Regius Pſaltes huic diuiniſsimo nomini, iam antea quoque adſcripſerat, & arrogarat: *Ab ortu ſolis,* inquiens, *vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini. Sanctum & terribile nomen eius.* Magnum nomen, quia illum indicat, *cuius magnitudinis non eſt finis.* Sanctum ac venerabile Angelis, horribile, tremendum ac terribile, malignis genijs, omnia eorum contra homines molimina, tentationes & machinamenta, excutiens, in nihilum redigens, atque diſperdens: *In nomine,* etenim, *meo, dæmonia eijcient, ſerpentes* inſuper infernales *tollent,* & eorum vires eneruabunt. Hoc itaque præſentiſsimum contra dæmonum infeſtationes, omneſque Magicas veneficorum & Sagarum impetitiones, Remedium, hac concione explicaturus, primum huius diuiniſsimi nominis maieſtatem, paucis attingam. Deinde admirabiles eius virtutes, ac præſertim

Malach. 1.
Ibidem.
Pſalm. 110.
Marci 14.

inuincibile robur, aduerſus tentationes, contra dæmonum infeſtationes, quocunque modo illatas, explicabo, eiuſdem nominis ineffabili gratia nobis cooperante. Amen.

I. Excellentia nominis Ieſu Remedium. XVI.
1. Maieſtas nominis Ieſu.
Luc. 3.
In 3. p. q. 37. art. 2.

Sanctum & terribile nomen eius; quod vocatum erat ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur: *Ecce* inquiebat, *concipies & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM, *rectiſsimè quidem*, inquit S Thomas, *& conuenientiſsimè fructus vteri virginalis, filius Dei*, IESVS *appellatur. nam ideo in carne venit, vt mundum ſaluaret: quidquid enim ſaluatur, in hoc ſalutifero Saluatoris nomine, ſaluatur.* O quam multa, quam præclara, de hoc ineffabili nomine, & eius admiranda dignitate, menti meæ ac memoriæ occurrunt? Inuenio hoc ſanctum nomen *Prædeſtinatum*, inuenio *præfiguratum*, inuenio *Prophetatum*, inuenio *annunciatum*, ac denique *reuelatum*. Quomodo prædeſtinatum? Quia à ſæculo, iam antea prænominatum: Teſtis eſt Regius vates: *Sit nomen Domini benedictum in ſæcula, ante ſolem permanet nomen eius.* Teſtis eſt Iſaias: *Domine à ſæculo nomen tuum*: Et rurſum: *Vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit: Et eris corona gloriæ, & diadema Regni, in manu Dei.* In libro enim vitæ, in quo electi omnes ſcribuntur, de quo ipſe, ad diſcipulos Saluator ait: *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*, in principio & ab æterno, deſcriptum fuit, mellifluum nomen IESVS, Chriſto per os Dauidis atteſtante: *In capite libri ſcriptum eſt de me. Et vocabitur nomen eius* IESVS. Quomodo præfiguratum? In *Ieſu* filio Naue, alias Ioſue cognominato, qui introduxit populum Iſrahel, in terram promiſsionis: Nam ſimili modo IESVS *Saluator mundi*, electos introducet, in patriam cœleſtis Paradiſi; In *Ieſu* filio Ioſedech ſanctiſsimo Sacerdote, vt ſicut ille Domino obtulit ſacrificium, pro populi peccatis, ſic IESVS *mundi Saluator*, ſacrificium reconciliationis, totius generis humani, Deo Patri ſuo litaret, In *Ieſu* filio Syrach, ſapientiſsimo Doctore, qui *innouauit ſapientiam de corde ſuo*: Sic verus *Mundi Saluator*, qui fuit *Propheta magnus, potens opere & ſermone*, ſapientiam noui Teſtamenti, & cognitionis veri Dei, in Euangelica lege, introduxit. Quomodo Prophetatum? Per Eſdram Deus Pater affirmat: *Et erit poſt annos hos, morietur filius meus* IESVS, *& conuertetur ſe-*

1. Eſt Prædeſtinatum.
Pſalm. 71.
Iſaiæ 63.
Iſaiæ 62.
Exodi 32.
Dan. 12.
Luc. 10.
Pſalm. 38.
2. Eſt Præfiguratum.
Ioſue 13.
Zach. 1.
Eccl. 50.
3. Eſt Prophetatum.
3. Eſdræ 7.

tur sæculum. Abacuc Propheta seipsum consolatur: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* IESV *meo.* Quomodo & cui nam prænunciatum? Virgini Dei Matri mox futuræ: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. Quando & cui reuelatum? Iosepho, Virginis Sponso, cui Angelus in somno apparens, dixit: *Noli timere accipere* MARIAM *Coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est, pariet autem filium, & vocabis nomen eius* IESVM: *Ipse enim saluum faciet populum suum, à peccatis eorum.* Quidni sanctum & terribile nomen eius?

Abacuc. 3. 4. Est prænũciatum. Luc. 1. 5. Est reuelatum. Matth. 1.

Et hoc Nomen, multis nominibus, valde gratiosum. Est inquam *Nomen gloriosum*, dicente Regio Vate: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum,* non solum homines, sed & Angeli Dei, Est nomen vtrisque pariter *venerabile: In nomine* IESV, *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum; Cœlestium* per gloriam, *Terrestrium* per gratiam, *Infernorum* per iustitiam sempiternam: Est nomen *desiderabile:* & ni esset minimè dicturus erat Propheta: *Domine Nomen tuum memoriale, in desiderio animæ:* Est Nomen *delectabile: Psallite Nomini eius, quoniam suaue est,* non solum degentibus in terra, sed & beatis, commorantibus in Patria: *Memores erunt Nominis tui Domine, in omni generatione & generationem.* Est nomen *admirabile: Quod est Nomen eius, aut nomen Filij eius, si nosti?* Et Iacobo, affirmabat *Magni consilij Angelus: Quid quæris Nomen meum quod est admirabile: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, in vniuersa terra.* Est Nomen *Amicabile: Vbicunque*, inquit, *fuerint duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Est Nomen *Consolatorium: Ibant namque Apostoli, gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro Nomine* IESV, *contumeliam pati.* O sanctum, ô ineffabile Nomen, Tu sis nobis *Armatura Dei*, aduersus omnes insidias diaboli, clientes tuos iugiter oppugnantis. Quid ni in omni afflictione diabolica Inuocatores tuos releues & consoleris?

6. Multimodè gratiosissimũ. 1. Est gloriosum. Psalm. 5. 2. Venerabile Philip. 2. 3. Desiderabile. Isaiæ 26. 4. Delectabile. Psalm. 44. 5. Admirabile Prou. 3. Gen. 32. Psalm. 8. 6 Amicabile. Matth. 18. 7. Consolatorium. Actor. 5.

Tanta est lætitia animæ, inquit sanctus Bernardinus, *quæ lætatur in Christo* IESV, *Nomine benedicto, vt paupertas pro diuitijs, asperitas pro delitijs, vilitas & contemptus, pro honoribus reputentur, & supplicia ipsa dulcescant. Ergo si mentem tuam tristitiæ caligo, demergit, si grauis* immi-

8. Gaudio plenum. Serm. 29. de Religione Christiana.

imminet, & procellosa tempestas, si se perniciosus ingesserit turbo, si maria
Matth. 8. *terrificum edant mugitum, si littora contrariantur, & nauicula ipsa fluctibus obruitur,* IESVM *inuoca, qui in ea dormire putatur, qui tamen nec dormit, nec dormitat, & plena fide dic ei: Exurge Domine* IESV, *exurge; quare similis es dormienti? Tunc surgens, imperabit ventis & mari, & sequetur tranquillitas magna. Et dices:*
Psalm. 4. *Ego autem in Domino gaudebo, &*
Psalm. 135. *exultabo in Deo* IESV *meo; Lætabor & exultabo in te, psallam Nomini tuo Altißime.* Quid ni itaque nos mutuo omnes excitemus: *Laudate Dominum quoniam bonus: Psallite Nomini eius quoniam suaue est.*

9. Nomen excelsum. Est denique Nomen *Excelsum: Nomen super omne Nomen, omni dulcedine affluentißimum.* En ni tale esset, cur sponsa dixisset Ecclesia, sponsum alloquens IESVM:

10. Oleum effusum & cur? Cantic. 1. *Oleum effusum Nomen tuum; ideo adolescentulæ,* animæ Christianæ, *dilexerunt te nimis;* quæ verba

In c. 1. Cantic. Serm. 10. explicans Origenes, inter cætera ait: *Planum est, quod ad effusionem olei, sequitur loci impinguatio, in quo facta est olei effusio: sic est necessarium, vt in cordibus fidelium, in quibus fuerit Nomen* IESV *frequentatum, pinguis deuotio subsequatur, quæ adolescentulas, id est, nouas animas, in pœnitentiæ labore ad currendum post dilectum, ardentißimè excitet in amorem.*

1. Oleum cōdit cibos. Serm. 15. in Cant. Et sanctus Bernardus: *Annon toties confortaris, quoties Nominis* IESV *recordaris? Oleum est Nomen* IESV, *aridusque est, omnis animæ cibus, nisi hoc oleo condiatur. O quanta dulcedo stillare videtur, ex labijs innocentis, cum inuocat nomen* IESV? *Nam* IESV *Nomen est mel in ore, melos in aure.* IESV *dulcis memoria, Dans vera cordis gaudia, Sed super mel & omnia, Eius dulcis præsentia. Nil canitur suauius, Auditur nil iucundius, Nil cogitatur dulcius, Quam* IESVS *Dei filius:* Sic itaque *sanctum & terribile* est Nomen IESV.

2. Illuminat vrinatores in mari. Oleum denique illuminat Vrinatores, in maris profunda descendentes; Nam oleum ore haustum continent, cumque ad fundum peruenerint, illud exufflant, vnde superficies aquæ, clarior redditur, & abscondita in lucem producuntur. *Oleum* istud *effusum,* Nomen IESV, dum in tenebris huius mundi, versamur, abscondita nostra, quæ intra nos latent, quam diu nostri ignorantia, laboramus, in medium producit. Sicut enim Sol iste materialis ostendit omnia, quæ nocturnis tenebris occultantur, sic luminosum Nomen IESV, abscondita cordium nostrorum

rum manifestat. *Oleum* igitur *effusum sanctum & terribile Nomen* IESV, vt simul etiam, contra omnia diaboli tela terribilis armatura.

De virtutibus Nominis IESV, quid dicam? In Nomine IESV orantes exaudimur. Ait namque benignissimus IESVS; *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; in quæ verba S. Augustinus: *Non petitur in nomine Saluatoris, quod petitur contra rationem salutis, proinde sancta Ecclesia, quæ semper salutaria petit, in omnibus orationibus suis & petitionibus exauditur, quia in eis semper adiungitur, in officijs sacris, per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. Et S. Ambrosius: *Nemo dicat, se esse pauperem, cum petat Patrem in nomine filij, quia accipiet dona* DEI: *sicque fiet Diues in Domino, qui deuotus extiterit, in eius nomine glorioso.*

II. Virtutes nominis Iesu.
1. In nomine Iesu exaudimur
In Ioan. c. 16.
In Ioan. c. 16.

In nomine IESV dirigimur in viam salutis æternæ; Non enim frustra canit Regius Psaltes: *Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum*: Verum quia omnes in via DEI sumus, vt paruuli hinc inde titubantes, admonet rursum: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini: Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc vsque in sæculum; A solis ortu vsque ad occasum, Laudabile Nomen Domini.* Sic enim cum confidentia, cum eodem vate dicemus: *Propter nomen tuum deduces me, & enutries me.*

2. In nomine Iesu dirigimur in viam salutis æternę
Psalm. 22.
Psalm. 112.
Psalm. 30.

Hoc sacrum nomen IESV iustificat: Nam primò omnium, per illud peccata dimittuntur: *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim*, Et Apostolus ait; *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Congruè S. Bernardinus: *Sicut grauiter æstuanti, & longo sitis ardore succenso, fons frigidus, salubris & gratus, efficitur: Sic mentibus, iniquitate depressis, nomen* IESV, *culpæ grauedinem & mærorem expellit.* Firmiter inde credimus & nobis persuademus, si quis, quantumuis maximus peccator, in extremo vitæ articulo, constitutus, non possit aliam de peccatis confessionem facere & pœnitentiæ actus exercere, cum vera duntaxat cordis contritione, inuocet Nomen IESV, remissionem omniũ peccatorum, indubitatò consecuturum. Neque enim frustra protulit Propheta, quod repetijt Paulus: *Omnis quicunque inuocauerit*

3. Nomen Iesu iustificat.
Psalm. 24.
Act. 10.
In quadragesimali suo Serm. 49. de Relig. Christiana.
Ioel. 2.
Rom. 10.

cauerit nomen Domini, hic saluus erit. Nec dubium est, eos à Deo copiosam misericordiam impetrare, qui diligunt ac amant, ac venerantur sacrum nomen eius: Nec frustra rogauit Psalmista: *Propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris.* Et pro se solo, veniam efflagitans: *Aspice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.*

Psalm. 78.
Psalm. 118.

4. Auget gratiam & gloriam.
Eccl. 51.
Homil. 9. in Matth.

Hoc sacrum nomen IESV, auget gratiam, & merita æternæ vitæ, cumulat, atque coaceruat; quod intelligens sapiens Ecclesiasticus, sibi proponebat: *Laudabo nomen tuum assiduè & collaudabo illud in confessione.* Et S. Ioannes Chrysostomus: *Quo nomen Domini diligitur, profundius, & inuocatur frequentius, eò exaltat Deum sublimius, & merita Patriæ cumulat perfectius.*

5. Procurat salutem.
Act. 4.
Matth. 1.
Luc. 2.
Philip. 3.
1. Tim. 1.
Oseæ 13.
Matth. 9.

Hoc benedictum nomen IESV, salutem procurat æternã: *Non enim est aliud nomen datum, sub cœlo, hominibus, in quo oporteat saluos fieri credentes. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et quid ni? alioquin frustra cantassetis, ô Angeli sancti: *Quia natus est vobis Saluator mundi.* Frustra dixisses, ô S. Apostole Paule: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. Frustra docuisses: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia* CHRISTVS IESVS, *venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* Frustra Christus proprio affirmasset ore: *Venit enim Filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.* O sanctum & venerabile, Angelis pariter & hominibus, terribile autem dæmonibus, nomen IESV.

6. Illuminat mentes.
Zach. 6.
Serm. 15. in Cantica.

Nomen IESV illuminat mentes hominum, vt seipsos pariter, & Deum cognoscant: Vnde Propheta, *Oriens nomen eius.* Id est velut Sol irradiat homines, Sol non tantum illuminat, externam terræ superficiem, sed & in terræ viscera penetrat; Sic Sol iste pariter illuminat & fæcundat. Vnde S. Bernardus: *Nonne huius nominis luce, nos Deus vocat, in admirabile lumen suum?*

7. Inflammat ad amandum.
Ibidem.

Nomen IESV, inflammat ad amandum eum, qui nomine IESV repræsentatur. Vnde rursum S. Bernardus: *Per nomen Domini venitur ad rem nominis, quia per cognitionem nominis, venitur ad dilectionem & fruitionem, numinis.*

8. Roborat mentem in aduersis.

Nomen IESV, roborat mentem, vt patienter ferat aduersa: In

sa: *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Vnde S. Apostolus Psalm. 43.
Paulus, hoc nomine, veluti Panoplia instructus, afferebat:
Non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum; Et pro nomine Actor. 21.
Domini IESV, *contumeliam pati non erubescam.* Quin etiam omnes, quicunque se huius nominis armatura communiunt,
cum Paulo facilè dicent: *Certus sum, quod neque mors, neque vita,* Rom. 8.
neque Creatura aliqua, poterit nos separare, à charitate Dei, quæ est in Christo IESV.

In nomine IESV, refrænantur & compescuntur omnes 9. Compescit malas cogitationes.
malæ cogitationes, quæ vagas hominum mentes, collectioni parum addictas, in diuersa trahunt, pessimisque desiderijs inflammant: Nec enim frustra IESVS ipse monet: *Pone me vt signaculum, supra cor tuum:* Sacrosanctum nomen meum IESVS, Cant. 8.
in memoria tua semper conserua. Vnde S. Bernardus: *Qui sequuntur Agnum, debent habere nomen eius, & nomen Patris eius scriptum* Serm. 39. in Cant.
in frontibus suis. Sicut enim radix arboris, quantò magis figitur in profundo, tantò eius fructus amplius expanditur, in excelso: Sic nomen IESVS,
in intimo cordis fixum, atque solidius radicatum, euenire facit abundantius & vberius, inundantiam gratiarum. Et rursum: *Nomen* IESV, Ibidem.
tibi semper sit in sinu, semper in manu, quo tui omnes in IESVM, *& sensus dirigantur, & actus. Nihil enim ita exercitatos reparat facilius, virtutes roborat efficacius, carnalia desideria, exterminat fortius, quam* IESV
nomen, vbiquè in cordis penetralibus circumgestare. O sanctum & terribile nomen IESV.

In hoc eodem nomine, superantur omnes diaboli tentationes, initio præsertim conuersionis, eius iugo abdicato: 10. Vincit omnes diaboli tentationes.
Nec enim frustra sapiens monet: *Fili accedens ad seruitutem Dei,* Eccl. 2.
sta in timore & præpara animam tuam ad tentationem. Nullum autem validius præsidium, illis resistendi, quam erigere illicò,
vexillum nominis IESV; *Omnipotens nomen eius, currus Pharaonis,* Exodi 15.
& omnes exercitus eius, deijciet in mare, & te protinus ab immani
illo, Pharaone, liberabit. S. Bernardi consilium ausculta: *Tristatur aliquis vestrum? Veniat in Cor* IESVS, *& psallat in ore; & ecce* Serm. 15. in Cantica.
nominis huius lumen exortum, fugatis tristitiæ tenebris, serenam adducet tranquillitatem. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis, quod

tis, quod absit, desperando? inuocet nomen vitæ, & statim aspirabit ad vitam. Cui aliquando ante faciem stetit, vt assolet duritia cordis? Ignauiæ torpor? animi rancor? languor Acediæ? Cui fons fortè siccatus lachrymarum, inuocato IESV, *non continuò erupit vberior, fluxitque suauior? Profectò nihil ita iræ furorem cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim têperat auaritiæ, ac totius corporis fugat pruriginem, siquidem cum nomino* IESVM, *hominem mihi propono mitem ac humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omnique honestate, & sanctitate conspicuum.* Addit S.Bernardinus. *Igitur si contra te, constipentur acies, si consistant castra, si surgat aduersum te prælium, ne formida periculum: Inuoca nomen* IESV *virtuosum: Si* IESVS *tuus pro te, quis aduersum te? Apostoli monitum attende: Fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo* IESV: *Et fugient partes aduersæ: nequeunt enim, adunata licet tartarea noctis phantasmata, tanti nominis lucem, tantamque odoris fragrantiam, spurcissimi illi spiritus, perferre, nam ad nominis huius sonitum, subitò exurgit Deus & eius inimici dissipantur.*

Serm. 49. de Religione Christiana.

II. Subitanea pericula fugantur.

In nomine IESV, subitanea omnia pericula, quibus, vt S. Augustinus ait, in omni momento, in hac vita sumus expositi, dissipantur, dum cum Propheta clamamus: *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Verè enim, vt Salomon asserit: *Turris fortissima nomen Domini,* in qua præsidium, contra omnia fortuita, quæ non facilè præuideri queunt pericula, inuenitur. Vnde vt in omni actione nostra, diuinis fulciamur auxilijs, nomen IESV, semper in ore ruminandum: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum*; ait Saluator, quin etiam frequenter illud inuocantibus, promittit: *In omni loco, vbi fuerit memoria nominis mei, veniam ad te.* Nouerat id Regius Vates, cum canebat: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* Quotiescunque igitur, subitaneum quoppiam malum præoccupat, illicò cogita cum Dauide: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Et dic protinus: *Exurge Domine adiuua me, & libera me, propter nomen tuum.* Quid plura? *Sperent in te*, ô Domine IESV, *qui nouerunt*

Lib. 21. de Ciuit.
Psalm. 53.
Prou. 18.
Psalm. 92.
Exodi 20.
Psalm. 114.
Psalm. 122.
Psalm. 43.
12. Nomen Iesu fontibus

runt nomen tuum, quoniam non dereliquisti, quærentes te, & nomen IESV, deuotè implorantes. Scribit Euagrius cum tota ciuitas Antiochena, ingenti terræ motu, concuteretur, quicunque nomen IESV foribus inscripserunt, immunes à ruina euaserunt. Puerum quendam in India, in profundissimam piscinam lapsum, inuocato nomine IESV, à submersione, miraculosè seruatum Antonius Dauroultius testatur. *Sanctum ergo & terribile,* ô Domine IESV, *est nomen tuum.*

inscriptum cohibet terræ motum. Lib 4. c. 6. Niceph. lib. 14. c. 3 Baron. Tom. 7. anno 528. Anton. Dauro. in flor. Exempl. c. 3. Tit. 23.

In nomine IESV, Miracula fiunt & morbi sanantur. Non audis Saluatorem protestantem cum iam ad cœlum ascendere pararet? *Signa autem, eos qui crediderint, hæc sequentur In Nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c. Et super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Quid Petrus, vt mille alia exempla prætercam, quid claudo ad Templi portam sedenti? *In nomine* IESV CHRISTI, *surge & ambula, & confestim surrexit, & ambulauit.* In hoc nomine leprosi mundati, cæci illuminati, mortui omnes, fuere resuscitati, non solum per Apostolos, sed & eorum successores: Nec rarò etiam, ex ore gentilium prolatum, hoc nomen, miracula patrauit, & sanitates contulit: Sic cum Dionysius Areopagita, cum Paulo Athenis disputaret, quidam à natiuitate cæcus transibat, de quo ipse ad Apostolum: *Si vis vt credam, quæ prædicas de* IESV *Nazareno, quem asseris esse filium Dei, dic huic cæco, vt in eius nomine videat; sed ne vtaris Magicis verbis, & tantum ista quæ tibi præscribo profer: O cæce in nomine* IESV, *nati de Virgine, crucifixi & mortui, qui & resurrexit, & in cœlos ascendit, vide: cui Paulus, hoc minimum est & facillimum, virtuti nominis* IESV, *verum vt mali omnis suspicio tollatur, volo, vt tu verba illa proferas, & veritatem probes: paruit Dionysius, & cum vix verba finijsset, cæcus clarissimè videbat, & vna cum Dionysio, in* IESVM *credebat.* Non hic referam, quam multa millia miraculorum, hodierno etiamnum die, in Indijs, tam orientalibus, quam occidentalibus, sola inuocatione nominis IESV, designentur.

13. In hoc nomine miranda fiunt. Actor. 3. Actor. 3.

Conuersio S. Dionysij per nomen Iesu. Hild. in vita S. Dionys. Baron. Tom. I. Surius 9. Octobris.

In nomine IESV, martyres ad agonem animantur: his enim ait: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & cum separauerint vos, & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum, mentientes propter nomen meum:*

14. Martyres eodem ad agonem roborantur. Matth. 5.

meum: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra, copiosa est in cælis. *Patientiam*, inquit, *habuisti, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* vis mercedem? *Dabo tibi edere de ligno vitæ, quod est in Paradyso Dei mei. Dat magnam audaciam*, inquit S. Augustinus, *Nomen Domini, scriptum in cordibus iustorum, contra impetum malorum, vt quicquid est contrarium, patienter toleretur, & pusillanimitas prudenter euitetur.* Vnde B. Agatha, sibi asperrima tormenta minanti Tyranno, cordate respondit: *Si feras mihi promittas, audito* CHRISTI *nomine mansuescunt, si ignem adhibueris, rorem saluificum, mihi Angeli de cœlo ministrabunt.* Ecce vim nominis IESV, in corde Virginis defixi: De sanctissimo Martyre Ignatio, scribitur, cum Romã sub Traiano Imperatore, perductus, admoneretur, ab ipso, vt Christi fidem negaret, respondisse: *hoc facere, nec volo nec possum, habeo namque nomen* IESV, *scriptum in corde meo.* Vnde ferunt cum bestijs laniandus obiectus fuisset cor eius extractum, in quascunque partes diuideretur, *nomen* IESV, aureis in eo literis scriptum, vbique comparuisse: Vis ergo aduersa omnia æquanimiter tolerare? Sacrum nomen IESV, cordi tuo similiter insculpe securus eris.

Apoc. 2.

2. S. Agatha. In eius vita.

3. S. Ignatius Simeon Metaphrastes, in eius vita.

Reuertamur iam igitur, auditores, ad scopum, à quo paulisper digressi sumus. *In nomine* IESV, quod nos isthic potissimum spectamus, & cuius causa, supradicta omnia, in medium attulimus, nõ solum dæmones fugantur, verum etiam omnes eorum præstigiæ, & machinationes in nihilum rediguntur: *Sanctum* enim *& terribile Nomen tuum Domine est*, illisque supra modum formidolosum; Necesse est igitur, vt *Confiteantur Nomini tuo magno, quoniam terribile, & sanctum est.* Verè *magnus es Domine, & magnum nomen tuum, in fortitudine.* Vnde discipuli, eius virtutem admirantes, aiebant: *Domine in Nomine tuo, etiam dæmonia subijciuntur nobis:* Hinc ipsi dæmones illud metuentes, clamant: *Quid nobis & tibi* IESV *Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Est inquam illis *Vox tonitrui in rota*: Nam quemadmodum nos tonitrua, ita illos terret prolatio Nominis IESV. Quod si Clodoueus Francorum Rex, inuocato Nomine IESV, ingentem Alamannorum exercitum, illicò in fugam conuertit, & eo-

III. Vincit dæmones & eorum præstigias eneruat.

1. Scripturæ. Psalm. 110. Psalm. 98. Hierem. 10. Luc. 12.

Matth. 8.

2. Nomen Iesu terret dæmones vt tonitru.

Gregor. Turon. lib. 2. c. 30

& eorum occiso Rege, insignẽ victoriam est assecutus: quanto maior sacratissimi huius Nominis virtus, in profligandis dæmonibus elucescet. Tentauit quadam vice, dæmon, sanctum Antonium de Padua dormientem strangulare; at ille prolato *Nomine* IESV, cum primum euigilasset, hostem illicò in fugam conuertit. De sancto Patre Ignatio, ista Petrus Ribadeneira: *Dormientem beatum Ignatium, diabolum strangulare voluisse, Romæ Anno Domini 1541. audiui; Guttur enim quasi manu iniecta, stringere præfocaréque conatus est, tàm fortiter, vt nullo conatu posset Ignatius*, IESV *Nomen inuocare. Sed cum neruos omnes animi corporisque, quantum maximè posset, intenderet, vim vi repellens, in suauissimam tandem vocem erupit, Iesumque inclamauit; qua voce diaboli conatus omnis sine mora repulsus est; Porro ex contentione, Ignatius, quod postea vidimus, atque animaduertimus, per dies aliquot raucus & sine voce permansit.* Memorabile est quod in vita sancti Bernardi refertur, cum Papia Mediolanum transiret: Quidam enim vxorem suam dæmoniacam ad eam adduxit; Tunc diabolus per os eius dicere cœpit: *Nunquid me de hac fœmina expelles?* Cui seruus Dei Bernardus: *Non ego, sed Dominus* IESVS *te eÿciet.* Mox autem, vt sanctus Vir Nomen IESV implorare cœpit, nequam spiritus exclamauit, *ô magnus Deus*, cui sanctus: *Quis est magnus Deus? Nazarenus*, inquit, *crucifixus.* Cui rursum Bernardus: *Vidisti ne vnquam illum: Imò verò*, inquit, *vidi illum. Vbi? in gloria: & quomodo*, subdebat Bernardus, *à gloria excidisti?* Respondit: *quando multi cecidimus, Nunquid ad eam redire cuperes*, addebat Bernardus? *Cuperem, exclamabat ille, magno eiulatu, sed actum est.* Præcepit itaque ei in nomine IESV, vt exiret, paruit hostis, & mulierem dimisit. Verùm cum vir sanctus inde abijsset, eam hostis iterum inuasit, quod maritus eius insequens, sancto Bernardo, indicauit, qui iussit chartulam scribi, *In virtute Domini* IESV, *præcipio tibi, vt hanc fœminam dimittas, & eam amplius contingere non præsumas*, Abscessit dæmon, & fœmina ab eo iugiter mansit immunis.

de gestis Fräcorum.
3. Exemplum S Antonij Paduani.
In eius vita.
4. S. Ignatius Loiola.
Lib. 5. vitæ cap. 9.
5. S. Bernardus. In eius vita.

Mirabile est in hoc genere, quod recenset Bernardinus de Bustis: Fæmina quædam à diabolo desperationis tentatione impor-

6. Mulier suspensa nomine Iesu liberatur.

In Marialis parte 5. Serm. 11.

importuniſsimè agitata, tãdem ab eo perſuaſa fuit, vt ſeipſum ſuſpenderet. Illa reſpondente, laqueum ſibi, ad id idoneum deeſſe, diabolus ei ſtatim porrexit, ferream cathenam, qua collo applicata, ſe ſuſpendit, è trabe, ad id, à diabolo oſtenſa. Deſperata igitur, ſic vt erat, pendente, alia è domo mulier ſuperuenit, quæ timore perculſa, *Nomen* IESV fortiter inclamauit, audito nomine IESV, cathena illa diabolica euanuit, & ſuſpenſa, quæ nec dum mortua erat, decidit, & paulò poſt ad ſe rediens, peccatum agnouit, ac ſcelus confeſſa, maligni hoſtis fraudem effugit.

7. Nomen Ieſu inclamans, à diabolo portante dimittitur.

Mulier quædam, & pia, & alioquin ſatis honeſta, à nefaria quadam ſaga, vetula, perſuaſa, neſcio qua curioſitate inducta, conſenſit, vt cum ipſa, ad nocturnas ſagarum comeſſationes, & tripudia, à baiulo eius, quem vocabat, ſocio, deueheretur. Inſidens autem diabolico illo vehiculo, duo cauere iubebatur, primum, ne vel cruce ſe ſignaret, vel IESV *Nomen* exprimeret. At verò illa in ſublime rapta, ingenti quodam horrore concutiebatur: Vnde pro pia, quam ab infantia imbiberat, conſuetudine, IESVS inclamauit, ſalutiferum Nomen: Et ecce baiulus, eam amplius ſuſtinere non valens, illicò è ſublimi cadere permiſit, in prato, non parum ab eius habitatione diſtante. Domum itaque, corpore non ſatis benè compoſito deportata, quod geſtum erat, vix celare, Domeſticos valens, ſeriò pœnitens graui deinde ac diuturna dæmonis vexatione, temeritatem ſuam, expiauit, donec tandem virtute nominis IESV, perfectè liberaretur.

8. Impius Caluiniſta à dæmonibus raptatus & dimiſſus. Contigit anno 1600.

Memineritis adhuc, credo, ſpectri illius *Cronacenſis, Arcii*, à quo ſex homines, breui temporis interuallo, enecti, quorum vltimus inſignis Caluiniſta erat, qui non ſolum crucifixi imaginem, ſed & ſignum S. Crucis fronti impreſſum, horrendiſsimè blaſphemarat: Is noctu, cum à dæmonibus in igneo globo, per anguſtiſsimum feneſtræ foramen, extractus eſſet, pelle cum carne adhuc marginibus inhæreſcente, haud dubie viuus in tartara abripiendus, cum is qui in excubijs ſtabat, attonitus, IESV, IESV, IESV, ter inclamaſſet, in ſubiectam foſſam, terribili impetu deiectus, ac poſtea obtorto collo, ſine


omni

omni alia, membrorum luxatione, mortuus, sed velut igne ambustus, inuentus. Dæmones verò in flamma illa, cum terribili fragore, ac si montes circumuicini, è fundamentis omnes conuellerentur, protinus abscesserunt.

Scribit Martinus Del Rio, in Silesia, nobilis cuiusdam domum, eo quod ipse dæmones execrando, inuocasset, vt venirent, & epulas, quas pro conuiuis inuitatis, quidem, sed emanentibus, apparauerat, absumerent, ingenti, spectrorum diabolicorum numero, insessam, in qua cum omnes adulti territi diffugissent, solus in cunis infantulus, relictus est. Cumque dæmones, mirandum in modum, de bacchantes, & vt ita dicam, pergræcantes, infantulum etiam, per fenestram, minitabundi ostenderent, seruus *Nomen* IESV inuocans, & inclamans, in mediam dæmonum turbam irruit, & puerum, illis nequaquam repugnantibus, virtute *Nominis* IESV, extorsit, & saluum, incolumemque exportauit.

9. Infans liberatus à dæmonibus in nomine Iesu. Tom. 2. disquisit. Magicarum lib. 3. p. 1. q. 7.

Quid pluribus opus exemplis? Vbi frequens *Nominis* IESV, imploratio exercetur, ibi impossibile est, vt dæmon, aut per se, aut per suos complices Maleficos & sagas, aliquid efficiat. *Induite* ergo *vos armaturam* salutaris nominis IESV, *vt possitis stare, aduersus insidias diaboli,* & resistere in die malo. Sit *Nomen* IESV *refugium,* vestrum, sit *asylum*, sit *tutela*, sit *munimen*, sit *clypeus*, & *scutum* vestrum, quo ignea nequissimi hostis, tela, non solum excutiatis, sed & ipsum hostem pedibus proculcantes, ei victoriam eripiatis, & per salutiferum ac victoriosum *Nomen* IESV, iugiter in cœlo triumphetis. Amen.



CONCIO XXVI.

REMEDIVM DECIMVM SEPTIMVM, INVOCATIO NOMINIS, GLORIOSISSIMAE VIRGINIS, MARIAE,

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Epheſ. 6.

Et Nomen Virginis MARIA. Luc. 1.

HVmanæ corruptioni agnata eſt, & innata, propemodum conſuetudo iſta, vt ſi quis hoſtem habeat, à quo graui detrimento, ſit affectus, nec aſpectum eius, nec nomen facilè ferat, quin totus cohorreſcat. Eadem Paſsio & qualitas viget in genijs malignis, ſpontanea malitia deprauatis, & ex altiſsimo cœlo, in profundum abyſsi deturbatis. Nam cum à nulla pura creatura, maius præiudicium, neque grauius detrimentum acceperint, quam à DEI Matre, quæ illorum capita contriuit, dicente Deo, ad ſerpentem, in Paradyſo terreſtri: *Ipſa conteret caput tuum:* Ita poſt benedictum *nomen* IESV, nullum eſt aliud nomen, ſub cœlo, quod magis extimeſcant, cuius prolatione vehementius percellantur, & inhorreſcant, quam benedictum *nomen* MARIAE. Experientia namque ſumus edocti, vbi nomen iſtud aſsiduè geritur in corde, profertur ex ore, ſermoni miſcetur, oratione teritur, vbi colitur & inuocatur, ibi omnem Diaboli malitiam, prorſus labefactari, ac penitus diſsipari: Eſt itaque *Nominis* MARIAE inuocatio, non minima contra Diaboli inſidias, armatura, id quod hac concione, ad Auguſtiſsimæ Dei Genitricis gratam memoriam & filij eius gloriam, & noſtram contra omnem ſpiritualem nequitiam, ad omnem neceſsitatem, paratiſsimam tutelam, hiſtorijs potiſsimum, ipſa per filium annuente, ſtatui explicare.

Gen. 3.

I. Virtus nominis Mariæ. 1. E ſcripturis ſacris.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: Hæc armatura Dei, eſt in præſenti, *Nomen Virginis* MARIA, de quo

quo audio prophetatum : *Consurget Virga de Israhel, & percutiet Duces Moab, vastabitque Filios Seth*: Virga quippe & baculus, est hoc nomen, quo Principes tenebrarum, *Duces Moab* percutiuntur, & *Filiorum Seth*, id est eorum qui diabolo sunt addicti, molimina euastantur, & in nihilum rediguntur: *Nam etsi ambulauero, in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, inquit Dauid, loquens cum filio DEI; *Virga* quippe *tua & baculus tuus*, Beatissima Mater tua, sacrumque nomen eius, *ipsa me consolata sunt*. Huius nominis eximiam contra dæmones virtutem, explicans sponsus ait, esse *terribile, vt castrorum aciem ordinatam*. Est hoc nomen, *Turris Dauid cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea. Omnis armatura fortium*, qui contra humani generis hostem viriliter pugnant.

Num. 24.
Psalm. 22.
Can. 6.
Cant. 4.

Magnum & admirabile nomen Virginis; nomen amabile Angelis, inquit S. Epiphanius, *terribile spiritibus malignis, expauescendm, vniuersæ potestati tenebrarum*. Et S. Petrus Chrysologus: MARIAE *Virginis nomen, est renascentibus salutare, crescentibus in bono proficuum, certantibus arma & scutum, victoriam à diabolo & complicibus eius reportantibus, trophæum*. De hoc nomine multa & magna prædicat, eruditissimus Idiota: *Dedit tibi, O Virgo* MARIA, *Sancta Trinitas nomen, vt in nomine tuo, omne genu flectatur, vti manifestò patet, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, huius sanctissimi nominis, gratiam, gloriam, virtutem, & contra spirituales nequitias, potestatem. Non est in vllo alio nomine, post nomen superbenedictum Filij tui, tàm potens adiutorium, tàm fidele præsidium, tàm tuta statio, tàm certa victoria, nec est vllum aliud nomen sub cœlo, datum hominibus, post dulce nomen* IESV, *ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, diaboli iugum extrudit, spirituales nequitias extinguit*. Nec inferiora, iam recensitis, huic Virginis nomini attribuit, S. Bernardus: *O Nomen Virginis magnum & admirabile, ô nomen potens, & laudabile nimis, cuius magnitudinem, is solus nouit, qui est magnus sine fine. O nomen, dignum ab omnibus amari, ac reuereri: per te gratiam acquirimus, gloriam impetramus. Per te, ô* MARIA, *franguntur vincula, soluuntur debita, vincuntur vitia, solidan-*

II. Eiusdem dignitas à S. Patribus declarata.
1. Honor nominis virginalis. Serm. de laudibus virginis.
Serm 142.
Lib. contemplat. de virgine cap. 5.
2. Elogia varia nominis Mariæ.
Serm. 3 super Missus est.
3 Vtilitates nominis Mariæ.

solidantur confracta, recuperantur perdita, renouantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incepta promouentur, infecta perficiuntur, perfecta conseruantur, per te dæmones fugantur, purgatur cor, mens refulget, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, accenditur & inflammatur affectus. O nomen Magnum, & Angelis gratiosum. O nomen omni potestati inimici formidolosum. O nomen, serpenti antiquo infestum, dæmonibus flagellum, quo audito, sicut fumus deficiunt, & sicut fluit cera, à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Maiestatis eius. Et alibi concludit S. Bernardus: MARIAM *sequens non deuias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras, ipsa protegente, non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia, ad portum peruenis, & sic in teipso experiris, quam merito dictum sit, & nomen Virginis* MARIA. Et iterum: *In periculis, in angustijs, in necessitatibus, in rebus dubijs* MARIAM *semper cogita, ipsamque inuoca, non recedat ab ore, non discedat à corde, vt impetres eius orationis suffragium, ne deseras conuersationis exemplum.* Interrogant Angeli de nomine Virginis: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens? Aurora* est *nomen Virginis* MARIAE. *Aurora*, inquit S. Epiphanius, *fugat lupos, terret fures, vt latebras quærant: Hoc nomen horrore concutit dæmones, tremefacit lupos, animarum, & fures infernales. Si subitò apparuerit Aurora,* inquit S. Iob, *arbitrantur vmbram mortis. nec ferre possunt hoc nomen, quo audito, velut fulmine icti, obstupescunt. Nomen* itaque *Virginis* MARIA, singularis, contra dæmonum violentiam, armatura.

4. Eius virtus contra dæmones. Psalm. 67. Ibidem. Ibidem. Cant. 6. Serm de laudibus Virg. Iob. 24.

III. Historiæ de efficacia nominis Mariæ.

Historijs rem nostram isthîc potius, quàm rationibus agamus: Illæ namque vim quandam habent occultam, qua hominum mentibus illapsæ, firmius hærent, quàm alia quæcunque, in medium allata. Nolo hic vulgatum illud, quod de Theophilo, à quamplurimis historicis, & præsertim ab Honorio Augustodunensi, amplissimè descriptum, denuò repetere; Quam citò namque, Virginis nomine, piè inuocato, exauditus, dæmonem expugnârit, & proprij sanguinis Chirographum, recuperârit, omnibus liquet. Huic porrò haud multum dissimile, quod suppeditat Horatius Tursellinus, de adolescente quodam perditissimo, qui plurimarum fæminarum pudicitiam expugnarat, & eò tandem dementiæ progressus erat,

1. Historia Theophili Oeconomi. In Sigillo Mariæ ex Ioanne Patriarcha, in vita Theophili. 2. Simile ex Horatio Tursellino.

erat, vt Chirographo ſuo, ſathanæ fidem obſtrinxerit, ſi eius ope potiri poſſet, cõgreſſu mulieris, quam deperibat. Pœnitudine tamen ſceleris, poſtmodum ductus, Lauretum appulit, ad omnem pœnam ſubeundum paratus, ſi ſpes ſalutis affulgeret. Subijcit author: *Itaque Sacerdos hominem monet, vt per triduum, inedia, cilicio, flagris, corpus affli&et,* MARIAE *Nomen & opem implorans, ſe eodem triduo, rem diuinam, pro ipſius incolumitate facturum. Triduo exacto, Sacerdos optimum ratus eſt, ante abſolutionem, Chirographum à dæmone extorqueri, ne quid omninò iuris, in ipſum haberet. Monet, vt Auguſtiſsimum Virginis* MARIAE *Sacellum ingreſſus, precibus lachrymiſque Deiparæ Virginis* MARIAE *Nomen ac Numen, eo vſque fatigaret, dum Chirographum à diabolo extortum, reciperet. Morem gerit ille, ſuæ ſalutis & ſecuritatis auidus, haud dubia ſpe, id ſe impetrare poſſe. Ergo proſtrato ante Virginem corpore, lachrymans obnixè precatur, vt recepto nefario illo Chirographo, ſaluti ſuæ conſultum velit, ingenti miraculo, compos voti efficitur. Verſiculos illos, ex animo iterabat:* MONSTRA TE ESSE MATREM, SVMAT PER TE PRECES QVI PRO NOBIS NATVS, TVLIT ESSE TVVS. *Talia precatus, ſubitò Chirographum, in manus ſuas delapſum conſpicit. Itaque vix ſibimet ex inopinato gaudio credens, integrato fletu grates Virgini* MARIAE, *opitulatrici, enixius agit. Inde Sacello egreſſus, lætitia exultans, ad Sacerdotem accurrit, receptum Deiparæ, beneficio ſcriptum oſtendit. Id erat tot, tantiſque in Chriſtum, & Deiparam, atque in ipſum, qui ſcripſerat, diris & execrationibus refertum, vt facilè appareret, à ſempiterno, humani generis hoſte, dictatum. Veruntamen tantum vinculum, omni diabolica fraude potentior, vis diuina, diſſoluit. Ita deuotum illud inferis caput,* MARIAE *benignitate, aſſeritur in libertatem filiorum Dei, ne quiſquam omninò, de ſua ſalute deſperet, ne cuiquam in dubium veniat, Dei clementia, quæ vltrò Matrem ſuam, reis Patronam dederit, ad ſalutem.* Hæc Turſellinus, grauiſsimos etiam peccatores, orci faucibus, iam propè abſorptos, MARIAE Nomen, feruenter implorantes, ad ſpem veniæ, & gratiæ inflammans.

Lib. 4. hiſt. Lauretanæ cap. 33.

Redditur ſanguinis Chirographum.

His porrò quæ iam recenſita ſunt, haud exiguum robur addit, quod ex Ferdinando de Caſtillo & Alfonſo Villegas, verbis ſuis dat Martinus Delrio: *Boncela municipium Conimbricenſe*

IV. Alia eiuſdem generis hiſtoria ad longum recenſita.

Ee

1. De Ægidio quodam Lusitano.
Ferdinand. de Castillo 1. p. hist. general. ord. Prędicat. lib. 2. c. 72.
Villegas in Flor. sanct. 3. p. vitæ 173.
Martinus Del Rio lib. 6 c. 2. q. 3. sect. 3.

cense est, ibi nobilibus parentibus, natus quidam Ægidius, hic vix dum adolescens, industria pariter & fauore, tres Canonicatus, & Prioratum vnum, adeptus; omni vitio diffluebat, nō indoctus humaniorum literarum, & Philosophiæ & Medicinæ, cui, quam sibi oportuniorem, ad nequitiam rebatur, totum se dare, & Lutetiam eius addiscendæ causa, cum cogitaret, iter aggressus, humana specie, dæmonem obuium habuit. Malus iste viæ comes, à noto sibi, sed ignotus, paulatim varia quærere, vt audiuit profectionis cōsilium, quin tu, inquit, me potius audis? scientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & vsu præcipua, ad dignitates voluptatesque, ipsius etiam, quam sitis, Medicinæ summa perfectio est; Necromantiam dico. Dixit & persuasit. Adducit Ægidium, & inducit in vastam specum, prope Toletanam Ciuitatem. Ibi occurrére læti, & excepére venientem viri, dæmonesque humana effigie. Itur in specum. Exigitur non secreti tantum, sed & fidei siue homagij, perpetuum Sacramentum: Volens adigitur, & schedula, proprio consignata cruore, promissum confirmat. Septennio illic, tetris artibus, & caliginosa scientia imbuitur. Post Lutetiam profectus, miros breui, inter Hypocratis sectatores, progressus fecit, & Doctoratus lauream est adeptus. Gliscebant enormia magis magisque peccata, ruebat de scelere in scelus, ambiguum erat, fama eruditionis, an nequitiæ infamia maior? Sed à Dei bonitatem; Vi, quem lenitate non poterat, statuit trahere. Ecce tibi Equitem hoplomachum, lanceam vibrantem, & intentantem misero, irato vultu, minaci voce, clamantem: Vitam hanc, moresque desere, & ad frugem reuertere. Subitus Ægidium terror, occupauit: Sed veloci motu, cum terrore, institutum pristinum, displicere desijt. Ad volutabrum luti reuerso, post triduum, idem ille Eques, iam terribilior, non solum minatur, eadem verba repetens, de mutando vitæ instituto, sed lanceam pectori infigit, & vulnus, etsi non graue, imponit. Fractus igitur animo, ille; Dedo, inquit, me; faciam, Domine quidquid iusseris: Saulum diceres in terram deiectum. Statuit exinde seriò, se totum Deo dicare, & quo intus impelli se sentiebat (Vrgente sic opinor, Angelo Custode, qui apparuerat) religiosi alicuius instituto, familiæ, se addicere. Hoc animo Lusitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, vbi tum Monachi Dominicani, monasterium moliebantur, subit cupido cernendi operis. Videt viros, sanctitate & eruditione claros, quosdam etiam viribus & ætate defectos, delicate olim nutritos, calcem subigere, ligna dolare, lapides parare, & onera humeris portare

2. Diabolus viæ comitem se ei adiungit.
3. Ab eo Necromantiam discit.
3. Obligat se Diabolo, proprio sanguine.
4. Angelus custos in forma equitis cataphracti eum ad pœnitentiam agendam impellit.
5. Instar Sauli ad pœnitentiam perurgetur.
6. S. Dominici ordinem ingreditur.

portare, summa alacritate & lætitia, optat se illis adiungere, petit instanter admitti, impetrat. Tirocinio defungitur, magna spe sanctitatis futuræ data. Post aliquot annos, missus Satarenum in Lusitaniam, ibi crescebat oratione & victoria sui. Vnus angebat scrupulus, quod penes dæmonem hæreret, schedula illa obscena & detestabilis. Igitur ardentius Reginæ cœlorum, MARIAE *Matri se commendabat, malique huius remedium aliquod postulabat, non sine lachrymarum imbre, & suspiriorum concentu. Quid neget Misericordiæ Mater, sic postulanti? Die quadam, cum in sacello templi, prolixius oraret, apparuit illi dæmon, formidabili aspectu, deteriore vlulatu, conuitium facit, & præstitam fidem, acceptaque beneficia, petulanter exprobrat. Tandem post multa, minaciter & proterue, impotenterque obiecta. Faxo,* inquit, *huius te Monachismi & violentiæ, quæ me tibi syngrapham hanc, cogit restituere, nunquam satis pœniteat: simul eam abijcit, ad pedes Ægidij, & videri desijt: Ægidius chartulam accipit, & lacerat minutim. Nec vanæ dæmonis minæ fuere: admirandis illum modis, plus septennio, vexauit. Mitto infestationes alias. Assumebat Monachi cuiusdam, qui in eodem degebat monasterio, similitudinem, & nihil non, quod excogitari inter domesticos posset, molestiæ, Ægidio inferebat. Patiebatur hic, sed tandem dolens malitiam illam serpere, & fratrem, vt putabat, illum,* Deum *sic semper offendere, rem defert Priori, & petit alio mitti, caussamque aperit. Accersito fratre, deprehensus calumniator, & insolens ab aliis, solitus ab Ægidio vinci, desijt victori negotium facessere. Viuus tandem clarus miraculis, non virtutibus duntaxat, sed & raptibus in Deum famosus, anno. 1265. mundo denascitur, vt cœlo nasceretur, sepultus Santareni, vt sanctus colitur.* En vobis in Virgine Dei Matre MARIA, & in sacratissimo eius nomine, efficacissimum, contra dæmonis oppressiones subsidium & Asylum. Scribit etiam Ioannes Molinetus, Energumenarum Quercetensium possessores dæmones, qui propter vnam, quæ diu dæmonis succuba fuerat, omnes alias moniales obsederant, horrendissimeque vexabant, inter cætera questos. Sibi à MARIA *Matre* crucifixi, manubias animarum, quotidie plurimas, eripi, nec non ab illo Gygante, *pueri baiulo*, & ab alia *Rotæ*, alia *Turris gestatrice*, *sic enim illos, sacratis,* MARIAE, *Christophori, Catharinæ & Barbaræ nominibus abstinentes, ad Ecclesiasticam picturam allusisse, ad oculum patet.* Isthæc omnia Martinus Delrio ad longum.

7. Per Virginem recuperat sanguinis Chirographum.

8. Plurimãs dæmonis tẽtationes admirabili patientia superat.

9. Querela dæmonum de B. Virgine. In Chronico Belgij anno 1490.

10. Eorundẽ querela de S. Christophoro, S Catharina & S. Barbara.

 Quid

V. Obsessi liberati.

1. Puella Anglicana. Lib. 1. Dialog. c. 16.

Quid prohibet, MARIAM Deiparæ Nominis dignitatem, alia quoque certissima narratione recolere, vt quam efficax eius inuocatio, nunquam non comperta sit, contra Tartarei hostis Tyrannidem, vos, auditores mei intelligatis? Affirmat Thomas Morus, Vir magni nominis, & egregius Christi martyr, tempore schismatis Anglicani, ab Heinrico Octauo excitati, nobilis cuiusdam viri, Rogeri VVuntunorti, filiam non amplius annorum duodecim, à malo dæmone possessam, multisque modis crudelissimè diuexatam: *Erat illa iam mentis inops*, inquit, *deliransque procaciter, & petulanter in Deum, ipsum incurrebat, execrabaturque res quasque, precibus sacratas, & quod mirum est, facilè etiam, nullo iudicante, à non consecratis illas internoscebat. Fiebant hæc, proculdubio, illo efficiente, qui puellam occupabat. Interim verò, tum sua voluntate, tum diuina admonitione, permota est; ad SS.* MARIAE *Ippisuuntchij, & hoc Angliæ Oppidum, accederet. In illo autem itinere, quæ id temporis alibi dicerentur, & fierent, citra mendacium, edicere potuit, multaque rapta in Extasin, vera & sublimia promebat, licet ipsa, eorum rudis esset, & imperita, vt etiam viri Doctissimi, non mediocriter admirarentur, talia ab illa dici posse. Vbi porrò ad locum ventum est, erat ibi Imago, beatissimæ & gloriosissimæ Virginis* MARIAE; *coram ea, dum puella sistitur, aderant perplures, splendidi & nobiles viri, ecce ab illo tetro spiritu, horrendum in modum dilaniatur, facies & oculi, terribilem in speciem, transmutantur, os deformiter admodum distorquetur, oculi in maxillas prominent, vt sine horrore nemo eam posset, intueri. Aderant & aliæ Personæ, in quas permittente Deo, improbus sathan, mirabiliter sæuiebat: Atqui mox omnes illæ, inuocata Deipara Virgine* MARIA, *vno cum puella, de qua sermo est, expulsis dæmonibus, perfectæ sunt redditæ sanitati. Huic tanto spectaculo, aderant parentes puellæ, homines, & ordinis amplissimi, nempe Equestris, & rebus locupletes, aderant & alij permulti, magnæ dignitatis, prudentiæ & experientiæ viri. Aberat verò, omnis fingendi, vel ratio, vel suspicio, tum quod puella esset tenera ætate, tùm quod reiipsius immanitas, & horrenda species, omnem excluderet simulationem. Cernens autem puella se liberatam, licet Pater obluctaretur, mundo huic, illicò nuncium remisit, & in Cœnobio benè instituto, sanctarum Virginum, Religionem professa, Monasticam, & piè & sanctè vixit.*

Huic

Huic non admodum dißimile, quod in hiſtoria Deiparæ Virginis Dettelbacenſis fusè deſcribitur: Obſeſſus à malo genio, liberari non potuit, nec vllis Exorciſmis, ab eo quem diuexabat, profligari, niſi ad ſacram Virginis Deiparæ domum perductus, inuocato Virginis MARIAE *Nomine*, & ope, ab Exorciſta, coniurationes conſuetæ, adhiberentur. Res feliciſsimè ſucceſsit. Fugatus eſt hoſpes ille permoleſtus, hoſpitio libertas, & optata ſanitas reſtituta. Et vt obiter hîc memorem, Exorciſta ille, è Societate erat, *P.Gerardus*, Binius vir ſimplex, rectus & doctus pariter, & ſanctus, Spiritum diſcretione, ac felicitate, dæmones ab obſeſsis eijciendi, percelebris, totus charitatis erga proximos operibus addictus; quod vel inde ſatis apertè liquet, cum in ſæuiſsima peſtis contagione, quæ ciuitatem Herbipolenſem populabatur, à Superioribus expoſitus, interdiu noctuque, licet pedibus podagra confectis, indefeſsis curſitationibus, ægros viſitarit, & non ſolum ſanctiſsima Sacramenta, peſtiferis miniſtrârit, ſed & corporales medicinas, quorum peritus erat, adhibendo, innumerabiles propemodum, adhibitis etiam precibus, priſtinæ ſanitati reſtituerit, longè plures, à lue illa præſeruârit. Eius proinde memoria meritò in benedictione; & erit quamdiu Sancti cum Chriſto Sanctorum Rege, regnabunt in cœlo.

2. Liberatus apud D Virginem Dettelbacenſem. Eucharius Sangius in miraculis Deiparæ Virginis Dettelbacenſis.

Præclara, cœleſtique ſolatio copioſa eſt hiſtoria, quam ad probandam inuocationis, Nominis Virginalis efficaciam, decerpo, ex miraculis Petri Cluniacenſis: *Carthuſianus quidam conuerſus Laicus*, inquit, *humilis genere iuuenis ætate, ſed moribus generoſus, & vitæ ſanctitate prouectus, toto ſtudio obedientiæ, humilitatis mortificationi, omnem, quam poterat, operam, adhibens, mundum, ſibi, ſeque mundo, non ſolum crucifixerat, ſed etiam ſepelierat. Amori diuino, & ſpecialiter, memoriæ Matris Domini, ita totum ſe deuouerat, vt à bonis viris, ipſum, vitamque eius cognoſcentibus, nihil ſcire iudicaretur, niſi Chriſtum* IESVM, *& hunc crucifixum, ſacramque crucifixi Matrem, humanæ ſalutis, ſingularem amatricem* MARIAM. *His ſtudijs, à conuerſionis ſuæ principio, cœptis, magis ac magis inſiſtens, antiqui & communis hoſtis inuidiam contra ſe, concitauit. Iacebat quadam nocte in cellula ſibi deſignata.*

3. Religioſus à dæmonibus præſeruatus inuocatione nominis virginalis. Lib. 2. Mirac. cap. 9.

Dæmonum importunitas.

Et ecce, in multo iam processu noctis, ipsi adhuc vigilanti, & cœlestia meditanti, dæmonum turba, in specie porcorum, agrestium, apparuit. Furebant vbique, per totam cellam, & discursu insano, rictu horrendo, dentibus longissimis, & velut in necem eius exacuatis, pauefactum ac trementem hominem, circumstabant. Sudabat ille præ timore, & quasi iam iamque à bestijs discerpendus, nihil nisi mortem vltimam, præstolabatur. Talia co patiente, adauctus est metus, & quendam enormissimæ magnitudinis, hominem. vt sibi videbatur, dæmonem Principem, cellam, in qua ista fiebant, conspiciebat intrantem, qui statim conuersus ad porcos; quid, ait, segnes facitis? Cur iam hunc nondum rapuistis? cur non discerpsistis? Quod dicis, inquiunt porci, magno conatu facere nisi sumus, sed cuncta tentantes, nihil facere potuimus. Ego, inquit ille, *iam faciam, quod facere non potuistis. Quo dicto vncum ferreum, longis ac recuruis vngulis, terribilem, minaci manu prætendens, atque ad seruum Dei rapiendum, imò & discerpendum, adaptans, eum nimio terrore mente penè excedere coëgit. Sed mox, vbi ille ad Deum conuersus, orauit: Et nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, ac simul etiam,* MARIAE *Virginis succursum implorauit, statim omnipotentis filij Dei Mater, Mater verè, vt dicimus, misericordiæ, in qua ille, sicut dictum est, totam spem suam, post Deum, posuerat, visibiliter adfuit, ac Virga, leui manu protensa. Quomodo, inquit, huc, detestandi, venire ausi fuistis? Non est hic vester, nec iam contra eum in aliquo præualere potestis. dixit, ac dicto velocius, totum illud infandum Collegium, vt fumus euanuit. Perstitit illa, post dæmonum fugam, cum homine adhuc trementе, eumque his verbis consolata est. Placet quod facis, tuique animi deuotionem, Deo, mihique gratam esse, noueris. Fac ergo quod facis, & de his ad meliora proficere stude. his animatum hominem, virgo relinquens, cœlos repetijt.* O insigne præsidium, in Patrocinio virginali.

Beatissimæ Virginis apparitio.

4. Dæmonem sympotam aduocans, ab ipso Virginis nomine inuocato liberatur.

Lib.4 Mir. Deiparæ Virg. Weyerensis.

Nolo hic ad longum ponere, quod prolixè satis descripsi, in Miraculosis beneficijs Deiparæ Virginis VVeyerensis; eius memoriam saltem refricasse sufficiat: Is qui à compotoribus suis desertus, dæmonem, ad secum bibendum inuitârat, ab eo correptus, ac diu multumque, supramodum horrendè exagitatus, nullo potuit remedio liberari, nisi facto voto, Virginis AEdem inuiseret; Eius igitur apud filium interuentu implorato, vexator desijt & abscessit. Magis admirandum, quod

Spren-

Sprengerus, de Muliere Zabernensi refert, cui obstetrix quædam, eò quod ipsam non accersierat, ad puerperium, grauiter irata noctu cum duabus alijs maleficis, ad puerperam accessit, ventrem eius, vt sibi videbatur, manu tangens, & aliquid quasi immittens, *ad quem contactum,* inquit Sprengerus, *puerpera videbatur sibi extrahi intestina, & immitti quædam, quæ tum oculis dignoscere, nequibat. Exinde internorum viscerum tortura, ipsam, tàm dira inuasit, vt nec diebus, nec noctibus à clamoribus, omnes inquietando, abstinere posset. Et quia deuotissima Virgini Matri, misericordiæ extitit, in pane & aqua singulis diebus Sabbathinis ieiunando, ideò per ipsius suffragia, credidit se liberari: Inuocata itaque Virginis ope ac nomine tandem* spinas, ossa, *ligna, festucas & acuum fragmina, similesque quisquilias educit, ac pristinam sanitatem est adepta.*

5. Puerpera *Zabernensis.* In Malleo maleficarum par. 2. q. 1. cap. 13.

Nec possum isthic præterire, singulare propemodum eiusdem beneficium, duobus in hac ciuitate, pijs & honestis coniugibus, non adeò multo ab hinc tempore, cœlitus collatum. Possent equidem nominari, sed quia degunt adhuc in viuis, haud necessarium reor, cum nomina ad rem parum cõducant: historiæ series breuiter est ista: iuuenis ingenuus quidem & probus, verum à facultatibus atque diuitijs parum instructus, iuuenculam, pro conditione sua satis locupletem, viduam, duxerat in vxorem. Hæc illi felicitas ab æmulis inuidetur, indeque diabolicis artibus, insidiæ parantur. Prima nuptiarum die, sentit, se diabolico philtro, esculento nè, an poculento, dubium, corripi: Nam circa lumbos & inguine tenus, intolerabiles puncturas, tribus circiter horis persentiscebat. Redijt malum altero die, ijsdem horis, integroque ferè biennio, cum priuatione, omnis vsus Matrimonij, accessio illa continuauit; & quod grauius, vrinæ loco, cruentatæ, ac purulentæ succedunt egestiones, cum incredibili cruciatu tacet vterque, & patienter ferunt, permissam à Deo, sed à maleuolo quopiam venefico, illatam vexationem. Medico tandem spirituali, rem bonus vir aperit, à quo consilium accipit, vt ieiunijs, orationibus, & Eleemosynis diuinam opem, per interuentum gloriosissimæ Virginis MARIAE, vterque simul implo-


6. Notabile aliud beneficium in vocatione nominis virginalis duobus coniugibus collatum.

implorent, vota insuper concipiunt, ad geminam Virginis AEdem, *VVeierensem* in superiori, *Dettelbacensem* in inferiori Franconia, nudis pedibus inuisendi, & sex decim, inter vtramque milliarium, iter, summa cum deuotione perficiunt. A VVeyerensi porrò, cum domum rediјssent, res mira, postero die, Maritus Philtro affectus, iugenti nausea corripitur, ad vomitum impellitur, inter alia fæda, ranarum, & bufonum, atque rubetarum geniminibus, similia reiectamenta, capillorum, plumarum, pellicularum, & festucarum fasciculos, sine numero, cum cruore ac tabo eructat. Cessat ab ea hora omnis dolor, diabolica ligatura, dissoluitur, Matrimonij vsus restituitur, membrorum languor, quo prius affligebatur, euanescit. Et hodierno die, vigent ac florent, in felici Matrimonio, coniuges illi, acceptumque à Virgine, sanitatis beneficiū, grata mentis promptitudine, recognoscunt.

7. Mala non solum à Personis sed & bonis ac Iumentis dispellit. Lib. 4. Mirac. Deiparæ Virg. Weyerensis.

Quis ergò frustra, Virginis nomen & Patrocinium implorauit? Et tàm quidem illud est, potens, vt maleficia diabolica non solum ab hominibus, sed & à pecoribus eorundem, alijsque bonis dispellat. Cuius rei, cum historias aliquot, in Miraculis Deiparæ VVeyerensis, liceat inuenire, breuitatis caussa, hîc eas placuit præterire.

Hæc omnia & singula, dilecti auditores mei, cordibus vestris imprimite, MARIAM *Virginem*, Dei Matrem, benedictam, feruenter diligite, sacrum eius nomen & memoriam reuerenter recolite, & honorate, ad eius præsidia deuotè confugite; Nec dubitate, quin omnem dæmonum hostilitatem, non solum à corporibus & bonis vestris, sed & animabus præcipuè intentatam, in hora transitus ex hac vita, potissimum, *potentissima calcatrix serpentis infernalis*, sit profligatura. Amen.



CON-

CONCIO. XXVII.

REMEDIVM DECIMVM OCTAVVM, ANGELI CVSTODIS TVTELA.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

SIngularem Dei prouidentiam, sollicitudinem, atque curam, tametsi aliunde colligere non possemus, ex illo tamen incomparabili beneficio, cum contra tot Sathanæ insidias, quibus in omni vita impetimur, sanctorum Angelorum suorum tutela, nos communiuit, euidentisſimè deprehenderetur. Qui vt omnes dæmonum tentationes, à nobis arcere ac dispescere conantur, ne in perniciem forsan, trahamur, & quod animæ salutem periclitemur: Sic etiam corporeas infestationes, quibus nobis insidiantur, & siue in vita, siue bonis, nocere moliuntur, sæpenumero irritas reddere, & cassare consueuerunt. Vnde nemini in dubium venire potest, *Angeli peculiaris tutelam, contra Sathanæ insidias*, præsentisſimam esse *Armaturam*; quod paucis, illo annnente, sine quo nec quidquam boni cogitare valemus, hac concione demonstrare, ac probatum reddere intendo.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Considerans sponsus in cantico, incomparabile beneficium Angelicæ tutelæ, in hæc admirationis verba, erumpit: *En lectulum Salomonis*, animam cuiuslibet hominis Christiani, *sexaginta fortes ambiunt, ex fortißimis Israhel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctißimi, vniuscuiusque ensis, super fæmur suum propter timores nocturnos*, propter malignorum Spirituum, qui sunt *tenebrarum* & æternæ noctis *Principes*, multoties iteratas incursiones, neque enim frustra promisit, vnicuique homini, Optimus Maximus Deus: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui: Obserua & audi vocem eius, & inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus.* Nec frustra Regius vates, attestatur, cum

I. Beneficium Angelicæ tutelæ.

I. Scripturæ sacræ.

Cantic. 3.

Exod. 23.

Psalm. 90. dicit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas, ad lapidem pedem tuum. Cadent à latere tuo mille, & decem millia, à dextris tuis: non timebis à timore nocturno*: non est quod tenebrarum Principes, expauescas. Hanc Angelorum custodiam, contra hostium insidias, circa se præparatam, trepidanti famulo, ostendit Helisæus Propheta, & illa præmuniente, nullum plane ab hostibus detrimentum accepit. Tametsi verò hostis ille, qui humanæ saluti, *vt Leo rapiens & rugiens*, insidiatur, tam sit potens, vt *non sit potestas super terram, quæ comparetur ei*, *immittit* tamen *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*: in quo S. Hieronymus ex Hebræo vertit: *Castra metatur Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos*: Hoc ipsum defensionis Angelicæ, contra Sathanæ molimina, præsidium respiciens Dauid, canebat: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos ignem vrentem* Cur *Spiritus*? Quia ipsi sunt *administratorij Spiritus, missi in ministerium eorum, qui hæreditatem capiunt salutis*, Apostolo teste: Cur *ignem vrentem*? Vt abigant & quodammodo exurant omnem inimici potestatem.

4. Reg. 6.

2. Dæmonum potestas nihil est ad Angelicam potestatem comparata.

Iob. 41.
Psalm. 33.
Psalm. 103.
Hebr. 1.

II. Beneficij huius magnitudo.
Serm. in Psalm. 90.

Excelsum istud & incomparabile beneficium, expendens sanctus Bernardus, inter alia exclamat: *Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis, Angelis suis mandauit de te; quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam, reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia.* Sunt enim, vt sanctus Ioannes Chrysostomus affirmat, *Duces & Capitanei* nostri; Sunt *Præsidiarij & Propugnatores* nostri, sunt *Excubitores* nostri; quorum, contra omnes sathanæ conatus tutela, veluti clypeo, ac scuto, protegimur & communimur. *Induite vos* ergo, ô Christiani, hanc *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

Serm. de diuite Epulone & Lazaro.

III. Angelicæ custodiæ virtus, historijs probata.
1. S. Golanduch.
Euagr. lib. 6. c. 19. Niceph. lib. 18. c. 25.

Sed age historijs rem nostram, paucis adstruamus, vt tantò plus fiduciæ, in Angelico præsidio collocemus: De sancta Golanduch memorant Euagrius, & Nicephorus, eam grauissimè varijs Persicorum Magorum plagis, affectam fuisse, cruciatibusque per diabolum afflictis, emaceratam; Semper tamen, *Angeli ductoris* opera, sine omni medicina, sanatam fuisse. De

se. De Angeli porrò custodis opera, & auxilio, contra dæmonem, etsi non petito, mira denarrat Guilielmus Sarisberiensis hisce verbis: *Dum puer, vt Psalmos addiscerem, Sacerdoti traditus essem, qui fortè specularia Magiam exercebat, contigit, vt me, & paulò grandiusculum puerum, præmissis quibusdam maleficijs, pro pedibus suis sedentem, ad specularia sacrilegium applicaret, vt in vnguibus, sacro nescio oleo, an Chrismate delibutis, vel in exterso, & leuigato corpore peluis, quod quærebat, nostro manifestaretur iudicio. Cum itaque prædictis nominibus, quæ ipso horrore, licet puerulus, essem, dæmonum videbantur, & præmissis adiurationibus, quas an Deo auctore, ignoro, socius meus, se, nescio quas imagines, tenues tamen & nebulosas, videre indicasset, ego quidem ad illud ita cæcus extiti, vt nihil mihi appareret, nisi vnguis & peluis, & cætera, quæ antea noueram. Exinde ergò, ad huiusmodi, inutilis iudicatus sum, & quasi, qui sacrilegia hæc impedirem, ne ad talia amplius accederem, condemnatus. Et quoties rem hanc exercere decreuerant, ego quasi totius diuinationis impedimentum, arcebar: Sic mihi in ea ætate propitiatus est Dominus, vtique per Angelum Custodem meum, qui mihi summum, huius flagitij, horrorem sensibiliter iniecit. Et eò fortius confirmatus est, horror meus, quod cum multos tunc nouerim, talibus deditos artibus, aut defectu naturæ, aut manu hostili beneficio luminis, orbatos vidi, vt cætera incommoda taceam, quibus in conspectu meo à Domino, aut prostrati, aut perturbati sunt, excepto Sacerdote; quem dixi, & Diacono, qui speculariorum videntes plagam, religiosæ vitæ institutum, pœnitentiam acturi, apprehenderunt.* hæc scriptor ille: Ex cuius verbis, duo notatu dignissima occurrunt, *Primum* est, sancti Angeli feruentissimus Zelus, vt clientes suos, ab illicitis hisce artibus, abstrahat, atque diuellat, quod horror indicat, quando rerum eiusmodi magicarum, mentio fieri consueuit. *Alterum*: in hac vita eos, non raro cælitus castigari, qui magiæ studijs incumbunt.

2. Guilielmus Sarisberiensis. Lib. 2. Policrat. c. 11.

Professio Angelicæ tutelę.

3. Sortilegijs dediti à Deo varie puniti.

1.

2.

Quam autem sedulo nobis Angeli, contra malignos Spiritus assistant, historia nos condocefacit, quam verbis hisce Sophronius describit: *Priusquam ad vitam solitariam transissem, narrabat de se ipso Abbas Theodosius: Factus in extasi, aspexi virum quendam, cuius species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam, veni,*

4. Visio mirabilis S. Theodosij quomodo cum dæmonibus adiuuante Angelo pugnandum.

In prato spirituali c. 66. Dæmon in forma Æthiopis Gygantis. *ait, quia pugnare & luctari te conuenit, & induxit me in Theatrum, plenum viris, ex vna parte candido amictis, ex alia verò nigro, vestitis. Cum ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum, miræ magnitudinis, Æthiopem, cuius caput turpissimum, nubes penetrabat. Tunc ait ad me Iuuenis ille, qui me adduxerat: cum hoc luctari te oportet: Ego qui aspectu, proceri illius viri, territus eram, tremere ac pauere cœpi, orabamque Iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione circumdatus, & infirmitatis suæ conscius, cum hoc luctari posset? Non ipsum vniuersum genus hominum, si in vnum confluat, huic resistere præualebit.* Angelus custos adiuat pugnantem cum diabolo. *Ait autem ad me Iuuenis ille præclarus, Angelus vtique meus, prorsus cum illo luctari te opus est, ingredere igitur cum omni fiducia & alacritate, mox enim vt tu illum adorsus fueris, ego adiutor ero, tecum dimicabo, tibique victoriæ coronam reponam. Vt ergo ad certamen sum ingressus, luctarique inuicem cœpimus, continuo spectabilis ille arbiter, nostri certaminis adfuit, mecum pugnauit, hostemque fortiter prostrauit, mihique coronam dedit:* Dæmonum fuga. *Et ecce illico plebs illa obscura, Æthiopumque multitudo ingens, eiulantes, euanuerunt: Pars verò reliqua, candidatorum, gratias illi & laudes referebant, qui me iuuerat, ac tam præclara victoria bearat.* Ista Sophronius.

5. Documenta ex hac præclarissima historia. Informat nos hæc perillustris visio, quam diu in huius vitæ militia degimus, cum diabolo semper esse pugnandum, 1. quod suo quoque testimonio Apostolus confirmat: *Datus est mihi*, inquit, *stimulus carnis meæ, Angelus sathanæ, vt me colaphizet:* 2. Corinth. 12. Et Tertullianus interrogat: *Cui non hominum, adhæsit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua natiuitatis aucupabundus?* Lib. aduersus Praxeam. E contra verò, 2. vt Origenes affirmat: *Sancti Angeli videntes, nos insectationem dæmonum pati, insurgunt aduersus eos, qui nos infestant, & omnes eos, post terga cedentes, interimunt.* Hom. 8. in c. 8. Iosue. Non decet te, proinde, ô Christiane, si subinde à diabolo affligeris, animo consternari: Nam *Angelum Custodem* habes, qui tibi assistit, tecum pugnat, qui te in quibuscunque tribulationibus, vberrimè consolatur.

6. Iacobus Ord. S. Dominici Angelicum præsidium quomodo expertus? Clarissimum huius rei exemplum narratur de S. Iacobo Germano, Ordinis S. Dominici, quem secundum relationem Surij, diabolus quidam, à maleficis, forsan ex inuidia immissus, vt perpetuo vexabat, ita verberibus etiam onerare solebat,

bat, quoties orationis exercitium frequentaret: Sed cum omnium maximè à dæmone diuexaretur, *Angelus Domini* de cœlo semper præsto erat, qui eum suauissima consolatione perfundebat, atque ad perseuerantiam hortabatur, istius modi verbis: *Serue Dei, esto fidelis vsque ad mortem, expecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum; ingentia sunt enim, quæ tibi pro paruo labore atque certamine, præmia proponuntur.* Sic Angelus Custos, pulso vexatore sathana, clientem sibi creditum recreabat: Sic ad pugnandum viriliter animabat.

Sur. Tom. 5. 11. Octob.

Angeli custodis exhortatio.

Nemo, quantumuis sanctus, quantumuis iustus, & Deo gratus, ab hoc immanissimo hoste, est securus: Qui *Iob* Sanctissimo Dei seruo, non pepercit, nulli sanè alteri parcet. Nulli pietate, vitæque sanctimonia inferior erat, *S. Antonius* ille magnus, sed quantas dæmonum oppugnationes perpessus est? quoties magorum incantationibus petitus est? Sed *Angelus Domini*, semper in omni certamine, non rarò etiam visibiliter, eum protexit, & dæmones coërcuit, ne nocumentum quodpiam ei possent consciscere. In hac ipsa, erga Angelorum assistentiam, fiducia, nos haud immeritò confirmare potuit, insignis historia, quam è sanctorum Patrum, rebus gestis, in hæc verba producit Hieronymus Platus: *Beatus Moyses Abbas, à malignis spiritibus, vehementissimè impugnabatur, vt non solum fornicationis tentationes, eius cordi inijcerent, sed & verberibus, alijsque mille incommodis, exterius molestarent. Contulit se itaque ad S. Abbatem Isidorum, ac violentiam insultus huius acerrimi, magna cum animi mæstitudine enarrauit; cumque è scripturis sanctis eum consolaretur, & vt ad Cellam suam, rediret, pluribus hortaretur, id vt faceret, non potuit adduci. Tunc illum Abbas Isidorus, ad suæ mansiunculæ superiora perduxit, eique dixit: respice ad occidentem, & vide; vidit autem, versus illam mundi plagam, innumerabilem dæmonum multitudinem, vehementi furore ad arma concurrere, & homines infestare, atque in conflictum turmatim ruere: rursum dixit ei Abbas Isidorus: respice ad Orientem: cumque eam in partem; oculos attentius coniecisset, vidit innumerabilem prorsus sanctorum Angelorū frequentiam, splendentesque super lumen solis, cœlestium virtutum instructas acies, hostium, qui ab Occidente pugnabant, iacula omnia & missilia retor-*

IV. Diabolus etiam sanctos infestat.

1. S Antonius. S. Athanasius in vita.

2. S. Moyses Abbas. E vitis Patrū. Lib. 3. de bono, status Religiosi.

Visio mirabilis Abbatis Moysis.

retorquentes, eorumque cuneos dißipantes. Ait tunc ei Abbas Isidorus: Ecce quos in Occidente vidisti, illi ipsi sunt dæmones, qui etiam Dei sanctos impugnant. Quos verò versus Orientem conspexisti, sunt Angeli sancti, quos in adiutorium seruis suis, mittit Dominus exercituum Deus. Agnosce igitur, quod plures nobiscum sint Angeli, quam contra nos dæmones. Confortare in Domino, cuius Angeli te protegunt, & contra hostes Infernales defendunt. Rediјt ergò Moyses in cellam suam Angelicoque fultus præsidio, omnem tenebrarum potestatem, animosè contempsit.

3. Ad Angelica præsidia quando præcipuè confugiendum.

Quoties igitur; dilectißimi mei, diabolus, aut per semetipsum, aut per complices suos *Maleficos aut sagas*, vos adoritur, & nocumenta vobis inferre contendit, ad sanctorum Angelorum subsidia, illicò percurrite, illorum opem implorate. Sentietis re ipsa, eos vobis, omni momento præsentes, adesse, hostium impetus auertere, fraudes discutere, perniciem, quam moliuntur, totis viribus impedire: Nam sicut cum Gainas Tyrannus, tertiò, numerosum misit exercitum, qui S. Ioannis Chrysostomi Domum, & Arcadij Imperatoris Palatium, noctu occupatum, concremarent, & vt historia tripartita, cum Socrate loquitur, *tertiò Angelorum ingens turba apparuit, armatorum eximia corpora habentium, qui hostes ita percellebant, vt fugerent, quod tertia nocte, idem Gaianas, ita se habere, coram vidit, & expertus est*: Sic Angeli sancti, & præsertim tutelares nostri, sine intermißione aduigilant, nobisque aßistunt, vt sathanam, cum omni exercitu suo, ne nobis officiat, ne in corpore vel anima lædat, cohibeant atque diuertant.

Hist. tripart. lib. 10. c. 6. Socrates. lib. 6. cap. 5.

Induite vos igitur hanc *armaturam* DEI, *vt poßitis stare, aduersus insidias diaboli*: conciliate vobis *Sanctorum Angelorum* amicitiam, eorum beneuolentiam comparate, & vos eorundem Patrocinio in omni opere vestro feruentißimè commendate, vt si quando *vos apprehendat, callidus tentator*, illicò ad arma prosiliant, vestram, in se, tutelam recipiant, vobiscum, contra terribilem illum aduersarium, alacriter pugnent, vobisque victoriam reportent, & ad æterna illa, victoribus parata Triumphatoribus, domicilia, cum gaudio perducant, Amen.

CON-

CONCIO. XXVIII.

REMEDIVM DECIMVM NONVM: SANCTORVM LIPSANA, ET RELIQVIAE.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

INeffabili prorsus amore, Dominus Deus, fideles seruos suos, haud dubiè prosequitur, dū emenso mortalis huius vitæ curriculo, non solum animas ipsorum, in cœlesti Regno exaltat, verum etiam, corpora & cineres, in quos corpora terræ mandata, resoluuntur, ipsorumque ossa, multis admirandisque prodigijs cohonestat. De animabus quidem ait sapiens: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Fulgent, & tanquam scintillæ in arundineto discurrunt, iudicant nationes, & dominantur populis. Reddit Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* De corporum reliquijs: *Custodit Dominus omnia ossa illorum, vnum ex his non conteretur,* quod in die Iudicij, non sit denuo viuificandum. Et quod longè enucleatius, eorum dignitatem adauget, eadem ossa, non solum virtute contactu suo, morbos pellendi, sed & dæmonum furias, & exagitationes dispescendi, donat, magnificeque commendat. Cum igitur nos, hic occasio inuitet, de hac ipsa Reliquiarum energia, aliquid differendi, historico iterum stylo, pro instituto nostro, procedemus. *Induite vos Armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

Sap. 3.

Psalm. 33.

Dauidicum inprimis, se hic offert Elogium: *Nimis honorati sunt, amici tui Deus, nimus confortatus est Principatus eorum;* quod vt in Ecclesia triumphante, in cœlis, reipsa, perenniter adimpletur: Ita & in eorum Reliquijs, in Ecclesia militante, hodierno etiamnum die, spectatissimè comprobatur: Verè *confortatus est Principatus eorum*, contra malignos dæmones: Nam sicut Principes terreni, fures & latrones, non solum terrent, sed & castigant, & à suis ditionibus exterminant: Sic Sancti cum Chri-

I Reliquiæ sanctorum fugant dæmones, & eorum phantasmata dissoluunt.

Psalm. 138.

1. Sanctorum Principatus in quo consistat. Simile.

Christo, in Ecclesia triumphanti regnantes, dæmonum rabiem, ac furorem sistunt, eosque à corporibus, quæ diu possedêre, mirabili virtute expellunt. Approbo Encomium sancti Ioannis Damasceni, quo sanctorum Reliquias olim condecorauit: *Sunt equidem sanctorum Reliquiæ, salutiferi fontes, ex quibus plurima ad nos beneficia, promanant, & suauissimum profluit vnguentum; sunt arma & munimenta, contra aëreas potestates, & malitiam Principis tenebrarum.* Fremant, vt lubet, Vigilantiani nostri: *Lutherani & Caluinistæ*, quos in eorum Principe Vigilantio, iampridem sanctus Hieroymus iugulauit: Nos credimus, & quotidie experimur, *Sanctorum ossa sacra*, non sine summa sua vtilitate, à Christianis honorari. Quid testimonijs opus? Damnauit, contrarium sentientes, *S. Gregorius Nazianzenus*; damnauit *S. Ioannes Chrysostomus*; Damnauit *S. Ambrosius*; Damnant *Ecclesiastici Annales*; Damnant omnia *gesta Sanctorum*; Damnat quæ errare non potest, in fidei rebus, *Ecclesia Catholica*, & sanctorum Reliquias venerandas esse confirmat.

2. Reliquiæ fontes beneficiorum cœlestium.
Lib. 4 Fidei Orthod. c. 1.
Contra Vigilantium.
Orat. in S. Cyprianum.
Chrysost. orat. contra gentiles.
Ambr. Serm. 77.

Atque vt more nostro, ad historias recurramus, *Clauus Dominicæ crucis*, contra diaboli præstigias, mirabilem vim exhibuit, ac declarauit, experto, & attestante Iustino Imperatore, vt scribit Gregorius Turonensis, in hæc verba: *Speciosi, omnique metallo nobiliores, Dominicæ crucis claui qui beata membra tenuerunt Saluatoris, ab Helena Regina, post ipsius sanctæ Crucis inuentionem reperti sunt, & de duobus quidem, Frænum Imperatoris muniuit, quo facilius, si aduersæ gentes restitissent, Principi, hac virtute fugarentur. Magnam autem asserunt virtutem esse, huius Fræni, quod ambigi nequaquam potest; Id quidem Iustinus Imperator publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam Mago, propter pecuniam, immissas sibi à dæmonum vmbris, intolerabiles, per duarum noctium curricula, sustinuit insidias. Sed cum tertia nocte, Frænum illud capiti supposuisset, locum insidiandi inimicus vltra non habuit, repertumque authorem, insidiarum, gladio percuti iussit.* Ecce virtutem Dominici claui in præstigijs ac laruis dæmonum abolendis; quam eandem vim, fragmen illud Dominici claui qui in cono galeæ Imperatoris Constantini stetisse dicitur, & ex dono sancti Henrici, in Ecclesia Cathedra-

3. Clauus Dominicæ crucis dissipat dæmonum phãtasmata.
Lib. de gloria SS. Martyrũ cap. 6.

thedrali Bambergensi religiosè asseruatur, obtinere nemini in mentem veniat dubitare.

Quantum porro virtutis, iam olim cathenæ & vincula S. Petri Apostoli, ab Eudoxia Imperatrice Theodosij Coniuge, Romam transmissa, iam olim habuerint, Ecclesia Romana testatur his verbis: *Hæc vincula tacta, ægros sanabant, & dæmones eÿciebant; quo in genere, Anno salutis humanæ, nongentesimo, sexagesimo nono, contigit, vt quidam Comes, Ottonis Imperatoris familiaris, occupatus, ab immundo spiritu, seipsum dentibus laniaret. Quare is, iussu Imperatoris, ad Ioannem Pontificem ducitur, qui vt sacra cathena comitis collum attigit, erumpens nefarius spiritus, hominem liberum reliquit.* Author est sanctus Gregorius Turonensis, pucrum quendam ægrum, cum Mago sanandus, traditus esset, per incantationes & ligaturas, potius morti, quàm vitæ mancipatum: Alium verò eadem lue laborantem, pulueribus è sancti Martini sepulchro sumptis, sanitati restitutum. Thomas Fazeilus narrat, quotannis ad Diui *Philippi Apostoli*, sepulchrum, in Sicilia, plurimos Energumenos liberari. Idem fit quotidie apud, Gelam in Brabantia ad *S. Dympnæ ossa*, & Rothnaci in Flandria, ad Reliquias *S. Hermetis*. Eandem virtutem attribuit Rupertus Tuitiensis Abbas, *Sancti Heriberti Archiepiscopi* Coloniensis, sepulchro. Idem attribuit Reliquijs *sancti Richarij*, Albinus Flaccus, ac demum *S. Ludgero* Monasteriensi Episcopo Monachi VVerdenses, qui eius vitam, scriptis consignatam, posteritati reliquerunt.

II Aliarum Reliquiarum virtus.
1. Cathenæ S. Petri.
In offic. S. Petri ad vincula. Cal. Aug.
2 Pulueres è sepulchro S. Martini.
Lib. 2. de gloria mart. c. 45.
3. Sepulchrū Apost. Philippi & Iacobi.
Lib. 10. de rebus Siculis cap. 2.
4. In Flandria apud S. Dympriam.
5. Apud S. Heribertum.
Rupert. in eius vita.
Cap. VII.
6 S. Richarius
In vita S. Richarij.
7. S Ludgerus
Lib. 3. vitæ S. Ludgeri.
8. Reliquiarū præsentiam non ferunt dæmones.
In vita SS. Cyri & Ioannis.

Sacrarum porrò Reliquiarum præsentiam, dæmones non tolerare, id argumento potest esse, quod Simeon Metaphrastes recitat hisce verbis: *Vicus quidam à Canopo ciuitate, duorum stadiorum spacio distans, quem Manuthe nominabant, erat malignorum spirituum insidÿs infestus omnibus, quem Theophilus Præsul Alexandrinus, sæpenumero ab ea peste liberare voluerat, sed morte tandem præuentus, quod tota mente meditabatur, ad exitum perducere non potuit. Huic Cyrillus successit, qui cum pari diligentia in eam rem incumberet, & vota & preces, ardenti studio nuncuparet, vt viam modumque ostenderet, quo malignorum hostium cateruam, ex eo loco profligare posset, Angelus Domini ei* in vi-

in visione apparens, mandauit, vt sacra, Martyrum, Cyri & Ioannis corpora, vnà cum sanctißimi Marci Euangelistæ Reliquijs, in eum locum transferrent, quorum præsentia, dæmones continuò in fugam verterentur. Hac itaque occasione, sacræ Martyrum Reliquiæ, translatæ sunt, quarum aduentu maligni spiritus, in fugam versi sunt, & locus omnipotenti Deo, cum maximo, totius populi, gaudio, est consecratus.

9. Moderna experientia.

Vt veteres historias magno numero, si opus foret, longissimaque serie recensendas, maiori ex parte prætereeam, quotidiana etiam experientia nos edocet, vbicunque loca & habitationes, dæmonum præstigijs infestantur, quamprimum *Sanctorum Reliquiæ* importantur, dæmonum terriculamenta cessare, res mihi non semel sed sæpius est explorata.

III. Obsessi liberantur. 1 Reliquiæ S. Geruasij & Prothasij. Lib. 22 de ciuitate Dei c. 8.

Audiamus porrò è sancto Augustino, quid possint aut valeant Sanctorum Reliquiæ, in malignis spiritibus, homines obsidentibus, exigendis ac propulsandis. *Victoriana villa dicitur,* inquit, *quæ ab Hippone Regio, minus triginta milliaribus abest. Memoria Martyrum ibi est Mediolanensium, Geruasij & Prothasij. Portatus est die quadam eò, adolescens, qui cum de medio æstatis, equum ablueret, in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cum iaceret, vel morti proximus, vel similis mortuo, ad vespertinos illuc hymnos & orationes, cum ancillis suis, & quibusdam sanctimonialibus, ex more Domina possessionis intrauit, atque hymnos cantare cœperunt, qua voce ille quasi percussus & excussus est, & cum terribili fremitu, Altare apprehensum, mouere non audens, siue non valens, tanquam in eo fuerit alligatus, aut fixus tenebat, & cum grandi eiulatu, parci sibi rogans, confitebatur, vbi adolescentem, & quando, & quomodo inuaserit. Postremo se exiturum denuncians, membra eius singula denominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur, atque inter hæc verba discessit ab homine. Sed oculus eius in maxillam fusus, tenui venula, ab interiori quasi radice, pendebat, totumque eius medium, quod nigellum fuerat, albicabat. Quo viso, qui aderant, accurrerant autem etiam alij, vocibus eius acciti, & se omnes in orationem pro illo statuerunt, quamuis eum sana mente vigere, gauderent, rursus tamen propter oculum contristati, medicum esse quærendum, dicebant. Ibi maritus sororis eius, qui eum illo detulerat. Potens est,* inquit, *Deus, Sanctorum orationibus, ad quorum hic reliquias supplicamus, vt fugauit dæmonem, ita lu-*

Oculi à dæmone excussi mira sanatio.

men ei reddere. Tunc sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem, loco suo reuocatum, ligauit Orario, nec nisi post septem dies, putauit esse soluendum, quod cum fecisset, sanissimum inuenit. hæc S. Augustinus, pluribus indicans, quam efficaces, quam potentes sint, *sanctorum Reliquiæ*, in eliminandis malis genijs, ex hominum corporibus, quos occuparant. Consimili medio, Terentiani filius, & ipse à dæmone oppressus, quamprimum ad sanctorum Martyrum *Ioannis & Pauli*, reliquias fuit adductus, ab importuno illo hospite, sine mora est liberatus, quo miraculo permoti, ipse & Patrinus, in Christum crediderunt. Scientes ergo exorcistæ, quanta vi polleant sanctorum Reliquiæ, & rectè, & vtiliter, adhibent reliquiarias thecas, eorum ossibus repletas: Nam res ipsa loquitur, earum vsu & applicatione, dæmonum vires, mirifice infringi, maioremque in modum exhauriri.

2. Filius Terentiani. Terentianus in vita sanctorum Ioannis & Pauli.

Nec ossa solum, sed & alia *eorum lipsana*, illam obtinent virtutem. Id probo celebri historia, quam Petrus Rauzanus, Panormitanus commemorat hisce verbis, dum S. Vincentij Ferrarij vitam describit: *Frater quidam Dominicani instituti, Guilielmus Portas, cum in Maiorica Insula, B. Vincentius esset, pilos quosdam rasæ barbæ illius, ex deuotione, multo tempore asseruauit. Is vt audiuit, feminam quandam, à dæmone occupatam, quæ multa etiam secreta indicaret, pilos illos panno inuolutos, eius collo alligauit. Tum verò malus dæmon, acrius cepit vexare feminam, interrogatus, cur esset solito atrocior? respondit: se vim magnam sentire, capillorum Fratris Vincentij Ferrarij, & tandem à fæmina abscessit, ea planè exanimi relicta. Multi alij, solo vestium sancti viri contactu, à diuersis, & quidem exitialibus dæmonum exagitationibus erepti fuere.* huc vsque scriptor, vitæ S. Vincentij. Et ego memini, cum paucos ante annos, quando Societatis IESV Patres, in Collegio Bambergensi, quatuor illos pueros, homagio proprij sanguinis, diabolo addictos, qui iam de imanissimo illo scelere, pœnitebant, exorcismis à diaboli potestate, penitus eripere statuerant, omnes & singulos, horrendissimis dæmonum spectris, interdiu noctuque agitatos. Quamprimum autem S. *Patris Ignatij Loiolæ* Reliquiæ, quæ in Collegio Societatis asseruantur, illis applicabantur, dæmones minitabundi

IV. Non solū ossa, sed & alia Lipsana. virtute ista præpollent. 1. Capilli S. Vincentij. Pet Rauzanus in vita S. Vincentij Ferrarij lib. 4. in fine, apud Surium. Tō. 2. 5. Aprilis. 2. Eius vestes.

3. Reliquiæ S. Patris Ignatij

bundi euanuere, nec quicquam amplius terroris, vt antea, incussere: Atque adeo cineres, & ossa sanctorum, in cœlis cum Christo regnantium, nos contra dæmonum insidias, potentissime defensant. *Induite* ergo *vos* hanc *armaturam Dei*, sanctorum reliquias honorate, in summa existimatione reponite, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli*, hostis adeo infesti, & exacerbati.

V. Reliquiarum applicationi non admiscendæ superstitiones. 1. S. Glyceria Martyr. Niceph. lib. 18. cap. 12.

Velim tamen, & moneo seuerè, ne, dum *Reliquiæ sacræ*, à dæmonio vexatis, applicantur, superstitiosa simul etiam amuleta, cæremoniæque admisceantur; sic enim Reliquiarum virtus, facilè impedietur. Testata id fuit, S. Glyceria Martyr, ex cuius exuuijs corporeis, suauissimum, & morbis omnibus saluberrimum, fluere solebat vnguentum. Quodam verò die, cum Episcopus Perinthi, nescienter emisset vasculum, quod magicis ministerijs, impensum fuerat, sacri desijt fluor vnguẽti: *Qua re noua*, vt scribit Nicephorus, *perculsus Antistes, ad preces confugit, diuinoque impulsus spiritu, vas nouum amouit, & antiquum reposuit, ac protinus vnguentum, sicut prius scaturire cœpit. Quo circa rem diligentius inquirens, comperit, vas illud, nefandis sacrificijs seruijsse, quod simulatque ad aures Imperatoris peruenit, habita quæstione, tanti criminis, reum, vti par erat, supplicio affici iussit.* Nil igitur *Christo cum Belial*, nil sanctorum Lipsanis, nec spiritus sancti Organis, cum dæmonum inuentis.

2. Vnguentũ fluens ex ossibus S. Glyceriæ.

3. Sanctorum corpora Bambergæ asseruata.

O quanti momenti, quam incomparabilis precij, sunt sacra sanctorum, cum Christo regnantium, ossa quæ apud nos, in hac ciuitate requiescunt: Corpora sanctorum coniugum, *Henrici & Cunegundis*, corpus *S. Ottonis*, corpus *S. Nonnosi*, à S Gregorio Magno, celebrati, & tandem multa sanctorum Martyrum, *Sotheris & Cai, S. Hermetis, SS. Dulcissimi & Charissimi, S. Theodori*, & *S. Bricctij* Episcopi & Confessoris, &c. quæ, si tanto apud nos essent, in cultu, & veneratione, quantum ipsorum sanctitas meretur, ipsorum intercessionibus, vtique ineffabilia tàm huius, quam alterius vitæ beneficia, consecuturi essemus. Amen.

CON-

CONCIO XXIX.

REMEDIVM VIGESIMVM, CONTRA DAEMONEM, ET OMNES EIVS PRAESTIGIAS, VSVS SIGNI SANCTAE CRVCIS.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Epheſ. 6.

QVemadmodum clypeis & ſcutis, olim ſagittæ & hoſtium tela, eminus excepta, irrito ictu excutiebantur; ſic etiam, primæuæ Eccleſiæ Chriſtiani, ſaluificæ crucis ſignaculum, veluti, ſingulare munimentum, omnibus diaboli machinamentis, audacter obijciebant, & ignea eius tela, & iacula, efficaciter extinguebant. Continuauit hic vſus, in Eccleſia DEI, ad hæc noſtra etiamnum tempora, perdurans, ac dæmones, crucis impreſsione effugari mirificeque percelli, ac proſterni, euidentiſsimo comprobans experimento. Nos de hoc vigeſimo remedio quinque potiſsimum iſthic pro inſtituto noſtro explicanda deſumpſimus: *Primum*, ſpectris dæmonum, & eorundem infeſtationibus, *crucis ſignum*, ſemper & in omni loco obijciendum; *Deinde* dæmones, crucis efformatione, non ſolum terreri, verum etiam profligari: *Tertiò*, crucis ſigno, dæmones ab obſeſsis corporibus exterminari: *Quartò*, crucis ſignum, contra dæmones etiam illis prodeſſe, qui in Chriſtum non credunt; ac denique coronidis loco ſupperaddemus contra faſcinationes veneficarum crucis expreſsionē, iugiter adhibendam. Prima duo capita præſenti, reliqua tria ſequenti ſermone, fauente Numine, abſoluemus. Is noſtro labori cooperari dignetur, qui crucis claue, omnis gratiæ fontem nobis reſerauit. *Induite vos armaturam Dei, vt poßitis, ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

Magnum præſidium, in omni diabolica, infeſtatione, nobis repoſitum eſt, in cruce Saluatoris; *Nec ipſe diabolus te lædere poterit*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *cum crucis armis, te cernens apparentem*: Et Coſmas Hieroſolymitanus, *ſubterraneorum poteſta-*

I. Spectris dæmonum & eorundem moleſtationibus ſignum crucis omni

tempore obijciendum.
1. Id suadent S. Patres.
Hom 21 ad Pop Antioch
Hymno in exaltat S. Crucis.
Lib 2. de symb. ad Catechum. c. 1.
Nat. 9 S. Felicis.

potestates, inimicæ crucis, horrent signatum signum, in aëre, in quo versantur. Sanctus itidem Augustinus, Catechumenos suos, ijsdem armis contra dæmonum insultus, instruit & armat: *Si quando*, inquit, *voluerit aduersarius diabolus, denuò insidiari, nouerit redemptus, cum Symboli Sacramento, & crucis vexillo, ei debere occurri, vt talibus armis indutus, facilè vincat Christianus, de cuius oppressione, malè ante triumphauerat, nequissimus, diabolus.* Huc pertinent, versus illi S. Paulini:

Nos Crucis inuictæ signum, & confessio munit;
Armatique Deo, mentem, non quærimus arma,
Corporis. Et quanquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena,
Contra incorporeos, animis decernimus hostes.

2. Consilium S. Antonij.
In vita S. Antonij.

Quamobrem sanctus Augustinus, teste sancto Athanasio, Monachos suos monere solebat, vt crucis armatura, diabolo obuiam irent. *Solent*, inquit, *noctu venientes dæmones, Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri. Quos cum videritis, tàm vos, quàm domos vestras, crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator, aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui.* Hinc etiam sanctissimi quique viri, visis quibuscunque dæmonum spectris, ad crucis signum confugiebant, quibus crucifixus in primis cordi erat: *Viso Hippocentauro*, inquit sanctus Hieronymus de sancto Antonio, *salutaris impressione signi, frontem armat. Et cum eidem occurrit Faunus seu Satyrus, scutum fidei, & loricam spei, vt bonus præliator arripuit.* Rectè ergo sanctus Ephræm, *crucem fronti impressam, tenentes, spectaculum diabolo, tremendum habebitis.* Hinc quotiescunque à dæmone vel palàm, vel clam infestabantur, clypeum crucis obijciebant, vt sanctus Hilarion, de quo beatus Hieronymus: *Cum dæmonum intelligeret ludibria, prouolutis genibus; Christi crucem signauit, in fronte, taliq; armatus casside, & lorica fidei circumdatus, factus fortior præliabatur.* Hæc S. Hieronymus.

3. Idipsum practicarunt S. Antonius & S Hilarion.
In vita S. Pauli Eremitæ.
Parænes. ad Relig.
In vita S. Hilarionis.

4. S. Item Abramius.
In vita S. Abramij.

Insigni porrò contemptu, fugauit sanctus Ambrosius dæmonem, signo crucis, fretus, teste sancto Ephræm qui eius de victoria sic scribit: *Exiliens cacodæmon, ad aliam mox illusionem, se con-*

se conuertit. Et ecce quasi candelabrum coram eo statuens, ardentemque semper candelam, imponens, magna voce psallere incipit, &c. Nihil vir beatus ipsi respondit, donec cibum solitum sumpsisset. Qui vbi iam comedit, atque à mensa surrexit, signo se crucis muniens, ait ad ipsum: Canis immunde & ter miserande insulsissime & timidissime, &c. Qua exprobratione, dæmon confusus, disparuit & abscessit, non facilè postea rediturus Sic Landulphus Viennensis & Secundellus Diaconus, eodem crucis signo, varias dæmonum illusiones, abegit.

5. S. Landulphus Episcopus S. Gregorius Turonensis. Lib. 2 de Miraculis S. Martini.

Sic denique sanctus Michael Archangelus quemadmodum ex Reuelatione, Eliæ Monachi, referunt Syluester Prieras, Ludouicus Granatensis, & Bredenbachius, vt dæmonum phantasticas illusiones ac terriculamenta, à sancta Maria Magdalena, propulsaret, crucem in ore speluncæ, in qua degebat, erexit. Rei series hisce verbis à prædictis scriptoribus recensetur: *Cum beata Maria Magdalena, ante limpidissimum fontem genu flexo, Christo Domino gratias ageret, ecce plusquam mille spiritus, vidit in spelunca dextera, stetisse, verba suauissimi amoris, Hebraica lingua, decantantes. Cum igitur postremò subintulissent, non expedire animæ, tàm assiduam orationum frequentiam, dæmones esse intelligens,* IESVM *territa acclamauit: Repentè cum suis militibus, Angelus Michaël adfuit, dicens: Adsum: Magdalena, ne timeas; Denique malignis spiritibus congressus, eos omnes in fugam compulit, ita clamantes: Non eris tamen ideo beata, tu, quæ orationibus vacas in antro. Crucem igitur in ore speluncæ, Angelus erexit, dicens: Caue, ne extimescas in posterum; custos tui, est altissimus. Igitur ante crucem, eo disparente, cum iacuisset, timore nimio exsiccatis visceribus, orationi instare, attenta non praualens, collectas duas radices, in ipso ore speluncæ, & lotas comedens, aquam de fonte bibit, post quam humanum aliquid non gustauit. Crucem deinde complexa, ea die, ac nocte consequenti orans, orto sole, oculos ad crucem ipsam leuauit, coloris, vt videbatur, crystallini, & radijs fulgentibus, coruscam. Cumque in se vehementissimi amoris flammam persensisset, ecce tàm læta & iubilans, Angelorum turba adfuit, vt æternam vitam, in illo antro, credidisses. Atque ante crucem stanti, ait Angelus: Quanto tempore tuus ac noster amor* IESVS, *in terris propter te vixit, tanto tu quoque in hac spelunca, moraberis. Stetit igitur eo disparente, ad crucem orans, & Christum salutem suam,*

6. Cruce S. Maria Magdalena à dæmonum spectris defenditur. Lud Gran. conc. 1. de S. Maria Magdalena Bredenb collat. Sac. lib. 4. c. 2.

suam, comtemplabatur. Omni autem euoluto die, Angelôrum adfuere militiæ, & eam tàm sublimem in aëra sustulerunt, vt cœlestes audierit resonare melodias. Quod abinde, citra septies, semper intra diem ac noctem, fecerunt.

II. Crucis signum dæmones maiorem in modum exhorrescunt & fugantur.

1. Assertio SS. Patrum. Lib. de incarnat. verbi.

Dæmones autem supra modum exhorrescere, & cum omnibus artibus ac moliminibus, suis exterminari, à S. Patribus luculentissimè asseritur & comprobatur: *Signo crucis*, inquit S. Athanasius, *omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola vniuersa, deserta relinquuntur. Et infra: Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis, vaticiniorum, & in miraculis Magiæ, vtatur signo crucis, ab ipsis derisus nomen Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei, metu, dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia irrita iaceant.* Dæmones cruce terreri, & profligari, testatur in primis S. Chrysostomus: *Si* inquit, *ingenti horrore concutimur, cum solummodò videmus, loca, in quibus capite damnati, pœnas persoluunt, quid passurum putas diabolum, cum hastam viderit, qua lethale vulnus accepit?* Et S. Ephræm: *Hoc signo*, inquit, *conspecto, aduersariæ potestates conterritæ, trementesque recedunt.* Et rursum: *Cernens, diabolus signum gratiæ tuæ, deterritus fugit, confususque recedit ab ipsis* Et S. Cyrillus monet; vt hoc signum ostentemus audacter; *Quando enim dæmones*, inquit, *crucem viderint, recordantur crucifixi.* Et Origenes: *Immortale vexillum portemus, in frontibus nostris, quod cum dæmones viderint, contremiscent; qui aurata Capitolia non timent, crucem timent.*

Hom. 55. in Matth.

Lib. de pœnit.

In Ascetico de vita Relig. Deum alloquens.

Catech. 13.

Hom. 8 in diuersos Euangelij locos.

2. Doctrina S. Augustini & Lactantij.

Lib. de symb. cap. 1.

Lib. 4. c. 27.

Docet S. Augustinus: *Omnia dæmonum machinamenta, virtute crucis ad nihilum redigi.* Et alibi monet catechumenos, vt si aduersarius diabolus, denuò velit insidiari, *nouerint, cum symboli Sacramento, & crucis vexillo, ei debere occurri, vt talibus armis indutus, facilè vincat Christianus, de cuius oppressione, malè antea triumphauerat nequissimus.* Copiosius, de virtute crucis contra dæmones, disserit Lactantius: *Nunc satis est, de huius signi, potentia, quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus, hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus, quæ obsederunt, fugiant: nam sicut ipse, cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos;*

nos reponebat: Ita nunc sectatores, eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magistri sui & signo passionis eius excludunt.

Audiamus ex Lactantio quantoperè dæmones crucis signaculum metuant: *Cum Dijs suis,* inquit, *immolant, si assistat aliquis, signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates; Et hæc sæpè caussa præcipuà, Iustitiam persequendi, malis regibus fuit: cum enim quidam nostrorum, sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos eorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum, futura depingere. Quod cum intelligerent Aruspices, instigantibus ijsdem, dæmonibus, quibus sacrificauerant, conquerentes, profanos homines sacris interesse, adegerunt Principes suos in furorem vt expugnarent* DEI *Templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod grauissimis persequentium pœnis, expiaretur.* Ista verbis Lactantij. Nec tamen ex hoc ipso, cæci homines, hæretici hoc tempore, intelligere possunt, aut hanc esse veram Religionem, quæ crucis signaculo vtitur, etiam dæmones, profligando, aut illam falsam, quæ crucis signaculum, vt superstitiosum, & magicum contemnit, abijcit, & pessundat.

3. Dæmonum sacrificia sanctæ crucis signaculo disturbantur. Loc. citat.

Quo pacto autem, dæmones, cum omnibus deceptionibus suis, *signo crucis,* exterreantur & elidantur, pereleganti carmine, describit Christianissimus Poëta Prudentius, cum quid Iuliano Apostatæ, dæmonibus sacrificanti, contigerit, ordine recenset:

4. Quid in tali sacrificio cōtigerit Iuliano Apostatæ ex Prudentio. In Apotheosi.

Forte litans Hecaten, placabat sanguine multo,
Pontificum festis, ferienda securibus illic,
Agmina vaccarum, steterant, vitulasque reuincta,
Fronte coronatas, vmbrabat torta Cupressus.
Iamque insertato, reserabat viscera ferro,
Vittatus de more Senex, manibusque cruentis,
Tractabat trepidas, lethali frigore fibras.
Postremosque animæ pulsus, in corde tepenti,
Callidus interpres, numeris & fine notabat:
Cum subitò exclamat, media inter sacra Sacerdos,
Pallidus; En quid ago? maius, Rex optime maius,
Numen nescio, quod, nostris interuenit Aris,

Quàm sufferre queant, spumantia cymbia lacte,
Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ;
Accitas video, longè dispergier vmbras:
Territa Persephone, vertit vestigia retrò,
Extinctis facibus, tracto fugitiua flagello,
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt,
Carmina, turbatos reuocat, nulla hostia manes.
Nonne vides, vt thuribulis frigentibus, ignis
Marceat? vt canis pigrescat pruna fauillis?
Ecce Palatinus, pateram retinere, minister,
Non valet. elisa distillant balsama dextra,
Flamen & ipse suas miratur vertice laurus,
Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.
Nescio quis certè surrepsit Christicolarum,
Huc iuuenum; genus hoc hominum, tremit infula, & omne
Puluinar Diuûm; lotus procul absit & vnctus;
Pulchra, reformatis redeat Proserpina, sacris.
Dixit; & ex sanguis collabitur, ac velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum:
Ipse quoque exanimis, posito Diademate Princeps,
Pallet, & astantes, circumspicit; Ecquis Alumnus,
Chrismatis inscripto, signaret tempora signo,
Qui Zoroastreos, turbaret fronte, susurros?
Armiger è cuneo, puerorum flauicomantum,
Purpurei custos, lateris, deprenditur vnus;
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro,
Proijcit, ac signum Christi, se ferre fatetur.
Prosiluit pauidus, deiecto Antistite, Princeps,
Marmoreum fugiens, nullo comitante sacellum:
Tunc tremefacta cohors, Dominique oblita, supinas,
Erigit ad cœlum, facies, atque inuocat IESVM.

5. Ipsemet Apostata Iulianus cruce se obsignans fugat dæmonũ spectra.

Longè magis admirandum, ipsummet Iulianum Apostatam, cum iam à Christiana fide apostatare instituisset, nihilominus tamen, signo crucis, Christiano more, in fronte efformato, dæmones effugasse. Rem totam sic narrat Theodoretus:

tus: *Cum Iulianus, priuatam adhuc agens vitam, spem imperij potiundi concepisset, perlustrare cœpit Græciam, conquirere vates, & ariolos, sciscitaturus ab illis, an voti compos futurus esset, incidit in hominem, qui ei hoc prædicere pollicitus est. Qui quidem deducto eo, in fanum, simulachrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos dæmones inuocat, quibus specie, qua solent, apparentibus, metus coëgit Iulianum signo crucis frontem suam signare. Dæmones igitur, Dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt. Tum præstigiator, caussa cur fugerent, intellecta, Iulianum obiurgat, qui tum timorem, in quo erat, declarauit, & se virtutem crucis vehementer admirari dixit: nam dæmones, quoniam eius figuram ferre non poterant, auffugisse.* Hæc Theodoretus. Addit S. Gregorius, Nazianzenus: *Ad crucem confugit, eaque se aduersus terrores consignat, eumque quem persequebatur, in auxilium adsciscit. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores, quid deinde? reuiuiscit malum; rursus ad audaciam redit, rursus aggreditur, rursus ijdem terrores vrgent, rursus obiecto signaculo, dæmones conquiescunt, perplexusque hæret discipulus.* Ista de eodem Apostata Gregorius Nazianzenus.

Lib.3.hist.c.3. Et Gregor. Nazian. orat. in Iulian. Apostat.

Orat.1. contra Iulian.

6. Gemina S. Antonij victoria per crucem à malignis genijs reportata. In vita S. Antonij.

Quomodo S. Antonius Eremita, virtute crucis, varias dæmonum cateruas, sæpenumerò fugauit, S. Athanasius, celeberrimus ille Alexandrinorum, Præsul, in hunc modum describit: *Aliquando igitur sonitus repentinus increpuit, in eo loco, vbi erat Antonius, ita vt eo funditus agitato, parietibus patefactis, varia exinde dæmonum turba, se se effunderet. Nam & bestiarum & serpentum, formas induentes, omnem protinus locum repleuere phantasijs Leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, nec non & Pardorum, atque vrsorum, & hæc singula, secundum suam, fremebant naturam: rugiebat leo, occidere volens; taurus mugitu & cornibus minabatur; serpens sibilo personabat; luporum impetus inhiabat; pardus discolor à tergo, auctoris sui calliditates varias, indicabat: Truces omnium vultus, & vocis horridæ, dirus auditus. Antonius flagellatus, atque confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat, mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur: Si virium, aiebat, aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prælium, sed quoniam, Domino vos eneruante, frangimini, mul-*

ni, mul-

ni, multitudine tentatis inferre terrores. Rursusque confidens, dicebat: Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum, deuorate concessum; si verò non potestis, cur frustra nitimini? signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est; Multa contra sanctum Antonium minantes, fremebant dentibus suis, quod nullus eorum tentamenta, sequeretur effectus, sed maximè, è contrariò, gigneretur illusio. Aliud eiusdem generis de S. Antonio, refert Cassianus: hisce verbis: *Duo Philosophi, magicis artibus dediti, beatum Antonium despicientes, tanquam imperitum, illiteratumque virum, & cupientes eum saltem de cella sua expellere, præstigijs, magicis, ac dæmonum dolis, si eum plus lædere non valerent, miserunt ad eum nequissimos Spiritus, cumque Antonius, nunc crucis signaculum imprimeret fronti suæ, ac pectori, nunc Deum suppliciter exoraret, durissimi dæmones nequaquam audebat appropinquare eidem, sed sine effectu, redierunt ad magos. Qui protinus direxerunt ad S. Antonium, Spiritus malitiosiores. Quibus, cum Abbas Antonius modo prætacto resisteret, & illi inaniter laborarent, atque ad magos victi redirent, miserunt magi tertio, Spiritus potentiores ac nequiores. Quibus nihil proficientibus, contra S. Antonium, didicerunt magi illi, & euidentissimè cognouerunt, magnam inesse virtutem Christianæ professioni, quia ita refrænatæ sunt virtutes illæ, contrariæ, tam feroces atque potentes, vt non solum lædere non valerent, Antonium, sed nec ad punctum, potuerunt eum de cella sua eijcere, cum tamen magi putarent, quod dæmones illi, vltimo missi, potuissent obducere quadam caligine, Solem & Lunam, si ad eos fuissent directi.*

Alia S. Antonij victoria contra dæmonum præstigias. Lib. 8. collat. cap. 18.

Simile quid prodidit S. Hieronymus, de S. Hilarione: *Quadam*, inquit, *nocte, cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctusque mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt ante sonitu, quam aspectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genibus, Christi crucem, signauit in fronte, talique armatus casside, & lorica fidei circumdatus, iacens, fortius præliabatur, cum interim, ex improuiso, splendente Luna, cernit rhedam, feruentibus equis, super se irruere, cumque inclamasset* IESVM, *repentino terræ hiatu, pompa omnis absorpta est.*

7. Victoria S. Hilarionis contra diabolum. In vita S. Hilarionis.

Similem historiam, memoriæ prodidit Theodorus lector, hisce verbis: *Castrum quoddam est, inter Persas & Indos, nomine*

8. Diabolica spectra è castro cruce fugata.

mine Zundadeero, cum Rex Coades, multas in illo pecunias, ac lapides preciosos, asseruari audisset, volebat eius rei veritatem, cognoscere: verum dæmones, locum illum inhabitantes, Coadem ab eo, quod quærebat, impediebant. Cunctam itaque magiam suam, magi illius impenderunt, sed frustra. Adhibita est, & Iudæorum magia, neque sic tamen, voti compos, euasit. Cogitauit per Christianos amoliri dæmones, illos, Episcopus igitur Christianorum in Persia, super ea re synaxi habita & acceptis diuinis mysteriis, & in Christianos, qui aderant, dispensatis, signo crucis. dæmones profligauit, & castrum Coadi sine vlla molestia credidit: quamobrem Rex stupefactus, Episcopum illum primæ sedis prærogatiua cohonestauit, cum ad id vsque temporis Iudæi, & Manichæi, priores haberent. Deinde, & cunctis Christianismum amplecti volentibus, liberum & securum fecit, cum antea Christianos, varijs tormentis excruciasset adeo, vt etiam multis membra & partes eas, per quas vox editur, ademerit: qui tamen, inquit Nicephorus, *illis quoque sic amissis, non minus quam antea, clare sunt locuti.* Lib. 2. Collectan. Cedren. in Anastasio.

Signo crucis Incantationes, & præstigias Anatolij, ficti Monachi, detexit sanctus Martinus: Candidam enim tunicam, quam se diuinitus accepisse iactabat, dæmonis præstigias esse, omnibus ad oculum patefecit, quod præter Sulpitium & Fortunatum, Paulinus versibus hisce tradidit posteritati: 9. S. Martini duplex etiam contra dæmones victoria. 1. Paul. lib. 3. de vita S. Martini.

Hoc quoque sancte cruci, Martine affige trophæum:
Quo spolias sæuum simulata veste Tyrannum;
Scindens aëriæ, mendacia tegmina telæ,
Disijciénsque cauæ, fluitantia vellera nubis.

De eodem sanctissimo Domini Confessore, Martino, Seuerus Sulpitius, memoriæ prodidit quod sequitur, verbis ipsiusmet scriptoris: *Frequenter diabolus, dum mille nocendi artibus, virum sanctum conabatur illudere, visibilem se ei formis, diuersissimis ingerebat. Nam interdum, in Iouis personam, plerumque etiam Mercurij, persæpè etiam se Veneris, & Mineruæ transfiguratum vultibus, offerebat. Aduersus quem semper interritus, signo se crucis, & orationis auxilio, protegebat.* Addamus & illud, quod Gennadio Patriarchæ Constantinopolitano accidit: *Hic cum noctu ad Altare, sacrificij, orans astaret, spectrum quoddam dæmoniacum, ei apparuit, quod ille protinus signo sanctæ crucis, velut immisso telo, fugauit, cumque recederet, hæc est huma-* 2. Seuerus Sulpitius in vita S. Martini. 10. Gennadius Patriarcha cruce fugat spectrum. Theodorus lector. lib.

collectaneorum. Niceph. lib. 15.c.24.

humana voce locutum: Abeo, & te viuente, quiescam, reuersurus post obitum tuum & modis omnibus euersurus Ecclesiam.

11. S Benedictus ignem diabolicum cruce extinguit Lib.2. Dial. c 10. Paul.Diac. lib. 1. hist. longobard. cap.26.

Libet hic adiungere aliud miraculum, ex Diuo Gregorio Romano, aduersus dæmonis præstigias virtute crucis patratum. Cum enim Diui Benedicti fratres, fundamentis cuiusdam Monasterij iaciendis, terram altius egererent, æreum illic idolum, repererunt, *quo ad horam, casu in culinam proiecto*, inquit sanctus Gregorius, *exire ignis repente visus est, atque in cunctorum Monachorum oculis, quia omne culinæ ædificium, consumeretur ostendit, cumque iaciendo fratres aquam ad ignem, quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu, Vir Dei, aduenit, qui eundem ignem, in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos, quos phantastico reperit igne, deludi, vocauit fratres, monuit, vt oculos cruce signarent, vt & sanum illud culinæ, ædificium, assistere cernerent, & flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.*

Diabolus in forma merulæ auis cruce fugatur à S. Benedicto. Lib.2.c.2.

Ita sanctus Gregorius: qui de eodem Benedicto, aliud præterea miraculum commemorat his verbis: *Quadam di[e], cum solus esset, tentator adfuit: Nam nigra, paruaque auis, quæ vulgo merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusque vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc Vir sanctus tenere voluisset, sed signo crucis edito, recessit auis.*

12. Diabolus in forma draconis cruce pellitur. S.Gregor. Dial. c.37.

De Theodoro puero, in Monasterio non satis religiosè & monasticè viuente, ita sanctus Gregorius: *Cum extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius, orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema parte, fuerat præmortuum, in solo tantum pectore, vitalis adhuc calor, anhelabat. Cuncti autem fratres, tanto pro eo, cœperunt enixius orare, quantò eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repente cœpit, eisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus, orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, recedite, ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam, deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbuit: date locum, vt me non amplius cruciet, sed faciat quod facturus est: Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos, moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? Signum tibi sanctæ crucis imprime; Respondit ille: dicens; Volo me signare sed non possum, quia squamis huius draconis pre-*

nis premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terram, cum lachrymis, cœperunt pro ereptione illius, vehementius orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare, dicens: Gratias Deo; Ecce draco, qui me ad deuorandum acceperat, fugit, orationibus vestris, expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere.

Cum S. Osvvaldo Episcopo VVigorniensi, Cacodæmon in forma speciosa Angeli se ostentasset, crucis signo se muniuit, quod sciret, Angelum lucis, id non molestè ferre, Angelum verò tenebrarum, illo in fugam compelli. Quod & factú. Nam vt inquit Senatus Brauonius, *simul atque signum illud malignus tentator vidit, instar fumi, ab oculis eius euanuit.* Eodem lapide Lydio vsus est, Secundellus Diaconus, qui apud Gregorium Turonensem, hæc dæmoni, in forma Christi se ostentanti exprobrabat: *In veritate comperi, quod seductor sis, neque te Deum credo, cuius te speciem mentiris habere. Tametsi Christus es, crucem tuam quam reliquisti, ipsam ostende, & credam tibi: Cumque non ostenderet, Diacono crucem in os eius faciente, confusus euanuit.*

13. S. Osvvaldus fugat dæmonem in forma Angeli expresso crucis signo. Sen. Brano. in vita S. Osvvaldi Wig. 14. Secundellus fugat eum similiter in specie Christi apparentem. Tur. lib. de vita Patrum cap. 10.

Miram dæmonis illusionem signo crucis detectam atque depulsam, à B. Simeone Monacho, Treuirensi, narrat Euervvinus Abbas: *In verticem montis Sinai, iussu superiorum, cum missus fuisset, ibi habitaturus, nocturnis horis, illi specie Angelica, dæmon apparuit, & vt missam celebret, hortatur. Ipse nec plenè dormiens, nec perfectè vigilans, contradicit, non debere sine Presbyterij ordine, aliquem hoc ministerium implere. Contra inimicus instat, se Dei legatum esse, Christum hoc velle, nec decere, sanctum locum, ministerio tali, diutius priuari. Renitentem ergo, & contradicentem, adiuncto sibi consortio, alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare iam vigilantem statuunt, alba induunt de stola vtrinque altercantur; hostis, more presbyteri, Simeon more Diaconi, contendebat, sibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis, & Signo crucis, inimicum repellit, seque delusum ingemiscit.*

15. S Simeon Monachus Treuerensis, dæmones Angelos ementientes cruce repellit. Euer. in vita Simeonis apud Sur. 1. Iun.

Superaddo & illud, quod ab Albino Flacco, de S. Vedasto Attrebatensium Episcopo commemoratur: *Quidam Nobilis Franco* inquit ille, *potentia clarus, Ocinur nomine, Regem Clotarium, Regis Clodouei filium, qui tunc temporis Regni nobiliter rexerat sceptra, voca-*

16. Vasa superstitiosis ac dæmoniacis ritibus incantata S. Vedastus crucis si-

gno confringit. In eius vita.

vocauit ad prandium , quod magno apparatu, in domo sua , Regi & suis parauerat optimatibus. Rogatus quoque est sanctus ad conuiuium Vedastus, qui domum intrans, more sibi solito, dextra extenta, omnia sancta Crucis vexillo signauit. Quædam verò vascula, ibi, cereuisia astabant plena, sed malè gentili errore dæmoniacis incantationibus, infecta, quæ mox ob potentiam S. Crucis, destructa crepuerunt, & quidquid liquoris habuerunt, in terram effuderunt. Hæc Albinus Flaccus de S. Vedasto.

17. Triplex miraculum signo crucis patratum. Hæresi 30.

Ignoscite mihi, auditores dilectissimi, patientia vestra, plus satis æquo, nimia prolixitate abutenti, vt ad finem tandē aliquando propius accedamus, volo commemorare, triplex miraculum, *Sanctæ Crucis* virtute, patratum, vti refert Epiphanius, gesta Iosephi, Comitis Iudæi, & postea sub Constantino ad fidem conuersi, prolixè commemorans.
1. Vbi fæmina, *Crucis Signo*, non solum amatoria Philtra, sed & vna cum Philtro, immissos longè pessimos Cacodæmones, fugauit; & Iosephus ipse adhuc Iudæus, aqua *Crucis signo* signata, dæmonem ab ob-
2. sesso fugauit;
3. denique, ignem, magicis incantationibus ligatum, ne combustibilem materiam, inflammare posset, simili aqua, à se ipso, *Cruce signata*, naturali suo vigori reddiderit; Nec pluribus referam verbis, quomodo Iustina Virgo, dæmones à Cypriano mago, postea insigni Martyre, ad sollicitandum libidinosum amorem, teste S. Gregorio Nazianzeno, *signo Crucis* disiecerit; quomodo S. Gregorius, Taumaturgus, *mediante cruce,* dæmones ex Idolorum Fano, in quo pernoctauerat, expulerit, & eius quosque Diaconus, in Balneo, in quod, qui ante ipsum intrauerant, omnes à dæmonum spectris strangulati fuerant, *Sola cruce,* frontem communiens, balneauerit illæsus. Immò & alia, huius generis infinita, quæ passim in historijs occurrunt, lubens volensque prætermittam.

18. Alia similia S. Crucis miracula. Orat. in Cyprianum Martyrem. Gregor. Nyss. In vita S. Gregor. Taumat.

Illud vos, apprimè commonitos velim, vt tot verissimis historijs, de *S. Crucis virtute,* instructi & eruditi, in omni subitaneo casu, aut periculo, firma cum fiducia, erga Saluatorem Crucifixum, *Sanctæ Crucis* memoriam, in corde circumferatis, *Crucis signum,* ad omnem actionem vestram, sine intermissione adhibeatis; sic sathanæ laqueos, nullo negotio effugietis, sic

eius

eius tentationes facile superabitis, sic omnes eius insidias euadetis; quod ipse vobis elargiri dignetur, qui per crucem suam, à diabolica Tyrannide, triumphum reportauit. Amen.

CONCIO. XXX.

DE EODEM SANCTÆ CRVCIS REMEDIO, CONTRA DAEMONEM, ET OMNES EIVS PRÆSTIGIAS.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.



QVemadmodum fures & Latrones, patibulum metuunt, & alia suppliciorum genera perhorrescunt; sic dæmones ad *Crucis Christi* memoriam expauescunt. Sicut igitur, crucis efformatione, omnia dæmonum conamina, omnes eorundem Præstigiæ & spectra, dissipantur; sic etiam, eodem salutari signo, ab obsessis corporibus eliminantur; & quod longè maiorem incutiat admirationem, illis etiam, cõtra dæmonum violentiam, prodest *crucis signum*, qui necdum in Christum crediderunt, vel Ethnicismo, vel Iudaismo adhuc imbuti: Quæ duo rerum capita, vbi breuiter commonstrauerimus, *crucis vsum*, ad omnes veneficiorum fascinationes discutiendas vtiliter adhibendum, aspirante diuino numine, quotquos adestis, adhortabimur, & pro posse nostro inducemus: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

Admiranda sunt quæ de S. Crucis virtute, scribunt sancti Patres, & inprimis S. Ignatius: *Nouit mundi Princeps diabolus, crucis confessionem, sibi afferre interitum, & omnibus operibus eius exterminium: Est enim trophæum, contra Potentiam ipsius erectum, quod dum videt exhorrescit, dum audit expauescit, dum in fronte, dum in aëre signatum, & impressum, animaduertit, trepidat atque contremiscit, fugamque turpissimam capessit.* Hæc ille; non equidem fictè & simulatè, vt crucis hostes & exterminatores, Caluiniani, hæretici temerè friuoleque iactitant, vt homines, ad Staurolatriam, superstitiosam incitent; verum, quia, vbi crux Christi, cernitur, omnis eo-

I. Crucis signo dæmones ab obsessis expelluntur. In Ep. ad Philippi.
I. Virtus crucis contra dæmones.

 nis eo-

S. Ioan. Chrysost. Hom. 4. de laudibus S. Pauli.

nis eorum poténtia, & fortitudo elanguescit; *cuius rei gratia,* inquit S. Ioannes Chrysostomus, *dæmones tantummodò nomen crucis audientes, in fugam resiliunt, cum certè, si res haberet aliter, magis eos oporteret irridere, quam fugere. An fortè crux quid clarum videtur ac nobile? immò è contrario, turpis & exprobrabilis mors est. Vnde igitur illam dæmones reformidant, nisi de virtute crucifixi? Si enim illam per se ipsam timerent, quanquam & hoc ipsum, de his esset indignum, tamen & ante illum, & post illum, plerique crucifixi sunt, & cum ipso etiam duo. Quid igitur si inuocet aliquis nomen latronis, vel alterius cuiusque crucifixi; dæmon nè fortè timebit, aut fugiet? Nequaquam. Quinimmò ridebit. Si verò* IESVM *addideris Nazarenum velut ab igne, repentè diffugiet.* Hæc S. Chrysostomus.

2. Exorcismis dæmonum crux adhibetur. Exempla S. Patrocli Nicetij & aliorum.

Gregor. lib. Sacramētor.

Vberioris porro doctrinæ gratia, vt non modo amici, sed & inimici, sanctæ Crucis gloriam, & potentiam agnoscant, iam inde, ab Apostolorum æuo, solennes Ecclesiæ orationes, quibus dæmones ex obsessis corporibus eijciuntur, vi & efficacia, signaculi crucis, & inchoabantur, & perficiebantur, teste S. Gregorio Magno, apud quem in orationibus super dæmoniacum, vna cum Crucis expressione, hæc verba pronunciabantur: *Triumphatus recede, in nomine Patris & filij, & Spiritus sancti, & da locum Spiritui sancto, per hoc signum Crucis* IESV *Christi.* S. Patroclus etiam, plurimos energumenos, virtute signi crucis liberauit, teste Gregorio Turonensi, qui de S. Nicetio Treuirorum Episcopo: *Iussit dæmoniacum extrahi, sed cum apprehensa columna, euelli à decem viris non posset, sanctus* DEI, *sub vestimento suo, propter iactantiam fugiendam, faciens crucem Christi, è contra, dæmoniacum relaxari præcepit.* Venerabilis Beda de sancto Arnolfo scribit: *Eo tempore, quo quatriduanum ieiunium vniuersalis celebrare consueuit Ecclesia, vir sanctus extra ciuitatem cum crucibus, atque promiscua populi multitudine, orandi gratia, secundum morem vrbis, processit: & ecce mulier ex medijs cateruis, voces emisit in cœlum. Quod audiens vir Domini, cum cognouisset eam, arreptam à dæmonio, opposito crucis vexillo, liberauit eam.*

Lib. de S. Patroclo & lib. de S. Nicetio.

Tom. 3. in vita S. Arnolfi.

3. S. Cassius Episcopus Narniensis. Lib. 3. dial. c. 6.

De Cassio Narniensis ciuitatis Episcopo scribit S. Gregorius: *Gothorum tempore, cum Rex Totila Narniam venisset, ei vir vita venerabi-*

nerabilis, Caßius occurrit, cui, quia ex consperſione, facies ſemper rubere conſueuerat, hoc Rex Totila, non conſperſionis eſſe credidit, ſed aßiduæ potationis, eumque omni modo deſpexit. Sed omnipotens Deus, vt quantus vir eſſet, qui deſpiciebatur, oſtenderet, in Narnienſi campo, quo Rex aduenerat, malignus Spiritus coram omni exercitu, eius Spatharium inuaſit, eumque vexare crudeliter cœpit, cum ante Regis oculos, ad venerandum virum Caßium, fuiſſet adductus, hunc ab eo vir Domini, oratione facta, ſigno crucis expulit, qui in eum ingredi vlterius non præſumpſit, ſicque factum eſt, vt Rex barbarus, ſeruum Dei, ab illo iam die, veneraretur, ex corde, quem deſpectum valde iudicauit ex facie.

De Gregorio Lingonico, Epiſcopo, ſic ſcribit Gregorius Turonenſis: *Cum Energumeni eum primo die, Epiſcopatus ſui confiterentur, rogabant eum Presbyteri, vt eos benedicere dignaretur. Quod ille viriliter, ne vanam incurreret gloriam, refugiebat, clamans, indignum ſe ad manifeſtandas virtutes Dominicas, eſſe miniſtrum, ſed tamen, quia diutius hoc diſsimulare non potuit, adduci eos ad ſe iubens, ſine vllo tactu, facto tamen ſigno crucis, dæmonia diſcedere imperabat. Quod illa protinus audientia, corpora, quæ nequitia ſua diuexârant, abſoluebant.* 4. Gregorius Lingoniéſis. Lib. de vita SS. Patrum cap. 7.

Refertur in vita ſancti Theodori Archimandritæ, cum adhuc iuuenis eſſet, dæmones ſigno crucis expellere conſueuiſſe: *Cum enim ei oblatus eſſet Energumenus, ſumens Theodorus ex lucernæ oleo vexati caput vnxit, & ſigno crucis adhibito, increpuit eum dicens: Exi iam ſpiritus immundißime, & vociferans dæmon, proiecit puerum ante pedes eius, & exiuit.* Idem Theodorus iam grandior natu, plures energumenos, ad ſe adductos, maligni ſpiritus agitatione, ſimul liberauit: *Dæmones enim diuina Christi gratia, venerandæque crucis ſigno, torquens, tunſionibuſque pectoris adhibitis, diu precationi incubuit, iuſsitque vt ex hominibus egrederentur, & in locum ſuum redirent; qui magno clamore, ſciſsis veſtimentis, obſeſſos ante pedes eius proſtrauerunt & abierunt.* 5. Theodorus Archimandrita. Eleus. Presb. diſcip. S. Theodori. in vita eiuſdem Tom. 2. Surius.

Liberauit Stephanus Iunior, qui ſub Conſtantino Copronymo, vitam inſigni martyrio concluſit, quendam ſigno crucis, à diaboli Tyrannide: *Matris enim querelis, quæ filium obſeſſum ad ſe adduxerat, commotus, vni diſcipulorum imperat, vt crucis ſignum vniuerſo pueri corpori adhiberet, ipſe autem intra ſe collectus, atque animi* 6. S. Stephanus Iunior. Surius Tō. 7. hiſtoriæ ſanctorum.

 oculum

oculum attollens, eum qui celerrimè salutem adferre poterat, inuocabat. Atque ipse quidem lachrymis profusus precabatur. Ille autem humi, magno cum impetu deiectus, amissa voce iacebat; ipse surgere eum, atque ad se venire iubebat, ille iussis obsequebatur: Demum eum, adorata Christi imagine, Matri suæ sanum atque incolumem tradit. Sic sanctus Ioannes Chrysostomus dæmonia cum signo crucis curauit: *Dæmoniacus quidam,* inquit Leo Imperator, *clamabat in medio omnium, concionante Ioanne ad populum; rogatur medicus, vt curet laborantem, quem quidem curat signo pretiosæ crucis, & inuocatione sanctæ & viuificæ Trinitatis dicens: Ecce sanus factus es; ne Deum ampliùs offendas.*

Leo Imp. in Encom. Chrysost. Tom. 1. Surij.

6. S. Svvibertus. In vita c. 20.

Narrat Marcellinus, de sancto Svviberto, commemorabile miraculum, virtute crucis editum, cum apud Boructuarios seu Prussos moraretur: *Erat,* inquit Marcellinus, *in quadam Boructuariorum villa,* Velsenberg *nomine, vir quidam diues & potens, Ethelhere dictus, obsessus à dæmonio, ferro & cathenis adstrictus; Qui cum quotidie dire vexaretur, & à multis visitaretur, tandem quadam die, præsentibus nonnullis idolorum Sacerdotibus, & alijs paganis, clamare cœpit dæmon: Nisi huc veniat seruus Dei viui, Svvibertus, Christianorum Episcopus, hinc non egrediar. Cumque magis ac magis hæc iterando clamaret, confusi abscesserunt Idololatræ, dubij quidnam facerent: Tandem ab ipsis sanctus Svvibertus quæritur, & inuenitur, obnixe rogatur, & inuitatur, ad visitandum dæmoniacum. Igitur sanctus Svvibertus cum iret ad visitandum eum, mox cœpit dæmoniacus spumare, dentibusque dirè stridere: & horribiliter vociferando clamare plus solitò. Sed sancto Svviberto appropinquante domui, cessauit dæmoniacus, iacens in lecto, ac si somno dulciter pressus esset. Quem sanctus cernens, præcepit suis, vt omnes orationibus deuotè vacarent, & ipse orationi incumbens, Deum deuotissimè precabatur, vt ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui, & ad conuersionem incredulorum, dæmoniacum, expulso dæmone, liberaret, surgensque cum suis ab oratione, signauit dæmoniacum signo salutiferæ crucis dicens: In Nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *præcipio tibi immunde Spiritus, vt exeas ab hac Dei creatura, vt agnoscat suum verum creatorem, statimque cum fætore, Spiritus malignus exijt.*

7. S. Zenobius Archiepiscopus Florentinus.

Non est prætereunda memorabilis illa historia, quam Ioannes Archi Presbyter, Aretinus refert, de S. Zenobio, qui

contra

contra Iulianum Apostatam mira virtute decertauit: *Cum mulier quædam Pagana, Illustris & diues valde, in Florentina ciuitate, mortuo viro, duos superstites haberet filios, quos delicatissimè enutrierat, & ad perfectam illi, iam peruenissent ætatem, quidam die, in iram versi, matrem propriam pluribus verberibus, enormiter flagellarunt; Quod scelus ipsa impatienter abhorrens, corpora illorum horrendis imprecationibus, detestata fuit, genibus procumbens, & terram manibus pulsans, Erynnem, cæterasque infernas pestes, in rabiem filiorum, magno cum gemitu inuocat: Exaudiunt dæmones, ab imis tenebris, iuuenes ingrediuntur, illos in furias exagitant: Qui statim vt rabidi canes, mordaciter ad inuicem, sua membra corrodunt. Concurrunt famuli, fit clamor ingens; alij funes, alij catenas ferunt. Ligantur iuuenes, nec rabie contineri valent. Iam mater pietate commouetur in filios, iam facti pœnitet, & tantæ calamitatis euentum, deflet: plangit, nec quid inde agat, cogitare valebat. Interim occurrunt memoriæ, quæ de Zenobio audierat, & accepto consilio, speque pro filijs recuperandæ salutis, licet pagana sit, tamen credula, ad Zenobium filios adduci procurat. Cuius ipsa pedibus prouoluta, fatetur rem gestam, Deum suum exorare dignetur, precibus & lachrymis fideliter orat. Ille infelicem iuuenum calamitatem miseratus, pieque commotus, ait ad mulierem: Constanter age mulier, & crede quod Dominus noster* IESVS, *qui illos modò post orationem meam sanitati restituet, verus est* DEI *Filius, & omnium creator & Dominus. Et statim in Basilica Saluatoris, vbi aderant, coram vexillo crucis, se prosternens componit, vbi, cum duabus horis in oratione iacuisset, hoc est, à prima diei hora, qua illi aduenerant, vsque in horam tertiam, surrexit ab oratione, & iuuenes signo crucis benedicens, dæmones ab illis prorsus effugauit.*

Gregor. Tur. lib. de gloria confess. c. 77. Ioan. Archipresb. Aretinus in vita S. Zenobij.

Simile est, præcedenti, quod in gestis Theodori studitæ producitur: *Vicus est, Achirao nomine, in quo habitabat Leo ille,* (nomen est hospitis,) *infelici coniugio feminæ copulatus, quam immundus spiritus obsederat. Hanc dæmon tam atrociter agitabat, vt suas ipsa, carnes laniaret, ac deuoraret, nullum interim sensum doloris, capiens, nec miseræ conditionis. Cum ergo per eas transiret sanctus, asello insidens, obuiam cum vxore, Leo occurrit lachrymis perfusus, vultu deiecto, ac mærore prostrato, precibus imis obtestans, vt afflictæ succurreret, atque violentum adeò, infestum dæmonem profligaret: cuius misericordia tactus, grauique ærumnæ*

8. Femina obsessa, à S. Theodoro liberatur. Michael in vita Theodori studitæ.

rumnæ

rumnæ compatiens, sanctus, manum illicò vertici mulieris imponit, crucis signum imprimens, & notas aduersus prauos spiritus, preces addens, quibus peractis, finem simul cepit fæminæ calamitas, infesto dæmone fuga penitus elapso, illamque sanam ac sui compotem relinquente.

Quid plures memoro, huius argumenti, historias? Integra essent conscribenda volumina, si omnia, quæ in sanctorum historijs, de *S. Crucis*, contra diabolum, & eius machinationes, *virtute* reperiuntur, percensere, instituissemus. Quæ allata sunt, sufficiant, vt incredulos Caluinistas, veritatis hostes, cõuincant, & sanctæ crucis cultum atque honorem, pijs atque Catholicis Christianis, persuadeant, & à veræ fidei scopo, aberrantes, ad veritatis inconcussæ metam perducant.

II. Signum crucis etiam illis prodest, contra dæmones, qui in Christum nõ credunt.

1. Iudæus crucis signo illæsus à dæmonibus.

Lib. 3. c. 7.

Pergamus, ad alterum instituti nostri, assertum quod *sanctæ crucis gloriam*, maiorem in modum magnificeque illustrat, nam contra dæmonum præstigias, non solum baptizatis, verum etiam infidelibus qui Christi fidem nunquam susceperunt, prodest *sanctæ crucis* Amuletum. Prodeat inprimis præclara illa historia, quam S. Gregorius Magnus de Iudæo quodam in libris dialogorum descripsit: *Quadam die, Iudæus quidam ex Campaniæ partibus, Romam veniens, Appiæ viæ, carpebat iter, qui ad Fundanam glebam perueniens, cum iam diem vesperascere cerneret, & quo declinare posset, minimè reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, eoque se manendum contulit, qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quantumuis fidem crucis, minime haberet, signo tamen crucis se munire curauit.* Recenset deinde S. Gregorius, quomodo media nocte, dæmonum multitudo, ad illud templum conuenerit, & quomodo coram Principe suo, quisque exposuerit, quid rerum, obeundo terras, gessisset, & quam multos per tentationem, ad illicita pertraxisset: *Cumque Iudæus, qui aduenerat*, inquit S. Gregorius, *hoc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem Spiritu, qui cunctis illic obsequentibus, præerat, iussum est, vt requirerent, quis nam esset ille, qui iacere in templo eodem præsumpsisset, ad quem maligni Spiritus pergentes, & subtilius intuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantesque dixerunt. Væ, væ, væ, vas vacuum, & signatum. Quibus hoc renunciantibus, cuncta illa malignorum Spirituum turba, disparuit.*

Iudæus

Iudæus autem, mysterijs Christianæ fidei paulo post instructus, & sacro baptismate est renatus. *Iam videt Hebræus*, inquit S. Cyprianus, *& quicunque de seruitute Ægyptia, ad repromissæ patriæ libertatem anhelat, quod sanguis Christi efficacius, quam sanguis agni illius, quem in Ægypto Israhel immolauit, contrarias abigat potestates, cuius hodie, tanta est auctoritas, & potestas, vt non solum Israhelitica limina muniat, sed etiam ab his, qui Israhelitice non viuunt, solum Sacramenti signum repellat dæmonia, & vbicunque conspecta fuerit, terribilis sit eius sacri nominis virtus, & sanguinis nota.* hæc ex ore S. Gregorij Magni.

Illustre sanctæ crucis signo, Elogium præbet, historia illa, de puero Iudæo, qui postea baptizatus Constantini nomen tulit, Græcorum Menæum exhibet, sub hisce verbis: *Cum matrem suam puer Iudæus, nescio quo euntem sequeretur, vidit hominem Christianum, qui dum in terræ scrobem quandam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat, cuius puer secutus exemplum, & ipse deinceps crucem, subinde efformabat, sacraque tandem Christiana amplexus, ardenti fide prosecutus est &c. Cum puella illum Hebræa (pudoris extorquendi caussa) inuaderet, illam signo crucis repente exanimauit, rursumque postea in vitam reuocauit. Hic cum præfecto monasterij statum vitæ suæ, exponeret, iubet ille proferri crucem, & ab eo salutari, cuius, cum beatus iste pedem osculo libaret; tota fronte, & brachiis veneranda crux, sese in sancti Pueri verticem submittens, characterem crucis capiti indelebilem impressit, quem per omnem postea vitam, seruauit. Dignus ergo baptismatis gratia iudicatus, sacris Christianis est initiatus. & Constantinus dictus.* 2. Constantinus puer, in matre Iudæa natus. 16. Decemb.

Quam denique præsens auxilium, Infideles barbari, in vtraque, tàm Orientali, quam Occidentali India, à crucibus, quas eò penetrantes Christiani, erexerant; sæpenumerò mutuarint, cum à dæmonibus, horrendè discrutiarentur, alio in loco, iam satis luculenter ex historia Noui orbis, probatum dedimus; nec est opus, vt isthic, omnia & singula repetamus. Concludo itaq; verbis sancti Augustini: *Nec mirum est*, inquit, *quod hæc signa* (crucis) *valent, cum à bonis Christianis adhibentur. quando etiam, cum vsurpantur ab extraneis, qui omninò suum Nomen ad istam militiam non dederunt; propter honorem tamen, excellentißimi Imperatoris valent.* Vos igitur, pij sanctæ crucis, cultores & amatores. 3 Ethnici in India. Multa per S. Crucē, beneficia cōsequuntur. Lib. 83. qq. cap. 79.

tantò

tantò maiori fiducia tantoque cordatius contra omnes dæmonum impugnationes, ad crucis tutelam confugite, quantò propinquius, vobis Christus, crucifixus, est incorporatus, & vos eidem Christo, estis coniunctiores.

III. Veneficia & morbos nō amuletis, superstitiosis, vel incantationibus sed signo crucis auerti debere.

Pergamus iam, & quod est vltimum, caput, huius nostri sermonis, & eos, qui contra diaboli fascinos & ligaturas superstitiosis vtuntur, neglecta Christi cruce, amuletis, sanctorum Patrum testimonijs redarguamus. Nihil sanè meo, quidem iudicio, de Ethnicæ impietatis Reliquijs, diutius & pertinacius hæsit, quàm *amuleta, superstitiosa*, excantationes, aliaque huius generis, anilia deliramenta, pernicioso dæmonis astu, ad posteritatem transmissa, veluti signa, occulti cum illo pacti; quo quam plurimos perdidit & inuoluit; *Quando filijs caput dolet*, queritur sanctus Augustinus, *malæ & infideles matres, ligaturas sacrilegas, & incantationes, quærunt. Graui morbo decumbit aliquis*, lamentatur sanctus Ioannes Chrysostomus, *& accedunt multi ad vanitatem vrgentes; & ij quidem incantationibus, isti amuletis, illi verò alijs quibusdam superstitionibus, solamen mali, adferre conantur. Si propter amorem Dei, fortiter & immotè tuleris, & omnia malueris perpeti, quàm sustinere, vt aliquid, quod Idololatriam sapit, facias, hoc tibi martyrij coronam adferet.*

1. Incantationes Reliquiæ Ethnicismi.

Aug. Tract. in Psalm. 70.

Hom. 31. in 1. ad Thess.

2. Incantationes fugiendæ, & quare?

Sed procul sunto abominanda excantatorum inuenta; alia sunt Christianorum carmina, quæ potentissima vi, omne veneficiorum genus, procul abarcent; Quæ nam illa? *Christi IESV Domini nostri, & crucis virtus, sunt nostra carmina*, inquit sanctus Chrysostomus, *quæ non solum draconem hunc, suis è latebris educent, in ignemque impingent, verum, si quæ nobis inhæserint vlcera sanabunt.* Et sanctus Augustinus: *Attentius cogitemus, quare Christiani sumus, & crucem Christi in fronte portamus.* Paulò post subiungit: *Quare per præcantatores, per fontes & arbores, & diabolica Phylacteria, per characteres, & aruspices, & diuinos, vel sortilegos, multiplicia sibi mala, miseri homines conantur inferre? Nequaquam igitur, per sacrilegas* (verbis Augustini loquor) *similitudines & impias curiositates, & magicas consecrationes animæ purgantur & reconciliantur Deo: quia falsus mediator, non traijcit ad superiora, sed potius obsidens, intercludit viam, per affectus.* Ista ex ore S. Patrum.

Orat. de laude Dei.

De temp. Serm. 215.

Aug. 4. de Trin. c. 12.

Super-

Superstitiosa illa, inquit sanctus Chrysostomus, *quæ ægrotis applicantur, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes: Deum inuocamus, & præterea nihil facimus, & quicquid eiusmodi prætendunt. Et: Christiana hæc est anus, & fidelis: Idololatriam tamen sapiunt; fidelis es? CRVCIS signaculo vtere. Dic; hoc duntaxat habeo scutum, hoc solum pharmacum; aliud ignoro. Dic mihi, si medicus ad ægrotum accedens, relictis medicinæ pharmacis, incantatione vteretur, an hunc medicum diceremus? Nequaquam, non enim videremus quæ sunt medicinæ: Ita neque hîc, quæ sunt Christianismi. Aliæ verò fluuiorum nomina collo appendunt, & mille talia audent. Ecce dico & prædico, vobis omnibus, siquis deprehendetur, postea non parcam, siue superstitiosa collo alliget, siue incantet, siue aliud quicquam, huiusmodi artis, faciat. Quid igitur? Morietur ne puer, inquis? Si hoc pacto viuet, tum mortuus est; si verò sine istis mortuus fuerit, tum viuit.*

3. Reiectio excusationis incantatorũ.
In 3. Col. Hom. 8.

Superstitiosa porrò eiusmodi remedia, temerè adhibita, nihil non solum prodesse, verum etiam plurimum obesse, vel illud copiosè abundanterque testabitur, quod Theodorus Balsamon de coniuge Alexij Comneni, filij Imperatoris refert: Hæc enim superstitiosas eiusmodi muliercularum, incãtationes, ad depellendum, quo laborabat, morbum, in domũ suam introduxerat, *à quibus non remedium,* inquit ille, *sed intempestiuam mortem, suscepit.* Et Nicetas Choniates, de quodam Aarone, mago scribit, qui plurimos, incantamentis suis, persanare, cupiens, in medio ætatis flore, extinxerit. Atque vtinam, ne inter Christianos modernos, innumeræ prorsus, eorum chiliades inueniantur, qui simili sacrilegio, quoties morbo aliquo, diuina permissione tentantur, semet obstringunt: Quibus meritò obijciat S. Augustinus: *Tunc videntur Christiani, quando nihil mali patiuntur domus eorum: quando autem aliqua sibi tribulatio est, currunt ad Pythonem, aut Sortilegum, aut Mathematicum. Dicitur illi nomen Christi, subsannat, torquet os suum, dicitur illi, fidelis es, cur consulis Mathematicum? Et ille; recede à me, ipse mihi perdidit res meas, vtinam non perdidissem, & in planctu remansissem. Homo bone, nonne signas te signo* CRVCIS CHRISTI? *Et meritò te signas cruce*

4. Incantationes plus obsunt, quam prosunt: Vxor Alexij Comneni.
In Canone 83. ex Ep. Basilij ad Amphiloch.
5. Aaron magus incantationibus sanare cupiens multos extinxit.
Tract. in Psalm. 91.

Christi, qui per crucem suam, omne malnm à te depulit, & omne bonum tibi comparauit. Istud S. Augustini consilium.

Eia ergo fideles ac deuoti Christiani, fugite diabolicas eiusmodi inuentiones & ad depellenda, quæ vobis diuinitus immittuntur mala, à Deo & eius Ecclesia, præscripta remedia, vna cum *S. Crucis signaculo ac merito* adhibete: hæc est enim *Armatura Dei,* qua induti, contra omnes diaboli incursus, eritis immunes, eo vos protegente, qui per *Crucem suam,* vniuersum hominum genus, ab æterna morte vindicauit, benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO. XXXI.

REMEDIVM VIGESIMVM, AQVA LVSTRALIS, CVM SALE, VINO, OLEO, FRVCTIBVS, ET ALIIS REBVS BENEDICTIS.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.



Vemadmodum diuina Maiestas, in Ecclesiæ Sacramentis, à Christo, ad nostram sanctificationem institutis, vtitur creaturis, tanquam instrumentis, hyperphysica Dei potentia, ad spirituales effectus producendos, eleuatis: Sic etiam ad infringendas dæmonum vires, & sathanæ phantasmata, in nihilum redigenda, creaturas cœlesti benedictione, per Dei verbum, Ecclesiæ orationes & crucis salutiferæ signum sanctificatas, vt aquam, salem, oleum, vinum, herbas, fructus, & similia, tàm esculenta, quàm poculenta, voluit adhibere: vt hinc non solum diuinæ potestatis magnitudo quæ superbos, rebelles, & potentes tenebrarum Principes, tàm exiguis armis prosternere solet, elucescat: Verum
Isaiæ 14. etiam, ipsiusmet sathanæ ambitio, qua *Altißimo similis* esse concupiuit, luculentissimè confundatur, dum adeò exili armatura prosternitur, & expugnatur. Qua ratione igitur Aquæ, similesque creaturæ, sanctificatæ, dæmonibus aduersentur, hac

hac concione paucis hiſtorijs in medium productis, breuiter adſtruemus: Qui de Aquæ, tàm Baptiſmalis, quàm luſtralis inſtitutione, benedictione, & admirandis effectibus alijs, plura voluerit cognoſcere, ad Conciones meas, in Pſalmum Miſerere, iſthinc remiſſus eſto: Nos enim hoc loco, aliud nihil, quàm armaturam aduerſus inſidias diaboli, diuino nixi præſidio, inueſtigamus: *Induite vos armaturam Dei, vt poßitis, ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

Conc. 38. & 39. in pſalm. Miſerere in Verſ. Aſperges me Domine Hyſſopo.

Aquæ luſtralis vſus, nemo eſt qui ignoret, tàm *Lutheranis*, quàm *Caluinianis*, eſt trabs in oculis; inſaniunt enim, & mille ſuperſtitiones, & Idolomanias, ingeminant, cum audiunt nos ad ſpirituales effectus, ad fugandos dæmones, antiquiſſimo Eccleſiæ ritu, Dei verbo, prece ſacra, crucis ſignaculo, creaturas quaſlibet ſanctificare. Ehem boni viri, quid vos in hac ſacra cæremonia, pungit? An quod aquæ & alijs creaturis, vis aliqua ſupernaturalis, attribuatur? maiorem Aquæ virtutē adſcribimus in Baptiſmo, dum virtute ſanguinis IESV Chriſti, vt inſtrumentum diuinæ poteſtatis, dæmonem, cum omni peccatorum exercitu expellit, & hominem regenerat, ad vitam. An Sacerdotalis benedictio, & quædam quaſi ſanctificatio, vos torquet? Non malè agimus, dum Saluatoris noſtri veſtigijs inſiſtimus, & eius exempla imitamur. Annon & ille panes piſceſque benedicendo, multiplicauit? Si panis benedictio, quam Saluator adhibuit, omni prorſus ſuperſtitione carebat; nec aquæ aut ſalis, quibus cum panis pinſitur, benedictio, ſuperſtitionis notam incurret. Quin etiam, aſſeueramus, quamcunque creaturam, ſiue eſculentam, ſiue poculentam, & alio modo, humanis vſibus deſeruientem, conſueto Eccleſiæ ritu, ſine omni crimine, benedici & ſanctificari poſſe, En fundamentum noſtrum ex Apoſtolicis ſcripturis: *Omnis*, inquit S Apoſtolus Paulus, *creatura Dei, bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Si ergo aqua eſt creatura Dei bona, quidni ſanctificetur per verbum Dei, & orationem vt ad ſpirituales effectus, commode vſurpetur?

I. Aquæ benedictæ hæreticis exoſæ defenſio.

1. Virtus aquę attributa in Baptiſmo.

2. Aquæ benedictio caret omni ſuperſtitione. Matth. 14. Ioan. 6. Luc. 9.

3. Fundamen tum aquæ benedictæ ex ſcripturis. 1. Tim. 4.

4. Vſus aquæ benedictæ ab Apoſtolis. Lib.8.Conſtitut.Apoſt. cap.35. Baron.Tõ.1. Annal.

Nihil noui ex nobiſmet ipſis, noſtroque cerebro effingimus, Apoſtoli à Chriſto, informati, hunc benedictionis aquæ ritum, fundarunt,& Eccleſiæ Præſulibus commendarunt: Sic enim S.Clemens Romanus, Petri Apoſtoli Diſcipulus, in Apoſtolicis conſtitutionibus,introducit S.Matthæum Apoſtolum, ſacram hanc cæremoniam, auctoritate Apoſtolica, decernentem: *De aqua & Oleo,ego Matthæus conſtituo,vt benedicat Epiſcopus, aquam aut oleum, ſin verò non aderit, benedicat presbyter, præſente Diacono, cum autem Epiſcopus aderit, aßiſtent presbyter & Diaconus. Dicat autem in hunc modum: Domine Deus Sabaoth, Deus virtutum,creator aquarum,& largitor olei, miſerator & amator hominum,qui dediſti aquã ad bibendum, & abluendum, & oleum ad exhilerandam faciem,in exultationem lætitiæ, ipſe etiam nunc ſanctifica, per Chriſtum, hanc aquam & oleum, ex nomine eius, qui obtulit, & tribue, ei vim ſanandi, & depellendi morbum,fugandi dæmones,expellendi inſidias,per Chriſtum ſpem noſtram, cum quo tibi gloria & honor & cultus, ac ſancto Spiritui per ſæcula. Amen.*

Lib de Eccleſiaſt. Hierarchia c de Baptiſmo. Cypr. lib.1. Epiſt 12. Ambroſ.lib. 1.de Sacram. cap.5. Auguſt. Serm.19. de ſanctis & alibi.

Benedictionis aquæ meminit etiam *Dionyſius Areopagita*, S Pauli Apoſtoli Diſcipulus, meminit non ſemel *Cyprianus*, meminerunt ſæpiſsime ſancti Eccleſiæ Doctores, *Ambroſius* & *Auguſtinus*. Ab Apoſtolis igitur, luſtralis aquæ vſus, originem ſuam tranſcribit: Nam etſi Antagoniſtæ noſtri, per fas & nefas, importuniſsimè contendant, Alexandrum Papam, qui ſextus à S.Petro Apoſtolo,circa annum à natiuitate Saluatoris. 121. Romanam Eccleſiam gubernauit, id tamen expreſsis, S.Clementis & S.Dionyſij teſtimonijs, refutatur: Suiſmet inſuper verbis ſeipſum propugnat ſanctiſsimus Martyr, Papa Alexander: *Aquam Sale conſperſam*, inquit, *ex Apoſtolica traditione populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus, faciendum eſſe mandamus.*&c. Effectus porrò aquæ luſtralis, exponens, inter alia ſic fatur: *Aqua diuinis precibus ſacrata, ſterilitatem auffert, rerum humanarum, coinquinatos ſanctificat, atque mundat & expurgat, & cætera bona, multiplicat,& diaboli inſidias auertit, & à Phantaſmatum verſutiis, homines defendit. &c.* Et porro virtutes eius fuſius declarans, ſubnectit: *Nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti Saluatoris,ſaluatos eſſe infirmos, non dubitamus, quanto magis virtute ſa-*

5.Teſtimoniũ Alexandri Papæ. Epiſt. 1.

tute sacrorum eius verborum, sacrantur Elementa, quibus sanitatem corporis & animæ, humana percipit fragilitas? His ergo & aliis, instructi documentis, vota singulorum, Domini Sacerdotes, respicite, & in virtute Spiritus sancti, per ministerium vobis collatum, diuinitus perficere, certate. Elementa quoque, tam ea, quæ prædiximus, quam cætera, diuinis apta vsibus, & humanis necessaria, infirmitatibus, sacrate. Ecce non solum Salis & aquæ, sed & omnium aliarum creaturarum benedictiones, ab ipsismet Apostolis deriuatas.

Sicut porrò *Aqua naturalis*, præter alias innumeras virtutes, ignem extinguit; sic *aqua lustralis* omnia tela nequissimi, ignea, elidit, & omnia eius machinamenta, dissoluit: Quod si Leo Imperator, quoties cum hoste manus conserendæ essent, milites omnes, aqua benedicta, conspergi iubebat, quantò magis, hæc Dei armatura, nobis non solum vtilis, sed & pernecessaria erit, quibus in omni vitæ militia, *non est* solum *colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates, & Principes tenebrarum*, præcipuo quodam emolumento deseruiet? Verum, de his plurima pertractauimus, alibi. Nunc more nostro, ad historias progrediemur, & duo præcipuè rerum capita, ex illis dabimus probata, Lustralis nimirum, aquæ, vsu, dæmones ex obsessis fugari, infestata à dæmonũ spectris & Phantasmatis loca, emundari, & pristinæ securitati restitui, præsenti sermone expediemus, alia tria sequenti concioni reseruaturi.

6. Ignea diaboli tela extinguit.
In Tactitis cap. 24.
Ephes. 6.

Aquæ inprimis benedictæ, vsu, obsessi iuuantur, & ab importunissimis, hospitibus liberantur. Constat id inprimis, exemplo S. Eligij, Nouiomensis Episcopi, de quo ista Audoënus: *Nitebatur vir sanctus impias quasdam superstitiones, in quodam vico, haud procul à* Nouiomensi *oppido tollere: verum vbi pluribus concionibus, nihil proficeret, iniuria etiam atque contumelia, ab auditoribus afficeretur, Exemplum Apostoli secutus, tradit ipsos sathanæ, in interitum carnis, vt spiritus in die iudicij, saluus fieret. Quamobrem omnes à dæmonibus obsidentur. Currunt hinc ad S. Virum, obsessorum amici, auxilium magnis, desiderijs expectantes, ac postulantes, sed hoc non nisi post vnius anni pœnitentiam, promittit Eligius: Tum ad se adductos, erant autem plures quinquaginta, aquæ benedictæ aspersione, omnes & singulos liberat, à spiritibus*

II. Liberat obsessos. Effectus.
1. Quoad Personas.
1. S. Eligius aqua lustrali sanat obsessos
S. Audoenus Episcop⁹ Rothomagensis. Lib. 2. vitæ eius c. 20.

2. Maleficiati curantur. In eius vita apud Simeon Metaphr.

tibus infestis, Prodigij speciem habet, quod scribit Georgius Presbyter de sancto Theodoro Archimandrita: *Apocomensis,* inquit, *vici incolæ, bouem occiderunt, vt carnibus eius vescerentur.* Contigit *autem, vt omnes, qui ex illis carnibus comederant, dæmone eos occupante, in morbum inciderent, & iacerent vt mortui, & quidquid carnis reliquum fuit, nigrum euasit ac fœtidum. Qui igitur ex carne illa, non gustârant, id quod acciderat, viro sancto nunciarunt. Qui respondit:* Exitium *istud à Phalange dæmonum, qui per lebetes, pertransierant, prouenisse.* Et *cum eo tempore non posset cum illis discedere, benedixit aquam, quam per vnum è fratribus misit, vt periclitantes conspergeret, eisque bibendam propinaret. Quo facto, cuncti tanquam è somno surrexerunt, præter vnum qui mortuus est. Ioannes enim Procurator, cuius fratri ea calamitas acciderat, non expectans, viri sancti benedictionem, accurrit ad mulierem veneficam, & dum eius incantationes adhiberet, fratri, ille animam egit.* Ecce mercedem illius, qui dæmonem vnum per alium, pellere moliebatur. Caueant simile exitium, qui, dum à dæmonum præstigijs molestantur, leuaminis caussa, dæmonis complices, in auxilium vocant.

Maleficium maleficio pellere volês perit.

3. Aqua etiam à Laico benedicta, dæmoniacus curatur.

Lustralis aquæ virtutem, in pellendis malignis genijs, noui in India & Iaponia, Christiani, non solum, in quibuscunque morbis persanandis, sed & in dæmonibus, homines vexãtibus, vbique profligandis, innumerabiliter sæpe experiuntur: nos vna alteraue historia contenti erimus, hac vice: Eduardus Syluius, primam refert in hæc verba: *Anno eodem, Antonius quidam Neo-Christianus, Cutamum se contulit, triginta milliaribus Bungo dissitum, vbi in virum quendam incidit, cuius gulam ita dæmon, ad septuaginta dies strinxerat, vt tantum non suffocaret; nihil enim cibi nec potus, in stomachum traijcere poterat. Ille hominis casum miseratus, memorque diuinæ misericordiæ, qua latronem pœnitentem, rogantemque veniam, è peccatis & morte, æterna liberasset, aquam signo crucis, in Christi nomine signauit, addita oratione Dominica; deinde arreptitium, ad detestanda anteacta vitæ scelera, hortatus est, & Christi fidem, eidem inculcauit, quam cum se amplexurum promitteret, aquam, sic à se benedictam, epotandam dedit, qua sine difficultate hausta, orizam addidit, & protinus omni dæmonis vexatione, caruit. Baptizatus ergò, non multò post, vitam*

In Ep. Ex Iaponia, anno 1555. in Europam transmissa.

cum

cum morte, feliciter commutauit. Quod ſi aqua ab homine laico, obiter tantum, ſimpliciterque benedicta, tantam vim, contra dæmonis, hominem ſtrangulantis, agitationem obtinuit, quantò ampliori, aqua per Sacerdotem, ex Apoſtolico inſtituto, ſacrata, in eodem effectu, facultate præpollebit?

Alteram fuſe deſcribit Maffeius, cuius hæc breuiter ſumma: Filia cuiuſdam primarij viri, triginta iam annis, male à dæmonio habebatur, cruciatibus maiorem in modum formidandis, diriſsimè afflictata; adhibitis exorciſmis, dæmon mirificè ſæuiebat; præbita pariter & inſperſa Energumenæ aqua benedicta, ſpiritus ille nequam erupit, miſerabili cum eiulatu. Hiſtoriam demum claudit Maffeius hiſce verbis: *Solent autem Energumeni & ægroti in hoc regno, non alio medicamento curari, niſi aqua benedicta, cuius virtus admirandis planè, probatur experimentis præſertim verò, in oculorum curatione, quibus Iaponij vulgò laborant, vt eius petendæ cauſſa, à Leucis decem, vel duodecim ad nos concurratur.* Hinc patet aquæ ſacratæ ſiue bibitione, ſiue aſperſione, dæmones ab Energumenis, potentiſsimè expelli.

4. Triginta annorum energumena aquæ benedictæ inſperſione curatur. Ioan. Petrus Maffeius, lib. 2. de rebus Iaponicis Ep. 1. anno 1554.

Sic S. *Bernardus Abbas*, teſte eius vitæ ſcriptore, puellam ab immaniſsimo illo hoſpite, ſacri laticis vſu, adhibito, liberauit. Sic puerum à malo genio, miſerrimè exagitatum, infuſa ori eius, per vim aqua benedicta, ſathanicæ hoſtilitati, eripuit. Sic dæmonem expulit è puella, præbita ſalutari aqua, crucisque ſignaculo vſurpato, S. *Albertus Carmelita*. Sic infeſtum hunc indigenam, profligauit & eiecit, *S. Arnulphus* Sueſsionenſis Epiſcopus. Adhibendo aquam benedictam. Sic *S. Laurentius* Dunelmenſis Hiberniæ Epiſcopus, adiuncta aquæ benedictæ, manuum impoſitione, obſeſſum iam diu hominem, ab infeſtatione maligni hoſtis, priſtinæ libertati vindicauit. Idem præſtitêre *S. Norbertus, S. Hugo, S. Maclouius, S. Anno,* Colonienſis Archiepiſcopus, *S. Oportuna*, & innumerabiles alij ſancti, quis enim omnes enumeraret? Et hæc virtus atque contra dæmones robur, in aquæ benedictione, potiſsimum à Deo poſtulatur, nec vnquam ſine fructu, à pijs & fidelibus Chriſtianis ſperatur; qua de re, ordo & ritus aquam iſtam piacularem conficiendi conſulatur.

5. Aliæ complures hiſtoriæ è ſanctorum geſtis. Lib 2. vitæ cap. 2.
1. Ibid.
2.
3. Surius Tō. 4.
4. Sur. Tom. 4.
5. Sur. Tom. 5.
6. Sur. Tom. 3. & 6.

III. Loca à dæmonibus infestata liberat. II. Effectus.

Ad alteram, Aquæ lustralis virtutem, quæ dæmones abigit, è locis, ab illorum phantasmatibus, spectris & infestationibus varijs exagitatis, ea tot experimentis, est manifesta, vt historiæ, si conscribendæ forent, integrum volumen complere possent. Præcipuas aliquot, nos delibabimus, reliquas lectoribus curiosis, transmittemus. Solebat hoc medio vti sanctus Aichardus, Gimensis Abbas, vt scribit Fortunatus: *Cum fratres post labores diuinos, corpora placido somno recrearent, vt Pastor sollicitus, supra gregem Dominicum, Vigilias insomnes duceret, & claustra Monasterij, & singula, familiæ Dei, habitacula, pererrando, muniret, gestans secum, crucem Dominicam, & aquam Exorcizatam, ad effugandas importuni hostis insidias, quis suis terroribus, fratrum loca non rarò inquietabat.* De sancto VVilibrordo, hæc scribit Albinus Flaccus: *Contigit cuidam patrifamilias, & domui suæ, diræ dæmoniacæ illusionis tentatio, ita vt apertè malignus, in eius domo, spiritus, ex horrore & maleficijs, habitare agnosceretur: Nam subitò cibos vel vestimenta, vel alia domui necessaria, rapere solebat, & in ignem mittere, quin etiam paruulum, inter amplexus parentum pausantem, illis dormientibus, in ignem iniecit. Sed vagitu infantis, parentes excitati, vix paruulum de incendio eruerunt: & multa atrocia, eadem familia, à nefando spiritu, perpessa est, nec à quolibet Presbyterorum, expelli potuit, donec Vir sanctus, VVilibrordus, à Patrefamilias, postulatus, Aquam illis benedictam, direxit: præcipiens, omnem domus illius supellectilem efferre foràs, & aqua illa aspergi, præuidens in spiritu, domum, opera diaboli, flammis exurendam esse. Quibus ita gestis, vacuam domum, à loco lectuli, ignis inuasit, totamque consumpsit. Altera verò in eo loco, cum sanctificatione aquæ benedictæ, ædificata, nihil exinde, pristinæ tentationis passi sunt, in ea, sed cum omni tranquillitate, & quiete degentes, & Domino gratias agentes, erant, qui illos per seruum suum, redimere dignatus est.* Hæc Albinus Flaccus.

1. S. Aichardus Giemensis Abbas. In eius vita apud Sur. Tom. 5.

2. S. Wilibrordus In vita S. Wilibrordi. Anton. Marulus, Hydragio logiæ sect. 3. Domus à dæmonibus miserandum in modum infestata.

Meminit item Ioannes Diaconus, sanctum Gregorium, aspersione aquæ benedictæ, Monasterium, quod à dæmonibus, maiorem in modum, molestabatur, ab omni malignorum spirituum tumultu, vindicasse. Et hodie quoque, vt Maffeius attestatur, Miraculum istud in India, quotidie ferè renouatur. Sic sanctus Hubertus Leodiensis Episcopus, similem domum,


3 S. Gregorius Magnus. In vita S Gregorij Magni. Lib. 2. Ep. 1. de rebus Iaponicis.

4 S Hubertus Sur. Tom. 6.

domum, ab hostium illorum terriculamẽtis, erepturus, mandabat. *Caeterum iam nunc vade, aquam quae Sacerdot ali consecratione, sale admixto, benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam, orationis virtute, impraegnata est, liquorque olei, itidem Apostolica benedictus, auctoritate, huc referatur, quorum aspergine, atque litura, mox ita effugabuntur hinc, inimici virulenta phantasmata, vt posthac, non amplius audeat, sua inferre machinamenta*; Et sic factum est. De sancto Theodoro, Sicaeorum Archimandrita, haec scribit Simeon Metaphrastes: *Appropinquante sancto Viro, ad sanctissimae Dei Genitricis Monasterium, obuiam venit illi, Theodorus Dux Regius, ad domum suam, ad partes superiores sitam, duxit eum, vt à magna daemonum vexatione, eam liberaret: Homines enim & animalia, rationis expertia, ab immundis spiritibus vexabantur, & cum domestici pranderent, aut coenarent, lapides super mensas iaciebantur, ex quo magnus omnes terror inuadebat, & mulierum telae rumpebantur, & tanta murium & serpentum multitudo, domum occupabat, vti prae formidine, nemo eam ingredi auderet. Domum igitur Dei seruus ingressus, totam noctem psallendo, & Deum obsecrando, traduxit, & aqua cui benedixerat, domum aspergens, eam à spiritibus immundis liberauit.* Experientia quoque compertum habemus, hodierno etiamnũ die, salutaris huius Lymphae, aspersionem, eidem effectui, praesentissimo remedio subseruire, vbi praesertim Psalmi, orationes, & exorcismi, in Rituali Romano, praescripti, piè & cum fiducia, adhibentur, & quae infestationi daemoniacae causam praebuerant, amoueantur.

5. S. Theodorus domum infestatam liberat. In eius vita anno 613.

Induite vos igitur hanc *armaturam Dei*, dilecti mei, *Aquam benedictam* in domibus vestris, frequenter ac diligenter adhibete, in conclauibus, in cubiculis, in armentorum, ac pecorum, stabuletis, vt ab omnibus clancularij illius hostis, infestationibus, tuti permaneatis, Amen.



CONCIO XXXII.

Tres alij præſtantiſſimi Effectus, aquæ benedictæ.

PRÆSTIGIARVM DÆMONIACARVM DISCVSSIO; INFANTVLORVM CONTRA LAMIAS TVTELA: APVD AGONIZANTES, TENTATORIS DEPVLSIO.

Induite vos armaturam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Epheſ. 6.

SICVT olim Dominus Deus, in aqua, carnalium hominum, ſcelera & flagitia, Aegyptios item ſubmerſit, & multa alia prorſus admiranda, atque ſtupenda opera deſignauit: ſic etiam in aqua illa, quæ ſolenni ritu, ſtatiſque precibus, Sacerdotum miniſterio, ab Eccleſia ſacratur, mira per multa & ſtupenda, prorſus prodigia, contra infernales ſpiritus, & eorum conamina, patrare conſueuit: Nam & dæmonum præſtigias & maleficia, in nihilum redigit, infantulos à lamiarum oppugnationibus, tuetur, Agonizantes, à dæmonum incantationibus aſſecurat, protegit atque defendit: Quæ tria, hiſtorico dicendi genere, breuiter etiam dabimus declarata. *Induite vos armaturam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

IV. Effectus dæmonum præſtigias & maleficia in nihilum redigit.

Tertia *Luſtralis aquæ* virtus, omnes diaboli præſtigias, diſsipans, & maleficia diſſoluens, tàm eſt clara, tàm indubitata, tot experimentis probata, vt non indigeat, vlla verborum & argumentorum elucidatione. Aqua benedicta mediante, Ioſephus Iudæus, ad Chriſti fidem conuerſus, cum templum ædificaturus, multas calcarias fornaces extruxiſſet, & Iudæi quidam magi, ex inuidia ignem, arte diabolica, ſic ligaſſent, vt nec ligna, nec ſarmenta, combureret, *Ioſephus*, inquit Epiphanius, *Zelo erga honorem Domini* IESV *correptus, extra ciuitatem, ad fornaces cucurrit, & vbi aquam in vaſe afferri curaſſet, accepto vaſe, coram omnibus, (multitudo enim ingens Iudæorum, confluxerat ad ſpectaculum.*

1. Ioſephus aqua cruce ſignata ignẽ excantatum accendit. Epiphan. hæreſi 30. Barõ. Tõ. 3. Annal. anno 327.

culum, euentum videre cupidi, & quid Iosephus facturus esset) magna voce, crucis signaculum, proprio suo digito, vasi imposuit, & inuocato nomine IESV, *sic dixit: In nomine* IESV *Nazareni, quem crucifixerunt Patres mei, & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis & magiæ, quam ibi fecerunt, & efficaciam potentiæ ignis, ad perficiendam Domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces resperſit, & dissoluta sunt incantamenta, & flamma coram omnibus erupit. Turbæ verò præsentes, clamore edito: Vnus est Deus, qui auxiliatur Christianis, secesserunt.* Quod si aqua à Laico duntaxat, obiter benedicta, tantum potuit; quantò, plus præstiterit aqua solenni, ritu, à Sacerdotibus benedicta? Id equidem ab insigni historia, quam scriptor Tripartitæ historiæ Socrates, Sozomenus & Baronius prolixè recensent, comprobatur: Iusserat S. Marcellus Apameensis Episcopus, omnia gentilium Deorum delubra, Apameæ destrui. Cumque Iouis Apameni, fanum, adeò forte, vt vulgò crederetur, nulla humana ope operaque destrui posse, quidam igne exurendum, consuluissent, *& suffossis omnibus columnis,* inquit, *Theodoretus, tignis flammam iniecissent, dæmon quidam aterrimus, apparens, tigna, vt eorum fert natura, igni absumi non patitur, sed impetum flammæ cohibet. Vbi verò illud sæpius egerant, videbantque ignem frustra admotum, Episcopo fortè, sub meridiem dormienti, indicant. Ille confestim, ad sanctum Dei templum contendit, aquam in vase afferri iubet, quam in sacrosancto Altari ponit; ipse autem, humi in faciem prostratus, Dominum precatur, ne diaboli Tyrannidem, latius serpere permittat, sed tum eius patefaciat imbecillitatem, tum suam ipsius potentiam ostendat, in eum finem, vt infidelibus, nulla maioris cæcitatis detur occasio. Hæc & his similia, locutus, cum aquam signo crucis benedixisset, Equitium vnum è Diaconis, fide & studio pietatis, egregiè munitum, aquam iubet accipere, ocyus ad delubrum currere, & cum fide eam spargere, tignisque flammam adhibere. Qua re confecta, dæmon aquæ aspersæ vim non ferens, penitus auffugit: Ignis autem aqua, suæ naturæ maximè aduersaria, velut oleo fotus, tigna occupat, eaque momento temporis absumit.* Hæc ad aquæ benedictæ vim comprobandam, præ alijs Theodoretus. Testatur etiam Palladius, *S. Macarium* Eremitam, fœminam quandam, magicis præ-

2. S. Marcellus Apameēsis aqua ignē accendit ad exurendum Iouis fanum. Hist. Tripart. lib. 9. c. 33. Theodoret. lib. 5. c. 21. Baron. Tom. 4. Annal. Bredenbach. lib. 5. cap. 38.

3. S. Macarius feminam in equum conuersam sanat. In hist. Lausiaca c. 19.

cis præstigijs, in Equam transformatam, effusa in caput eius *aqua benedicta,* pristinæ formæ reddidisse. Nolo verbo tenus ex Rhaterio Episcopo, commemorare, quomodo *S. Vrsmarus,* cũ Malbodiensem Monialem, à dæmone liberasset, dæmon autem ab ipsa digressus, varijs terroribus de nocte, Monasterium totum turbaret, aqua quam S. Episcopus, de more, cum sale benedixerat, sic protinus eliminarit, vt omnis inquietudo cõsilesceret.

4. S. Vrsmarus dæmonem monasterium turbantem fugat.

Recentiora quædam, prioribus, isthic subijciamus. *Rigæ,* vt verbotenus allegat, Martinus DelRio, *Ruthenus quidam, cum sæpius moneretur, vt cum Ecclesia Romana, rediret in gratiam, semper autem obsurdesceret, sine pœnitentia discessit. Ex eo die varia se, in eius domibus spectra, domesticis offerebant, assidentibus auferebantur mensæ, nemine comparente. Cubiculorum fores, non modo pessulis, verum etiam sera pensili, obseratæ, totis cardinibus euertebantur, è summis ædibus, lapides ingentes iaciebantur, pice fædati, quos se tractasse, perhibet Sacerdos è nostris. Quidam autem Polonus, quem Pater idem se vidisse affirmat, adeo grauiter est vulneratus, in vertice, vt dies aliquot iacuerit semiuiuus. In eadem domo, cum multum straminis esset, id totum in minutissimas partes, comminutum est. Et multo plura, terroris plena, conabantur, quæ non obscurè, quantum Iuris, in ædibus illis sumpsisset, sibi Sathanas, demonstrabant. Ingressus in eas, is, quem dixi, Sacerdos, cum comite altero, aqua sacra, thureque adhibito, expiauit: quo exorcismo, omnis tumultus dæmonum, conquieuit, id quod multis deinde gratiis, ædium Domini, recognouerunt.*

5. Historiæ recentiores. Disquisit. magicarum lib. 6. c. 2. q. 35. Ex literis Collegij Rigensis anno 1583. Domus mirandum in modum infestata, tranquillatur.

Huic non est dissimile, quod verbis suis, adducit Antonius Posseuinus: *Non multo ante tempore Antesignanus quidam Caluinista, doluit aliquando vehementer, apud vnum è Patribus nostris, quod in suo districtu (erat enim custos arcis cuiusdam, in Liuonia Prouincia) lupos amplius capere non posset, vt solebat, caussans, foueas quæ in eorum capturam fiunt, fuisse à rusticis, incantationibus præpeditas. Respondit pater habere se lustralem, seu benedictam aquam, qua cum loca illa se aspersurum dicebat, vt incantationes illæ dissoluerentur. Risit tum Caluinista, (vt solent omnia nostra explodentes, hæretici) subdens. Ego si præcantationes eiusmodi, aqua lustrali dissolutas viderem, luposque propterea capi, crederem profecto, diuinam esse rem, huiusmodi Aquam. Erat item in*

De Estonibus Liuoniæ populis ad inclytam Mantuæ Ducissam anno 1585. Luporum captura incantationibus impedita restituitur.

quodam

quodam eius fundo, qui nuncupabatur Parnomoÿsa, domus vicina cuidam lacui, quæ ita erat dæmonum vexationibus exposita, vt nullus omnino eam posset inhabitare. vt propterea ruinosa esset effecta. Igitur Sacerdos noster, benedixit de more aquam, foueasque aspersit, & confestim lupi aliquot capti sunt. Cum deinde in eodem fundo, sanctum Missæ sacrificium, multis eò conuenientibus, celebrasset, ad domum illam, sacro de more processit, domumque sacris exorcismis, & aqua benedicta, lustrauit, totamque deinde viciniam, affixitque in cacumine præcelsi montis, magnam crucem, quibus rebus factum est, vt vicinia tota, cum domo, prorsus libera, à dæmonum infestatione manerent, hinc manifesto eluxit, quam maximè dæmones, vim aquæ benedictæ. perhorrescant. hæc Posseuinus, de admiranda, sacratæ lymphæ, efficacia.

Regio à dæmonibus infesta liberatur.

Sed quid vetat, vnum alterumue adhuc, è recentioribus addere, quæ verbotenus, vt sequitur, describit Martinus Del Rio? *Viro,* inquit, *cuidam Treuerensi, anno octuagesimo octauo, mulier rustica, nescio quid ouorum offerebat, excipit pileo pedissequus, mox pileum, ouis expositis, imponit capiti. & statim vsque adeo vexari cœpit dolore, vt pene desiperet. confugit nescius, quid ageret, in ædem sacram, incensumq; caput immergit, in vas promptum aquæ benedictæ. & conualescit. Maga comprehensa, in quæstione fassa est, oua sic fuisse venenata, vt gustantibus interitum, extuberationem tangentibus essent allatura: malo nihilominus remedium extitit, aqua benedicta, sic etiam Mussiponti virgo maleficiis miserrime afflicta, epota salutari aqua, indepta est, pulsis dæmonum ligaturis, optatam sanitatem.* O stupenda virtus aquæ benedictæ, robustissima etiam dæmonum molimina dissipantis.

6. Aliæ duæ historiæ vna Treuerensis altera Mussipontina.
Lib. 6 disquis. Magic. c. 7. q. 3. 5.
Ex literis Treuerensibus an. 1588.
Literæ Prouincialis Frãciæ an. 1593.

Nouimus porrò, nec paruulos, & infantes innocuos à dæmonum fraudibus, esse immunes. An fragili huic ætati, salus etiam, ex hac aqua, Dei nomine, Christique signaculo, sanctificata? Immo vero, sine omni hæsitatione. *In ciuitate Spirensi,* scribit Iacobus Sprengerus, *Dominicanus Inquisitor, dum quædam deuota mulier cum quadam malefica verba habuisset, iuxta morem muliercularum rixantium, supra modum iracunda, de nocte tamen, cum paruulum lactentem, cunis imponere voluisset, & mente reuoluens, quæ de die, cum suspecta malefica, peregisset, timens de periculo pueri, herbas benedictas eius corpusculo supposuit, aqua benedicta eum aspersit, & Sal benedictum*

II. Puerulos & infantes à Lamijs & Sagis defendit.
1 Puer suppositis herbis benedictis aqua lustrali aspersus lædi nequit à malefica.
In Malleo maleficarum p. 2. q. 1 anno Dñi 1484.

dictum in os dedit, & cunabulum diligenter alligatum, cruce signauit. Et ecce circa medium noctis, vagientem puerum audiuit, & cum iuxta morem, puerum contrectare, & cunabulum iuxta lectum pensile, mouere vellet, cunabulum quidem mouit, sed puerum, quia aberat, contrectare non potuit. Tremens ergo paupercula, & de pueri amissione vehementer dolens, lumine accenso, paruulum vagientem, sub lecto, in angulo, sine læsione inuenit. Capta demum malefica, & tormentis examinata, edixit, se ob aquam & herbas, benedictas, puero, nullum nocumentum, potuisse inferre.

2. Exemplum simile priori ex India. Loco citato lib. 6. disquisit. Magic. Ex literis Prouinciæ Mexicanæ.

A præcedenti non abludit, quod verbis hisce dat Martinus DelRio: *In Mexicana Prouincia, sedes etiam, Pascuaræ, Societas nostra posuit: Ibi circa annum 1587. erat Indæ fœminæ puer, quem cunctis noctibus, cum cubaret, eripi sibi à latere sentiebat deinde reponi; quò raperetur ignara: ipse puer interim vitali spiritu, in dies egesto, lenta tabe properabat ad finem. Sua sum porrò matri, & salutare fuit, vt puer lustrali aqua singulis noctibus aspergeretur, & simul etiam potaretur. res mira, & inaudita eo loci, cessat morbus, vexatio diabolica prorsus euanescit.* Ex his agnoscant puerperæ, Christianæ, quibus armis maleficarum & lamiarum, insidias, à prolibus, valeant propulsare.

III. Apud morientes dæmonem fugat.

1. Dæmones in rostratis laruis ab agonizante pelluntur. Lib. 1. Mirac. cap. 7.

Nec frustra, & sine fructu, mihi credite, moribundi, iam in agone constituti, asperguntur aqua lustrali; Hoc ipsum probat, quod scribit Petrus Cluniacensis: *In Monasterio Cluniacensi, quidam erat ægrotus, in articulo mortis, qui videbat totam domum & cubiculum repleri deformibus rostratisque viris; quod cum aduerteret, vnus è custodibus (erant autem duo conuersi, Stephanus & Oliuus, qui assistebant ægroto) cœpit locum aqua benedicta aspergere; Infirmus autem statim cœpit clamare: Eia, eia, fac quod facis, quia diaboli fugientes, contendunt vnus post alterum, summa celeritate discedere, & postea placidissimè in Domino obdormiuit.* De alio similiter, in Canensi cœnobio, morituro, refertur in vita sancti Petri Abbatis: *Ad quem* inquit, vitæ sancti Viri scriptor, *Pater venerabilis iam transeuntem venit, eiusque animam omnipotenti Deo commendare, studuit; cui & moriens, frater dixit: In fenestra illa, Pater, duæ aues sunt, vna valdè pulchra, & supra modum visu iucunda; alia horribilis, valde, & nigra, rogo igitur vt horribilem illam eijcias. Tunc admirati fratres, cœperunt indagare, quod attentè monstraret, & quod monstrabat. Ipsi videre non poterant.*

2. Dæmon in specie auis nigræ aquę sacræ aspersionem nequit tolerare. Sur. in vita Tom. 7. Anno 1090.

rant.

rant. Pius autem Pater, intelligens, quod moriens frater, videre aliud, quam viuentes posset, aquam Exorcizatam sibi afferri iussit, qua profectò dum orando aspergens fenestram tangeret, nigram illam auem discedere, idem moriens vidit. Cumque Deo gratias ageret, sancta illa anima, carne soluta est. Tunc fratres intellexerunt, in horrida aue dæmonem discessisse, in pulchra, Angelum eius custodem remansisse, vt eum è vita recedentem, ad cœlestia comitaretur. Laudabilis igitur & pia est consuetudo, ægrotos agonizantes, aqua lustrali sæpius aspergere, cuius diuina virtute, non solum venialium culparum pœnæ abolentur, verùm etiam ab ægrotis, omnia dæmonum phantasmata, & præstigiæ, dispelluntur.

Et hoc demũ monendi estis, charissimi mei, virtutes istas, contra dæmonum violentias, non solum aquam & salem, dum benedicuntur, habere, verùm etiam alias omnes creaturas, benedictione Sacerdotali sanctificatas, cuiusmodi est, vinum benedictum, sub inuocatione sancti Ioannis Euangelistæ, cuius virtutes aliàs explicaui, Panis benedictus, cuius opera vsus est, sanctus Elphegus, Cantuariensis Episcopus, in persanandis Danis, à diabolo obsessis; Et sanctus VVolphelmus Abbas, in curatione morbidæ fæminæ, diaboli præstigijs vexatæ, & sancta Hildegardis, quæ nobilem puellam, ab impio carnali amore, præstigijs diabolicis immisso, curauit. *Omnis* enim *creatura sanctificatur per verbum Dei, & orationem*, vt Apostolus asserit; sic & benedictio candelarum, palmarum, herbarum, & similium creaturarum, quas vt ad vsum nostrum Deus creauit, sic ex illis, ritu sacro benedictis, *armaturam contra diabolum*, nobis voluit procurare, qui ob hoc & alia mille, sua in nos beneficia, sit benedictus in sæcula, Amen.

3. Omnes aliæ creaturæ vim habent dæmones expellendi.
S. Paulinus in varijs Epist.
Stephan. Duranti, lib. 2. de ritibus Eccl. Cath. c. 58.
Osteruus in vita S. Elphegi, Conradus in vita S. Wolphelmi.
1. Timoth. 4.



CON-

CONCIO. XXXIII.

REMEDIVM VIGESIMVM PRIMVM; VSVS AGNI DEI.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.



Aud inconcinnè, & meritissimo quidem Iure, Ecclesia Christi militans in terris, à sponso suo *Turris Dauid*, quæ ædificata est, *cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* appellatur. Est enim communita *propugnaculis septem Sacramentorum*, inueniuntur in ea *mille clypei*, mille remedia. quibus omnia nequissimi tela ignea elidere valeamus; asseruantur in ea, innumera rerum benedictarum, antidota, contra omnem hostilitatem, & nequitiam, malignissimi hostis, vtiliter vsurpanda; In ea demum, *omnis armatura fortium*, qui victoriosè cum diabolo certant, & non nisi reportato trophæo, è campo recedunt, indubitatò reperitur. Inter alias porrò armaturas, quæ Dei nomine sacratis, naturalibus creaturis mediantibus, nobis suppeditantur, non infimum locum obtinent, *orbiculi albicantes*, è, solari apricatione, candefacta cera, formati, & Agni imagine signati, *Agni Dei*, vulgò nuncupantur, quorum efficaciam, contra varia huius vitæ mala, & aduersus omnem diabolicam machinationem, meritò etiam, annuente superna gratia, hac concione, breuiter explicamus, vbi eorundem confectio, & benedictio, paucis fuerit elucidata.

Cantic. 4.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli. Mos est summo Pontifici, Christi in terris Vicario, ab immemorabili tempore, ex antiqua & Apostolica traditione, primo sui Pontificatus anno, & quolibet deinde septennio, *Cereos* illos *orbiculos*, adhibito sacro Chrismate, solenni benedictione consecrare. Intereà verò, dum sacer ille ritus peragitur, varia precatur à Deo, illis concedi, qui terra mariúe, illis vtuntur, aut veluti sacra, se penes gestant, Amuleta. Conuenit autem vt Vi-

1. Benedictio Agni Dei, à solo Summo Pontifice.
2. Eius antiquitas & vsus. Vincent. Bonardus libro de Agno Dei. Petrus Matthæus in 6. Decretaliũ.

vt Vicarij Christi oratio, tantò sit apud Deum maioris momenti, quantò excelsissima eius dignitas, ad Christum propiùs accedit: Quamobrem, non rarò admirabiles, effectus, non sine diuino prodigio, ex illorum vsu, consequuntur, maximè si quis eximia fide, probataque deuotione, Summi Sacerdotis benedictionem, ac Dei promissionem, quæ oranti Ecclesiæ, opem suam, & auxilium condixit, interioribus mentis oculis, paulò fixius contempletur.

Quod si quis nosse aueat, quænam Dei beneficia, pro vtentibus hiscè amuletis, à Christi in terris Vicario, cœlitus conferri, petantur? Paucis rem omnem expedio, atque declaro: In genere quidem expostulat, vt ab omni malo vindicati, omni corporis ac animæ bono perfruamur: Deinde verò, ea seriatim mala recensentur, quibus nos flagitat liberari, ab omni, inquam tempestate, maris & terræ, à fulmine, grandine, noxijs ventis, pluuia, terræ motu, tonitru, peste, morbo comitiali, morte improuisa, igne, insidijs inimicorum, malorumque spirituum, ab omnibus denique periculis alijs, quæ aut humanitus accidere possunt, aut malorum geniorum inuidia, creari consueuerunt. Additur etiam, vt parturientibus fæminis, Deus adesse dignetur, & in quauis tentatione, dæmonum, militibus suis, Christi fidelibus, animum viresque suggerat, quibus intrepidè hostes superent atque prosternant. Quæ omnia summatim, obiterque, in suo, de Agno Dei, Poemate, Andreas Frusius, est complexus, cum orantem, in hac sacra cæremonia, confectionis Agni Dei, Pontificem, ista & similia, postulantem inducit:

2. Beneficia diuina quæ petuntur in consecratione Agni Dei. 1. 2. 3. 4. Vide Francisc. Coster. Institut. Christian. lib. 4. c. 13.

Postulat inprimis sacrati aspectus vt Agni,
Agnum ad cœlestem, concita corda leuet.
Vtque salutiferæ memores, vitæque necisque,
Criminis & vitij, noxia vincla terant:
Hostis vt insidias, stygij, ac certamina vincant,
Decipulas mundi, carnis & illecebras:
Corporeos nobis morbos, casusque repelli,
Præsertim horriferos, morbificosque, petit.

3. Experientia virtutis Agnorũ Dei.

Cum igitur omnium Magiſtra temporum, Experientia probet, poſtulata illa, frequentiſsimè illis concedi, qui ſacris hiſcè amuletis, condigna cum deuotione vtuntur, nemo rectè ac ſincerè Catholicus, affirmari poteſt, ac debet, qui eorundem vſum petulanter inceſsit, aut efficaciam, limis oculis, deprauatoque intuitu, violat atque prophanat.

4. Agni Dei olim permagni æſtimati. Ex Regiſtro Pont. Rom. Anton. Dauroult. in Flor. Exempl. c. 3. tit. 71. n. 1.

Summorum equidem Pontificum geſta, nos edocent, Leonem III. Romanum Pontificem, iam ante mille propemodum annos, Ceream *Agni* DEI Imaginem, à ſe benedictam, Carolo Magno, quem in Romanum Imperatorem creauerat, imperijque corona, & ſacra vnctione, inaugurârat, maximi muneris loco, donaſſe, quem velut inæſtimabilem theſaurum, pijſsimus Imperator, acceptauit. Vrbanus etiam huius nominis. V. complures *Agnos* DEI cereos, à ſe, ritu conſueto ſacratos, Imperatori Conſtantinopolitano tranſmiſit, qui ſolenni, cum Clero, populoque, inſtituta proceſsione, obuiam profectus, diuinam illam ſupellectilem, triumphali pompa, in vrbem introduxit. Summi quoque Monarchæ, Reges & Principes, prægrandi ſe beneficio affectos, cenſebant, cum ſimilibus donarijs, ab Apoſtolica ſede, honorabantur: Vt totius orbis Chriſtiani vnanimem conſenſum, iſt hic prætereamus, adeo nullus vnquam, vel emunctiſsimarum narium, præter *Luthero Caluinianos*, extitit *Hæreſiarcha*, qui ſacrati huius ſignaculi, dignitatem oppugnârit.

II. Incendia reſtinguit.

Non eſt hîc inſtituti mei, omnium & ſingulorum effectuũ hiſtorias, adducendo, probatum dare, quomodo prægnantes mulieres, in partu periclitantes, multoties releuarint; quomodo terra marique, repentinis expoſitos caſibus, à diſcrimine liberarint; quomodo peſtem, alioſque morbos, contagioſos, eliminarint; quomodo mentis deliquia, viriumque naturalium ſpaſmos, depulerint, ac perſanârint: Vnicum hoc, quod hodierna etiamnum experientia confirmat, meritò *mirabile* eſt *in oculis noſtris*, pernicioſiſsima quæque incendia, *Agni* DEI iniectione, reſtincta. Cuius rei hiſtorias aliquot, poſterorum memoria digniſsimas, ex hiſtoria Societatis IESV,

1. In vrbe Meſſana, diſquiſit. Magic.

memo-

memorat Martinus DelRio: Et primam quidem in hæc verba: *Pridie Calendas Iunij, tantum est incendium, nescio qua incuria, in proximis ædibus, collegij Messanensis, ortum, vt nisi Clementiæ suæ Dominus meminisset, longè lateque peruagaturum fuisse, videretur. Edito, quo solet, signo, ad nata recens incendia restinguenda, tota penè ciuitas excitata est. Nostri non cunctandum rati, vbi salus agitur proximorum, statim aduolant, & in creberrimis flammarum minis, alij aquas afferunt, ad restinguendum, alij supellectilem saluam, seruare contendunt. Sed cum mali velocitas, remedia anteiret humana, vnus è Sacerdotibus nostris, ad diuina confugiens, Agnos è cera factos rite consecrata, iaculatur in ignem, statimque, quasi imbribus, primum debilitata flamma, mox omninò est compressa.*

lib. 6. c. 2. sect. 3. q. 3. Ex literis annuis Prouinc. Siciliæ Colleg. Messan. Anni 1584.

De alio iterum incendio, longè atrociori, in eadem verba: *Tenuit,* inquit, *incendium, septem circiter horas, tanta ignium licentia, vt videretur vrbs tota conflagrare, atque ea quidem haud dubie conflagrasset, nisi iactis Agnis è Cera consecrata; vis venti, quæ initio vehementior erat, subitò conquiesset. Ac nobiscum quidem, nisi in tempore* DEI *bonitas, occurrisset, actum esset, multò deterius, quibus ignis, præter ædem veterem, vbi Instrumentum omne Sodalitatis absumpsit, totum cœnaculum inflammauit. Illustre diuinæ prouidentiæ documentum existimatum est, multos, cum in medias flammas, & aperta pericula, cecidissent, intactos tamen, ab igne, atque incolumes, euasisse.* Tertium sic habet: *In Prouincia Mediolanensi, in vicinis ædibus Collegij Taurinensis, erat multum straminis, cui cum intempesta nocte, tenuis principio, ignis hæsisset, nactus oportunitatem pabuli, quo se aleret, crescere in momenta cœpit, & longè lateque diffundi. Præsentißimo remedio fuit sacer Agnus è Cera, quem cum conyci Sacerdos noster iußisset, in ignem, continuò constitit ignis, vt videretur eius effigiem pertimuisse, cuius nutui atq; imperio, mare quondam ventique paruerant. Auxit rei miraculum effigies ipsa cœlestis Agni, in medijs conspecta flammis, quæ diu suspensa & immobilis permanebat, vt nostræ religionis testis esset, & eorum ora, qui hæc derident, tacito pudore persunderet.* Quartæ series hæc est: *Sicut ingens Dei misericordia elucet, in vocandis ad Ecclesiam sanctam, infidelibus, sic non minor benignitas se prodit, in auertendis fidelium periculis, & ærumnis. Cum igitur ignis alicubi corripuisset domum, vicinus Christianus, veritus, ne flamma in ædes quoque suas, & Ecclesiam insiliret, profugium habuit ad Agnum* DEI,

2. In eadem vrbe alio tempore. Ibidem ex literis anni sequentis.

3. In ciuitate Taurinensi. Ibidem ex literis Prouinc: Mediolanensis collegij Taurinensis.

4. In India. Ex P. Petro Gomez vice Prouinc. Indiæ in relatione rerum in Iaponia gestarum.

è collo suo suspensum: illum enim, arundini benè longæ impositum, magnæ fiducia, & vento, & flammæ serpenti opposuit, ac mox à Domo, & Ecclesia, incendium auertit.

5. Agnum Dei gestans, sclopettorũ ictibus nequit extingui. Petrus Tyræus par. 3. disput. de dæmonib. c. 45. num. 17. Petrus Matt. in 6. Decretal. ex Ioan. Molino.

Non exigui sanè ista sunt ponderis, quæ recensui, ab illo tamen quod sequitur, & referente cum alijs Petro Thyræo, meo quidem iudicio, pleraque superantur: *Anno Dominicæ Incarnationis supra millesimum, quingentesimo Sexagesimo octauo, cum Princeps Auriacus, numeroso exercitu, in Brabantiam irruere tentaret, in agro Iuliacensi, prope Traiectum, quendam captiuum Hispanum habuit, quem capitis damnatum, milites, arbori alligatum, sclopetis vel bombardis, occidere volebant: verum frustra in illum, sua emiserunt tormenta, ænea: In tantum enim abfuit, vt illum, sic arbori alligatum bombardis transuerberare, vt nec creberrimis emissionibus, lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, cœperunt eum suis spoliare vestibus, arbitrantes, hominem occultis quibusdam armaturis munitum quas vis tormentorum, penetrare non potuerit: Verum nihil præsidij ab ipsis inuentum fuit, præter dependens ex collo, Amuletum Agni, quo eidem sublato, primo ictu bombardæ, extinctus occubuit.* Quorsum hæc, de virtute Amuleti huius benedicti, contra vim ignis corporei? Vt exinde cordatus quilibet, sic secum ratiocinetur: Si hæc *Sacra Cerei Agni Imago*, tanta virtute, corporeum ignem extinguendi, tàm apertè excellit, quantò magis ad omnia tela nequissimi ignea, vt præsentissimum remedium præualebit? Et id quidem sibi tantò certins, quis poterit persuadere, quantò exploratius constat, sacra eiusmodi Amuleta, adhunc præcipuè scopum, ab Ecclesia confici, & benedici.

Ephes. 6.

III. Dæmones pellit ab obsessis aut ab eo agitatis.

1. Obsessus Iaponius liberatur. Disquisit. Magic. lib. 6. c. 2 sect. 3. q. 3. Ex Ludonico Froes in

Quod ergo dæmones eorum pio legitimoq; vsu, fugentur, historiæ cõplures affirmãt: nos vna alteraue, hoc loco erimus contenti, eisdem verbis, vt à Martino DelRio, recensentur: *In quodã*, inquit, *loco, dicto Iamadu, cũ adolescens Christianus sedecim annos natus, frequentius à dæmone torqueretur; Bonzius eius Patruus primum conatus est, dæmonem suis gentilitijs ritibus, & vanis deprecationibus, ad Chami & Fotochi, depellere; sed cum irritum videret conatum, piæ cuidam Christianæ, ad se ex vicinia accersitæ, totius rei successum, percensuit. Illa bona sua fide freta, Agnum* DEI, *in obsessi collum iniecit, & manus pedesque,*

que, fune, sacris verbis benedicto, illigauit. Tum dæmon mox exclamare: Soluite me & mox recessero. Respondit femina: Prius te torquebo, & si non promiseris, te discessurum, non te soluam: Sic fecit, & iuuenis liber à dæmone, corporeque integer euasit. Hoc primum: Alterum eiusdem ferè est argumenti: *In Patria*, inquit, *Lucernensi, dum quidam Pater Societatis, in reuocandam Catholicæ fidei sinceritatem, totus incumberet, prodigijs interdum Deus, eius videtur studia, conatusque iuuisse. Narrat enim ipsemmet Pater, quodam in oppido, se è suis sedibus, euocatum, ad ferendam misero opem, qui raptabatur à dæmone, vt præceps ageretur, in præterfluentem. Cumque ad fluuium tàm immitis Carnifex veniret, exaudito strepitu accurrisse, qui miserum illum, incredibili conatu retraherent, sed eos tamen ægrè, sua tueri capita, ab eius laniatibus potuisse, eum enim subitò irruisse, vt peteret, morsibus, quem cepisset. Addebatque Pater, cum salutari illum Crucis signo, munisset, iussissetque secum Dominicam, Angelicamque precationem effari, imposito cereo, Agno, ceruicibus, quieuisse. Mox cum lachrymis se amplexatum, confirmasse, subito suo aduentu, fugatum esse, horribilem quendam, atrumque gygantem, qui se ex hominum aspectibus abripuisset, vt præcipiti ruina, ceruices frangeret. Tunc iussum à se hominem rite expiare peccata, pauidumque pectus, aduersus hostium Impotentiam, Eucharistiæ præsidio firmare; quod cum fecisset, integre ex lupi faucibus euasit.*

relat. historica. de rebus à Societ. gestis anno 1595. In Collegio Arimensi.

2. Dæmonum furijs agitatus liberatur. Ex literis annuis Soc. anni 1592. in Prouinc. Mediol. Miss. ad Vallem Lucernensem.

Quin etiam & alias quoque dæmonum præstigias eludit atque infringit. Exemplo sit historia, quam idem describit Martinus DelRio: *Sub Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo, Auenioni mulier, maligno vexata Spiritui, cui suaserat. vnus ex nostris, vt conueniret Sacerdotem, dato interea Parentibus, Agno cœlesti, quem ignaræ insuerunt in vestem, cum consilium obliuiscitur aut differt. à quatuor quasi felibus, raptata est, supra domesticum tectum, mox audiuit humana voce, minantem præcipitium, nisi ceream imaginem abijceret, quam in veste habebat. Intellexit illa, quod esset, & agnouit consilium suasoris mali. Ergo magno animo negauit se facturam, statimque conuersa est ad preces, & relicta est (vt eam inuenit maritus eius, excitatus clamoribus) de tecto suspensa, & ne caderet sustentata.*

3. Mulier à malo vexata genio liberatur. Ex literis Collegij Auenionensis anno 1590.

Aliud dæmoniacæ agitationis exemplum, & eius ab *Agno Dei* remedium, dat Martinus DelRio, in hunc sensum & verba ab eius

4. Domus mirifice à dæmone infestata.

Ex historia Soc. Iesu an. 1585. Mart. DelRio loc. cit. lib. 6. disquisit.

ab eius calamo profecta: *Drepani fuit anno redemptionis humanæ, supra millesimum quingentesimum, octagesimo quinto, Paterfamilias quidam, cuius in ædibus, variæ dicebantur, aliquot iam menses, ex occulto voces existere. Familiaris is erat dæmon, qui varijs modis conabatur hominibus illudere, iaciebat saxa prægrandia, nullius tamen capitis detrimento; vasa quoque domestica, altè iaculans, non frangebat. Cum in his tectis fidibus caneret adolescens, dæmon cunctis audientibus, lasciuis cantibus, prosequebatur, testudinis sonum, aperteque se dæmonem esse, iactabat. Cumque ædium Dominus, cum coniuge, quoddam in oppidum, ad sua negotia discederet, comitem sese dæmon adiunxit. Cum autem ille madefactus aqua rediret, nequam spiritus anteuertit, sublatisque de via clamoribus, præmonere domesticos cœpit, ignem vt exstruerent, herum iam esse in ianuis, totum madefactum. Verum cum ita se illudi, Dominus ædium intelligeret, minitatus est dæmoni, adducturum se Patrem de Societate, qui è suis eum sedibus exturbaret. Ille verò, ne id faceret, clamitare, minitarique inimicitias & odium, & quamdiu Pater in ijs versaretur, fore, vt se absconderet & occuleret. Venit tamen Herus ad Patrem, & rem illi narrat ex ordine; domum etiam inuisat vt se illis molestijs liberet, obtestatur. Pater, ne imperita multitudo, elata cupiditate videndi, id quod fore videbatur, accurreret, ad eum sibi proficiscendum non censuit, tantum monuit, vt ipse & tota eius familia, ablutis generali confessione peccatis, cœlesti pane, se confirmarent, cauerentque, ne qui, aut ex domesticis, aut externis, sermonem eum hoste miscerent, neue ex eo, vt ante fecerant, occulta perquirerent; viderent potius, quæ ab eo dicerentur, & vt orta ex mendacij Patre, planè contemnerentur. Illi cum se facturos recepissent omnia, dedit eis Pater, ex consecrata cera, Agni cœlestis simulachrum, quod filiæ ceruicibus, vt quæ maximè omnium à dæmone infestabatur, domui inferrent. Hic terrere filiam, dæmon clamoribus cœpit, minitarique, ni ceram illam abijceret, fore, vt ei obtorto collo, animam eriperet. Sed illi, Patris monita & consilia, secuti, cum loquenti responsa non redderent, se seque inuicem, contra hostem, Sacramentorum telis armarent, fatigatus dæmon, ab omni nequitia sua cessans, inde abscessit.* En quanti momenti, sacra eiusmodi amuleta, siue gestare, siue in domibus & habitationibus asseruare.

Lasciuis Cantilenis delectatur dæmō.

Dæmon ægerrime fert præsentiam Agni Dei.

5. Puella venefica, appēso Agno Dei,

Præcedentia porrò Martinus Delrio, ex aliorum scriptis memorat, quod sequitur oretenus aliunde acceptum, ipsemet descri-

describit: *Narrauit*, inquit, *mihi Pater Bernardus Oliuerius, tum Societatis nostræ, per Belgium Prouincialis, prope Samarobrinam, anno Domini supra millesimum, quingentesimo nonagesimo nono, captam puellam strigatricem, quæ nec pedum vstulationem, sæuissimam, nec flagra validissima, sentiebat, donec Sacerdotis cuiusdam monitu, illi Agni Dei ceream imaginem, in collum iniecére: Tum enim vi sacri amuleti, dæmonis præstigiosa ludibria depulsa, & illa vim doloris cœpit persentiscere.* Plura describit ille; quis omnia hûc transferret? Addit porro; *Alius à dæmone canem magis ringendo, & latrando, quam ratiocinando & loquendo, hominem se esse ostendebat. Hic à Burgundia, vsque ad nos adductus, vique summa compulsus, in templum, non prius desijt canem agere, quam Agnus Dei, in collum insertus est, tum demum obmutuit, & humanitati redditus, salutari animum confessione purgauit.* Addit denique & istud: *Puella recens cuidam nuptui data, post fermè trium horarum irritam luctam, cum horrendissimo spectro, sono vocis, motuque corporis, Energumenam referebat, mox breui sacratæ Agni imaginis, quam à nobis acceperat, gestatione, in pristinum est restituta.* Ex his apparet, nullam omninò esse diaboli turbationem, aut molestiam, cui medendæ, hoc sacrum amuletum, non quàm maximè conducat. Induite & vos hanc *Armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

sentit tormenta. Disquisit. Magicarum Tom. 1 lib. 2. q. 21. an. 1599.

6. Canem latrando repręsentans Agno Dei restituitur.

Ibidem.

Ex literis Collegij Turonensis.

Quin etiam, dæmonum præstigias omnes discutit, & infringit: *In Treuerensi ditione, vt sunt plurimæ illic sagæ*, inquit Martinus Delrio, *quædam, puerulum, octo circiter annos natum, suis præstigijs atque carminibus circumuentum, in eas sedes, solita erat abducere, vbi per licentiam noctis, ac tenebrarum, nefarijs lusibus indulgerent. Hîc suæ quoque partes, puero dabantur, vt dum ille choreas, consertis manibus inter se ducerent, is earum saltationem, tympano prosequeretnr, nec modò ludorum erat, Chorique spectator, sed sæpè etiam præstigiarum, quibus illæ humanis corporibus, vitisque nocent. Hunc Archiepiscopus deductum in aulam custodiri iussit, vt Catechismo, cuius erat planè rudis, imbueretur, cui cum Sacerdos noster, effigiem cœlestis Agni, de ceruicibus suspendisset, noctu adfuit dæmon, grauiterque puerum increpans, quod tàm facilè se decipi passus esset, iussit ceram illam, ni vapularet, abijcere. Territus puer, facit imperata, continuòque dæmon, eo quod iam metuebat, amoto, ad muros*

IV. Pręstigias dæmonum dissoluit.

1. Puer octo annorum à sagis seducitur.

Ex literis annuis Prouinc. Rheni anni 1585.

vrbis eum abripit, nigroque impositum hirco, ad impurißimas sagarum regiones, momento transfert. Qui cum aliquandiu inter veneficas latuisset, restituitur in palatium, fracta implicitaque nodis resticula, vnde Agnus Dei pendebat. Quod si non potest hoc amuletum tolerare, in ijs, qui hòmagio sibi, minimè adhuc sunt addicti, quantó minus in illis ferre poterit, in quos potestatem accipit, vt corporaliter occupet, & pro arbitrio suo, veluti S. Iob castiget?

2. Adolescens alins à sagis seductus. Ibid. Ex literis annuis anni 1586.

Aliud addit idem Martinus Delrio, quod plus adhuc habet admirationis. *Anno subsequente, in eadem ditione, fuit adolescens rusticus, sed procaci ingenio, intra quintum decimum annum. Hic non semel accesserat, ad feralem locum, vbi permixti fœminis mares, & ætatis teneræ maioribus, dæmone magistro epulabantur, noctis licentia, discrimine pudoris extincto. Ipse tamen nondum Deo, Deiparæque renunciârat, execrandas nondum precationes fecerat, dæmone præeunte, Felis tantum cerebrum, cum sumpsisset in cibum, decrescente Luna, sentiebat sibi mentem imminui. Vbi Treuirensem ingressus est vrbem, quam nunquam antea viderat, eo nimirum ducente ad supplicium, qui duxerat ad maleficium vbi fanaticus deductus est ad ædes Principis, vt seorsim ab alijs, certa in domus parte, curatus à nostris, dæmonem excuteret. Sed cum ei nulla de nocte, à dæmone daretur quies, coniuratisque, à quibus diuerberabatur, Cerea effigie, sacri Agni, quam ad collum habebat, auulsa, Archiepiscopo placuit, mitti in Collegium Societatis. Nec hic quidem misero pax fuit, nisi solenni ritu, cubiculo expiato. Precium erit quædam ex ijs memorare, quæ ab ipso narrabantur: Ita enim ipsemet Archipræsuli: Cum exerceretur nostra commessatio, fuit vnus è tua cohorte, qui gloriatus est quadam nocte (indicabat enim eam quæ fuisset) dormienti tibi, potionem pestiferam ingeßisse, reperto ad te aditu, ex occasione Agni Dei, quem iturus cubitum, reliqueras imprudenter in mensa. Quod si paulò capacior fuisset calix, mortem non effugisses. Et certe ipsemet Archiepiscopus fassus est, se post illam noctem, ita infirma fuisse valetudine, vt per aliquot dies, decumbere cogeretur. Cum hæc dicens, in magna corona nobilium, non faceret fidem, ad Præfectum vrbis: Quin & te,* inquit, *nostræ lamiæ bis inuaserunt, sed ab ea pixidula, quam fers continenter, vbi sunt imagines binæ, & nescio quod consecratum (Agnum Dei intelligebat) sunt à conatu repulsæ. Rem ita se habere, deque harum rerum gestatione, fassus est Præfectus.* Sic virtus san-

tus sanctæ istius Ceræ, sagarum maleficia, impedit atque disturbat. *Induite* ergo & *vos* hanc *Armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

Pergit Delrio, explicans eos, quoque qui per Homagia diabolo sese addixerant, ab eius raptu liberatos: *Idem porrò amuletum alteri profuit, diaboli raptum exposcenti: Anno nonagesimo, corpus quidam, Animamque, diro animarum Prædoni, deuouerat, tempore præstituto, hora vero instante, (vt sæpè praua consilia, & nimium calida, reputantur post factum) mæstus atque anxius adit Sacerdotem. Eum dum consulit, trementibus labris, aberrantibus oculis repentino pauore: Opem clamat, opem infelici, quin tu expedis Pater, auxiliare aliquod sacrum. Quærenti nostro, ecquid noui! astat, inquid, ante ostium, hostis, operiens abeuntem, & hostili vultu minitans, raptum ex condicto. Allato Agno Dei, eique è collo suspenso, fugatus est dæmon, & miser ille, à periculo tutus, exomologesi sacra ritè peracta, diabolo nuncium remisit.* Et quod longè maioris efficaciæ, Argumentum: *Anno*, inquit, *1589. mulier quædam, quæ chirographo, quod proprio sanguine conscripserat, se dæmoni deuouerat; Cum autem resipiscenti, id dæmon sæpiùs ostentaret, freta diuini Agni præsidio, cuius imagine pectus munierat, cum reddi Chirographum sibi iußisset, tandem vidit illud in cinerem & fauillam, conuersum, ad pedes sibi abijci.* O robustissimam Dei armaturam, in hoc sacro Amuleto, à Deo nobis subministratam.

V. Homagio præstito diabolo, deuincti, eodem medio seruati.

1. A diabolo abripiendus Agno Dei seruatur.

2. Mulier sanguinis Chirographo dæmoni deuincta Agno Dei liberatur. Ex literis Collegij Coloniensis.

Cordi ducite, dilecti mei, diuinissimum hoc Amuletum, illudque pia deuotione, semper, in omni loco, vobiscum circumferte, & in hac tanquam imagine, agnum illum in cruce, pro vobis immolatum, vobis repræsentate, Summi Ecclesiæ Pastoris, Ecclesiæ Authoritatem, tot miraculis stabilitam, cognoscite, hæreticorum ludibria, & sannas contemnite, à Cacodæmonis insidijs, vobis iugiter cauete, & tam in corpore, quam anima, semper salui estote. Amen.

CONCIO XXXIV.

REMEDIVM VIGESIMVM SECVNDVM AMVLETA QVAELIBET SACRA, ET VERBA SACRAE SCRIPTVRAE.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Epheſ. 6.

SIcut omnipotens Deus, ad conſeruandam, aut ſi male affecta recuperandam, hominum corpoream ſanitatem, innumerabiles propemodum flores, herbas, & radices è terra excreſcere iuſsit, quarum illæ hunc morbum, aliæ alium, pellunt, hæc iſti humori purgando, alia alteri euacuando, conducunt: Sic in Eccleſiæ militantis officina, quam, plurima, contra varias dæmonum incurſiones, Antidota, ſingulari prouidentia ſua, ordinauit, quibus nunc iſtæ, nunc aliæ dæmonum fraudes, & ſpectra, elidantur. Inter quæ, cum ſacra ex ore Dei prolata, aut ex ſcripturis ſacris, dictante Spiritu ſancto, deſcripta, aut aliunde ſacris, & ab Eccleſia benedictis, ex rebus, confecta Amuleta, numerentur, ea hac Concione breuiter etiam, decreuimus, explicare vt quibuſcunque neceſſarijs, ad luctam cum diabolo, imperterrite ineundam, armis inſtructi, Deo iuuante omni momento, in temporalis vitæ palæſtra compareamus.

I. Amuleta ſacra in genere.

Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Sunt autem hæc Armatura Dei, ſacra amuleta, è ſcripturis ſacris, deſcripta & excerpta, vt *Initium Euangelij S. Ioannis*, Pſalmi alicuius particula, ſymbolum Apoſtolicum, & ſimilia, quibus olim plurimi, probatiſsimæ vitæ, viri ſunt vſi. Et ſcribit Emmanuel Coſta, Ormutij Regia vrbe, in ſinu Perſico, Sacerdotes, ſuſpenſo ad collum, *S. Ioannis Euangelio*, dæmonem ab Energumena expuliſſe. Commemorat Nicephorus ſuper pectus S. Barnabæ Apoſtoli, in Cypro, repertum *Euangelium S. Matthæi*, ſancta Cæcilia quoque, Chriſti *Euangelium ſemper in pectore gerebat*, vt atteſtatur S. Thomas. Gregorius Nyſſænus aſſerit,

In commentarijs rerum Indicarum.
1.
2.
3.
Lib. 15. c. 37.
Lib. 2. art. 15.
4.

ſerit, S Macrinam, S.Baſilij ſororem, ſemper à collo geſtaſſe 5.
crucem, & annulum excauatum, in quo erat *particula crucis Dominicæ*. Gregorius Turonenſis affirmat, ſe ſimul & Parentes ſuos, in cruce aurea geſtaſſe, *reliquias D.Virginis, & S.Martini*, cũ herbis & alijs rebus ab Eccleſia benedictis. S. etiam Damaſcenus refert, veteres Anachoretas, *ſanctorum Reliquias*, ſolitos ſecum circumgeſtare. S.Thomas Aquinas quoque, vt vitæ author tradit, *S.Agnetis Reliquias*, in collo geſtabat. Alij quoque ſanctiſsimi viri, alia eiuſmodi amuleta, non tamen aliunde, quam ex rebus ſacris, ab Eccleſiæ Sacerdotibus benedictis, vna cum S.Ioannis Euangelio, vtebantur.

In vita. 6. Lib.1.de glor. Mart. c.11. & 84. 7. 8. In eius vita Surius. 9.

Sed quid audio de ſancto Euangelio, S.Ioannis? An illa verba tantam habeant virtutem, vt dæmonum inſidias, & phãtaſmata, valeant effugare? Noli de effectu dubitare: Eſt conſuetudo in quibuſdam Germaniæ Epiſcopatibus, vt tota æſtate, ſacro Miſſæ officio finito, *Initium Euangelij S.Ioannis*, ſolenniter cantetur, cum collecta pro fertilitate, & contra tonitrua, & noxium aërem, pulſata ſimul, eius loci, maiori campana, & faſſæ ſunt, non ſemel, ſagæ, ſe tum temporis, ab omni maleficio, ſiue hominibus, ſiue iumentis, ſiue frugibus inferendo, virtute verborum illorum, impediri, vt quidquid vrgeant dæmones, etſi velint, nocere, nocumentum tamen haud valeant inferre. Et his fidem conciliabit hiſtoria, quam Hector Boëthius hiſce verbis deſcribit: *Puella natalibus altis, forma conſpicua, complurium nobilium, auerſata connubium, in nefariam, cum dæmone, incidit conſuetudinem, quæ cum vterum ferret, parentum rigore coacta eſt, edere ſtupratorem, adoleſcentem mira pulchritudine, frequentius ſecum noctu, interdiu nonnunquam, ſecum conueniſſe, vnde veniſſet, quoue abijſſet, neſcire ſe reſpondit. Parentes, tametſi filiæ parum crederent, accuratius rem aduertentes, conſilio, quis eſſet, qui gnatæ pudicitiam expugnaſſet, certo explorandi, cognito tertio poſt die, indice ancilla, ſtupratorem adeſſe, recluſis foribus, accenſo tædarum lumine, cubiculum ingreſſi, horrendum monſtrum, figura, ſupra humanam exiſtimationem terribili, in filiæ amplexibus, ſunt conſpicati. Cucurrere ocius complures, ad fædum excitati ſpectaculum, inter eos Sacerdos probatæ vitæ, ſacræ diſciplinæ non*

II. Euangeliũ S.Ioannis & eius virtus. 1. Ritus cantandi Euangelium S Ioannis pro frugibus terræ.

Lib.8.Hiſtoriæ Scoticæ. 2. Dæmon incubus à puella fugatur Euangelio S. Ioannis.

 ignarus,

ignarus, cæteris aut trepide abeuntibus, aut pauore, terræ allisis, cum Christi Apostoli Ioannis Euangelium, In Principio erat verbum, &c. vsque ad eum locum: Et verbum caro factum est, perduxisset, malus dæmon horrendo sublato clamore, cubiculi tectum secum absportans, omni supellectili incensa, abijt. Femina periculo seruata, enixa est monstrum, vndequaque fædum aspectu, quale nusquam antea, vt ferunt, inter nostrates visum, id obstetrices, ne obseruatum contumeliæ esset familiæ, accensa ingenti Pyra, citissime concremarunt. Ecce quanta sit vis, initij Euangelij sancti Ioannis, si vel contra dæmonum spectra recitetur, vel scriptum è collo gestetur.

3. Confessio S. Trinitatis à S. Odulpho chartæ inscripta fugat spectra. Cornelius Kempensis lib. 3. de situ & origine Frisiæ c. 31.

Huc pertinet *Charta illa S. Odulphi,* in quo Sanctæ Trinitatis fidem, aduersus Arrij & Sabellij errores, conscriptam, ex omnibus suggestis, populo recitari iussit, quo medio, horrendissima dæmonum spectra, quæ totius Frisiæ populis, innumeres creabant molestias, fugata, extitere; vt nemini dubium sit, sacra verba, aut prolata, aut scriptis exarata, & gestata, malignis hostibus esse formidanda.

III Duæ cautelæ in his amuletis seruandæ.

Verum enim verò, vt scriptis hiscè Amuletis, licitè quis vtatur, duas S. Thomas Aquinas exigit conditiones: *Prima est, vt pijs verbis nihil superstitiosum admisceatur: verbi gratia, si fideret quis figuræ, coloriue literarum, vel modo scripturæ, vel materiæ membranæ, vel atramenti. Secunda conditio; vt recta sit gerentis intentio, veluti, si pius verborum sensus, obseruetur, spes verò figatur in Deum, idque fiat, vel ad professionem fidei, veræ, vel ob alium pium & sanum finem, effectusque à diuina potentia, sub eius beneplacito, expectetur.* Sic refert Leontius Episcopus, S. Simeonem Sales nuncupatum, mulieri magæ, verbis sacris, amuletum in tabella conscripsisse, quo gestato, illa non potuit amplius diuinare, nec magica Amuleta, vti antea solebat, conficere. Sic S. Antoninus infestationem quandam, dæmonum, cum preces quasdam membranulæ inscripsisset, & in cubiculo, ante Deiparæ Virginis imaginem affigi iussisset, legitur dispulisse.

2. S. Simeon Sales in vita S. Simeonis Salis Sur. 1. Iulij.
1.
3. S. Antoninus Surius Tom. 3. In eius vita.
4. Obiectio & eius solutio, qualia Periammata dãnantur.

Obiectitant hic nobis nonnulli, S. Basilium, S. Ioannem Chrysostomum, S. Augustinum, omnia eiusmodi περιάμματα, apertissimis verbis damnasse. Sed facilè respondetur: S. Basilius

lius damnat periapta, characteribus nempe Magicis, insignita; S.Ioannes Chrysostomus, inuehitur in duo genera, hominum: *Primum* eorum, qui ex huiusmodi appensis, Sanctiores alijs videri volebant, vt Pharisæi cum suis Philacterijs: *Secundum*, qui ex eadem superbia, quæ ad collum alij suspenderent, ipsi de capillis vel vestimentis suis largiebantur. Alio quoque in loco, S. Ioannes Chrysostomus mulierculas illas reprehendit, quæ scriptis quibusdam amuletis, ratione Materiæ, aut formæ literarum, non verò diuino auxilio, diuinos quosdam effectus, attribuebant. Tales etiam S.Hieronymus carpit, qui in rebus naturalibus aut artificialibus, quatenus tales sunt, & non vt Instrumenta potentiæ diuinæ, auxilia cœlestia quærunt. In genere autem superstitiones omnes damnat & reijcit S.Augustinus: *Fingunt spiritus maligni vmbras quasdam honoris, sibimetipsis vt sic decipiant eos, qui sequuntur Christum, vsque adeò fratres mei, vt illi ipsi, qui seducunt, per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis, nomen Christi, & qui tantum non possunt, vt dent venenum, addant mellis aliquantulum.* Hæc Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores. Et vt vno fasce multa complectar, vbicunque Characteres & signa, vbi incognita Angelorum nomina, vbi certæ spirituum, coniurationes, amuletis istiusmodi coniunguntur, sit certa Regula, & norma, Periammata illa, esse diabolica, & superstitiosa.

Hom. in Psalm. 45. Hom. 43. in Matth.

Hom. 33. in Matth.

In c.23. Matt. Tractat. 7. in Ioan.

5.Regula generalis superstitiones cognoscendi.

Vt ergo pium & laudabilem vsum, res sacras, ad pium & sanctum finem adhibendi, quàm proximè approbamus: Ita planè, & omne id, quod vel minimam superstitionis suspicionem redolet, cane peius & angue auersamur: *Arma diaboli*, quibus ipse nos prosternere nititur, detestamur, media porrò, ab Ecclesia præscripta, lubenter capessimus, & vbicunque opus est, ad nostras necessitates, applicamus. Nil nobis cum iurato hoste diabolo, vt tantò fortius adhærescamus Deo, qui est benedictus in sæcula, Amen.

CONCIO. XXXV.

REMEDIVM VIGESIMVM TERTIVM CAMPANAE BENEDICTAE.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. 6.

EFFECERAT dæmon, vt homine peccante, omnes quodammodo creaturæ, in peccati vindictam, sese homini opponerent,& ei quodammodo rebellarent; Quod si homo contra diabolum pro DEI honore dimicare studeat, creatis non incongruè rebus, & ex elementis diuersis conflatis, iuxta Ecclesiæ præscriptum vti potest: Quorum vltimum, *Campanas*, inquam, *benedictas* iam præ manibus habemus, & auxiliante Domino, expediemus, vt contra diaboli molimina modo suo, vsui esse possit.

I. Campanarum inuétio & vsus antiquissimus. Lib. de rebus Ecclesiast.

Sciendum est, ritum ac morem campanas benedicendi, in Ecclesia, vetustissimum esse. Nolæ in Campania inuentas esse Campanas, vnde Campanæ dicuntur, & Nolæ à ciuitate Nolana, Strabus est auctor, qui censet etiam, plusquam ante mille annos, sanctum Paulinum, Nolanum Episcopum, Campanas benedicere consueuisse. Succedunt autem in Ecclesia Christi, tubis veteris Testamenti, argenteis & corneis, vt eorum sonitu, populus ad festorum cultum, Missarum solennia, & horas Ecclesiasticas conuocarent. Scribit Georgius Presbyter, beatum Theodorum Archimandritam, tintinnabulis & Campanis, iam ante sancti Gregorij Magni, tempora, vsum, easque ritu sacro benedixisse: Legatur Alcuinus Flaccus, qui vixit tempore Caroli Magni, & eius Præceptorem egit, cuius hæc sunt verba: *Neque nouum videri debet, Campanas benedicere & vngere.* Si iam ante mille annos, non erat nouum, sed à maioribus acceptum, Campanas vngere & benedicere, nec vera, huius ritus, origo scitur, veri simile est, ab Apostolis profluxisse. Qua in opinione confirmor, ex ritu ordinationis ostiarij, vbi inter alia ei dicitur, & mandatur: *Ostiarium oporet percutere*

Num. 10. & 29. Leuit 23. Sophon. 1. In vita S. Theodori Archimandritæ. Lib. de officijs Ecclesiasticis.

cutere Cymbalum, quod non est aliud quàm Campana. Ergo Campanarum vsus, immò & benedictio, iam olim in Ecclesia erat recepta.

Constat autem experientia, quotidiana, *benedictarum Campanarum* pulsationem, ita dæmonibus exosam esse, & inimicam vt ab illis excitatæ tempestates, vel ingruentes impediantur, vel iam ortæ sedentur, & alio auertantur, vt rectè docuit Concilium Coloniense; Et Petrus Cluniacensis rem confirmat exemplo, vnde patet, dæmonibus pulsum Campanarum, supra modum esse exosum: Nam cum aliquando diabolus, Abbatis specie, assumpta, Monachum quendam Italicum, seueritatem disciplinæ fastidientem, hortari cœpisset, vt septa Monasterij transgrederetur, statim atque Campanæ signum datum est, ad mensam, *quo signo audito*, inquit Petrus Cluniacensis, *mox dæmon, qui Abbatem se fingebat, actus diuina virtute, à fratre, cui loquebatur, se abripuit, & præcipiti cursu, ac maximo impetu, ad latrinas, quæ proximæ erant, vidente fratre iam dicto, in earum se inferiora demersit.* Vnde dubium non est, quidquid *aëris huius Potestates, & Principes*, dæmones, in mediæ Regionis aeris Meteoris, siue ad hominum, siue iumentorum, siue frugum perniciem, moliantur, id sacrarum Campanarum pulsu, aut disturbari, aut penitus eneruari.

II Campanæ benedictæ dæmonibus exosæ.

Can. 24.

1. Historia è S. Petro Cluniacensi. Lib. 1 Mirac. cap. 13.

Nec miracula desunt, quibus Campanarum vsus, & benedictio comprobetur. In S. Lupi Senonensis Episcopi gestis legimus: *Cum Ciuitas Senonensis, arctißima obsidione premeretur, S. Episcopus in Domino fidens, ad S. Prothomartyris Stephani Ædem, se contulit, cumque ad conuocandum populum, Ecclesiæ signum, tangi iuberet, viribus hostes destituti, tantoque sunt terrore correpti, vt nullam sibi salutis opem, superesse putarent, nisi fuga sibi consulerent; Clotharius autem Rex, vbi comperisset, Campanam illam, sonum edere gratißimum, iußit eam Parisios transferri, vt eius tinnitu, sæpius delectaretur, eiusque virtute, ciuitas, à dæmonum infestatione, immunis redderetur. Displicuit ea res, Beato Episcopo; itaque mox, vt ablata est à Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocyus iubet, suo illam loco restitui. Vbi autem ad pontem Senonicum ventum est, rediit illi pristinus sonus, & ob S. Viri merita, septimo milliario audita est.*

III. Miracula benedictarũ campanarũ.

1. Sono campanæ hostes fugantur à S. Lupo. Sur. Tom. 1. In vita.

Miracula campanæ.

Neque

2. Miraculosa campana S. Vrsmari. In Chronico anni 1081.

Neque etiam miraculi expers est, quod Sigebertus annotat, hisce verbis: *Dagoberti Regis tempore, Sanctus Præsul Vrsmarus, in Flandrensi Prouincia, prædicans, sub honore S. Petri Apostoli, ipso sibi reuelante, Ecclesiam Maldemburgensem ædificauit & consecrauit, quam Deus multis miraculis, vndequaque confirmauit. Inter quæ illud tàm mirabile, quam inauditum antea extitit, quod hoc anno, Dominici nocte Natalis contigit: Campanarium præfatæ Ecclesiæ, vehementi vento flante, è suis locis euulsum, ad terram fuit penitus euersatum, ita in aëre pendens, & ruinam sui minitans, vt semper casurum, & cuncta vicina, confracturum videretur: Sed cum per sex dies ac noctes, id tractaretur, à populo, qualiter hinc, extructis machinis, erigeretur, & vtcunque, loco suo relocaretur. Pridie Calend. Ianuarij, circa noctis medium, adueniens vis diuina, totam Ecclesiam impleuit intus & foris luce ignea, & Campanarium ad terram reclinatum, totum simul erexit ac firmissima in basi sua relocauit, & campanas ibi dependentes, vox suauissima compulit ex se ipsis personare.*

Insigne miraculum.

3. Campana miraculorum in oppido Vililla. Lib. 2. de Fascino c. 14.

Nec illud diuino vacat ostenso, quod scribit Leonardus Vairus: *In Celtiberiæ oppido, Vililla Campana est, quam incolæ vocant Campanam Miraculorum: Ea per aliquot menses, priusquam Respublica Christiana, aduersi aliquid patiatur, ipsa, nemine pulsante, solet personare: cuius rei testimonium, per publicos tabelliones, confectum, ego legi, præter fidem, quam eadem de re, illius Regni pro Reges, suis literis faciebant.* Simile est, quod refertur in vita S. Meinulphi: *in Monasterio Bodiensi, quod S. Meinulphus confessor exædificauit, Miraculum quoddam, ordinarium contigit: Tintinnabulum enim quoddam, magnum & æreum, benè sonorum, ibi reuerenter asseruatur: Nam quoties aliqua, ex eius Monasterij sororibus, breui erat abitura è vita, absque vllo humano ministerio, per se fortem reddebat sonum.* Huic illud affine, quod literis consignauit Iacobus Meijerus: *Anno à Christo nato, 1062. cum fames intolerabilis, Flandros premeret, grandisque hominum multitudo, panis quærendi gratia, conflueret Seldenburgum, repertus ibi prima luce quidam, qui sub dio, de nocte fame, vt creditum est, perierat, qui dum sepeliretur, prohibuit Sacerdos Godobertus, ne pulsarentur campanæ, eò quod homo esset ignotus. Sed ecce tibi, stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio, per se, æra illa, mirum dictu, personabant.*

4. Alia in monasterio Bodiensi. Gobelinus. Persona in vita S. Meinulphi.

5. Campana minime pulsata resonans. Lib. 3. hist. Flandriæ ad annum. 1062.

IV. De Campanarum vir-

Sed hæc hactenus ad probandum, benedictarum Campana-

panarum vſum, illud quod inſtituto noſtro propius deſeruit, certiſsimum eſt, ſonum ſacrarum Campanarum, dæmonibus infeſtiſsimum eſſe: *Ipſæ maleficæ fatentur*, inquit Buſæus, *quando à dæmonibus ad conuentum ſagarum deferuntur, vel inde domum referuntur, ſi ſignum aliquod Campanæ benedictæ audiatur, confeſtim dæmones, ipſarum baiulos, onus in ſolum deÿcere, & fuga trepidos dilabi.* Cuius rei multas hiſtorias, ex actis Iudiciarijs, depromptas, fuſe deſcribit Petrus Binsfeldius. Et mihi vna retulit, quæ annis ſuperioribus, ſupplicio hic Bambergæ affecta, pie deceſsit, ſi quando contingat, vt dum inſtrumenta maleficialia ſtruunt, vel Philtra conficiunt, aut alia diabolica organa, ad nocendum hominibus, beſtijs, terræ frugibus, interea benedictæ alicuius Campanæ pulſus audiatur, omnia in nihilum redigi, & caſſari, idque potiſsimum fieri, dum mane, meridie & veſperi, pulſatur AVE MARIA. Sed audi quid addat Buſæus: *Tribuenda autem eſt hæc vis, & efficientia, Campanarum, non Formæ vel Materiæ, vel etiam ſono earum, ſed potius Epiſcopali benedictioni, qua ſacrantur, ſic diuino iuſſu, vel diſpoſitione, operanti:* Vbi enim benedictæ non ſunt, vt ſæpe apud hæreticos, ibi effectum talem, non operantur.

tute, confeſſio maleficarum.
In Panario V. Veneficiũ Remed. 14.
De Confeſſ. Malefic. dub. 6. conc. vlt.

Verum iſthic ſacrilegij nobis crimen, impingunt Lutherani & Caluiniſtæ; *Vos Papiſtæ*, inquiunt, *Baptiſmi Sacramentum prophanatis, dum campanas, ſuperſtitioſo ritu, vngitis & baptizatis, ac nomine aliquo, velut hominem inſignitis.* Sed abſit ſacrilegium, abſit ſuperſtitio: Campanæ benedicuntur, vt fragore ſuo, ſpirituales hoſtes terreant & repellant; quid hîc ſacrilegum? quid ſuperſtitioſum? Nomen illis, in ſancti alicuius honorem imponitur, vt illius quaſi tutelæ, diuinæ laudis inſtrumentum, Metallinum vas, commendetur. Quid hîc ſacrilegum? quid ſuperſtitioſum? Aqua luſtrali aſpergitur & vngitur, vt olim vaſa ſacra, veteris Teſtamenti, & nunc alia ſacri Altaris vaſa, in Chriſti Eccleſia militanti: quid hic ſacrilegum? quid ſuperſtitioſum? Vim quam habent, tribuimus earum conſecrationi, & digito diuinæ poteſtatis; quid hîc ſacrilegum quid ſuperſtitioſum? omnia diuina & ſancta, vt patet è ritu conſecrationis,

V. Obiectio vana de ſacrilegio, Baptiſmi, quem hæretici ſomniant, Campanarum.
I. Retectio calumniæ & vindiciæ veritatis.
1.
2.
3.
4.
5.

6. Tom. 10. ad an. 968.

2. Benedictio campanarum iam olim in Ecclesia vsitata.

nis, quem dat Pontificale Romanum: Baronius, quod superest, verbis suis ipse declarat: *Tempore*, inquit, *Ioannis XIII. Pontificis, quo Otto Imperator, adhuc Romæ moraretur, contigit primariam Ecclesiæ Lateranensis, Campanam, miræ magnitudinis, recens ære fusam, super Campanile eleuari, quam prius idem Pontifex, sacris ritibus, DEO consecrauit, atque S. Baptistæ nomine, cuius Ecclesiæ esset vsui, nominauit. Qui sacer ritus, in Ecclesia perseuerauit, vt eo modo, quo ipse vsus, Campanæ in Ecclesiæ collocandæ, primum Deo, imposito eis nomine, dicarentur, quod testantur veteres codices, Rituales: Licet errore vulgi, pro arbitrio, vtentis vocibus, dicantur baptizari campanæ, cum ita ab Episcopis benedicuntur, non aliunde Baptismi in re longè dispari nomen mutuati, nisi quod, sicut in Baptismo, nomen imponitur baptizato, ita in ea consecratione, nomen Campanæ daretur; idque siue ea ratione, vt distinguatur à cæteris, vel quod magis conducat ad pietatem, si voce sancti alicuius, dicatur populus ad Ecclesiam conuocari, cum alioqui nihil commune cum baptismo habeant Ceremoniæ, illæ, sed magis cum alijs sacrorum vasorum benedictionibus in sancta Ecclesia Catholicæ, antiquo vsu receptis.*

3. Error vulgi existimantis Campanas baptizari.
1.
2.

4. Vnde vis pellendi tempestates campanis.

Lib. 6. Disquisit. magicarũ, c. 12. q. 3.

In sylua variarum lectionum.

Lib. 2. Probl. 43. Macrob. lib. 5. c. 19.

His quæ Baronius profert, addit Martinus Del Rio: *Benedictarum Campanarum effectus, contra tempestates à malignis spiritibus, aëris potestatibus excitatas, & alias mille dæmonum præstigias, non tribuimus formæ seu arti, vel naturæ metalli; non obtusa adeò, Catholici pectora, gestamus; nec sol veritatis, ab Ecclesia tàm procul auersus, radios suos elongauit; non asserimus, quod Petrus Mexia, discuti eiusmodi, à Potestatibus aëris, motas procellas, vi sonitus, aërem dissipantis; fecerit enim hoc efficacius, sulphurea belli machina; Id potius foret, velle Iouis fulmen dispellere, foret in gentilium deliras opiniones incidere, de aeris sonitu, dæmonum fugatore, de quibus Alexander Aphrodisius, & Macrobius audiantur: Tribuimus ergo vim, efficaciamque omnem, consecrationi, siue benedictioni, sic diuino iussu, seu dispositione operanti. Dei virtus, Dei digitus hîc agnoscendus, talia Deus diuinæ suæ protectionis & potentiæ suauiter omnia disponentis, & fortiter operantis, signa, notasque Ecclesiæ sponsæ suæ, tribuit. Serui nequam dæmones, hunc sonum quasi Dei viui, imperantis fugam, recognoscunt præconium; haud aliter, quam subditi omnes, etiam inuiti, Regij Saluiconductus, signum reuerentur. Est igitur, vno verbo, virtus omnis & efficacia, sacrarum campanarum, à Deo, qui earum sono, vt instrumen-*

strumento vtitur, ad diabolica Machinamenta, diuinitatis suæ, dæmonibus formidabili potestate dissoluenda.

Hæc sunt, auditores mei remedia, hæ armaturæ, contra insidias nequissimi sathanæ; his induimini, his armamini, vt possitis contra insidias eius consistere, & ab eius impugnationibus victoriam reportare. Cauete, obsecro, si quando aduersarius iste, vos impetat, vos lædat aut impugnet, cauete, inquam, ne ad diaboli complices & ministros, Magos ac maleficos confugiatis, vt in Beelzebub dæmoniorum Principe, molestans dæmon coërceatur: Est enim hæc sacrilega illa, à Deo summo, vnico, ac vero auxiliatore nostro, ad dæmonem iuratissimum humanæ salutis hostem, defectio & Apostasia, qua nullũ à Christiano homine, sacrilegium detestabilius, patrari posset. Ad sacra potius hæc remedia, quæ præscripsi hactenus, velut ad sacram anchoram confugite; ibi quęrite quod quæritis, & certò certius inuenietis.

Sed videor mihi tacitas vestras cogitationes, quodammodo penetrare, dum vti existimo, intra vos, hæc dubitatio, mentem pulsat. Si remedia ista sunt infallibiles, vt tu prædicas, contra sathanam armaturæ, cur non semper infallibilem & exoptatum consequuntur effectum? Cur sathan non semper cedit, cum adhibentur? Respondeo: non meis equidem, sed doctissimi Theologi, Martini Delrio verbis: *Obseruandum*, inquit, *non semper Ecclesiastica illa remedia esse efficacia, neque semper homines, per ea, maleficijs liberari: Duas verò, huius rei causas, præcipuas videri: Alterum peccatum, maleficio læsi, vel medicinam hanc spiritualem adhibentis, maximè si ea non vacet superstitione, vel si modicam spem, fidemque habeant, propter quæ indignos effectu se præstant. Causam censeo alteram, maius bonum ægri, seu læsi: Nam afflictio & ægritudo, solent à multis peccatis homines abstrahere, aut præterita peccata expiare, aut patientis meritum adaugere, & spectantibus patientiæ, aliarumque virtutum specimen præbere. Quid? quod & gentiles intellexerunt, vt sanctus Augustinus & Chrysostomus, attestantur, præstabilius esse, patienter aduersa tolerare, quàm illæsum nihil omninò, aduersæ fortunæ, degustare.* Ista ad rem Martinus Delrio.

VI. Dubitatio resoluta, cur remedia ista non semper consequantur effectum.

Loco citato. lib. 6. c. 2. q. 3.

2. Caussæ, denegationis effectus.

1.

S. Aug. lib 22. de ciuit. c. 22. S. Ioan. Chry. hom. 8. in c. 4. ad Rom.

Si

Si quando igitur vos à sathanæ molestijs opprimi contingat, sic remedia hactenus præscripta vsurpate, vt vos cum anima & corpore, totos, diuinæ prouidentiæ, resignantes, illud Christi verbum, *Fiat, ô Domine, voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, semper in pectore gestetis, & ore semper expromatis: Sic quod corporeæ saluti, diuina prouidentia negat, animæ, ad æterna præmia capessenda, promotioni, millecuplo cum fænore compensabit: Sic *in patientia vestra, possidebitis animas vestras*, perenniter in cœlesti Paradiso, vbi *videbitur Deus Deorum in Sion*, laudabilis & gloriosus in sæcula.

Amen.

FINIS.

Ad Dei atque Deiparae Virginis gloriam.

